N12<523939632 021
ubTÜBINGEN

5

Acta et Decreta Capitulorum Generalium Ordinis Praemonstratensis

Tomus V

1657-1738

ediderunt

J.B. VALVEKENS, O. Praem. (†)

et

L.C. VAN DIJCK, O. Praem.

Analecta Praemonstratensia, LX, 1984

Commissio Historica Ordinis Praemonstratensis
Averbode

20293

UNIV. BIBL. TÜBINGEN

2
7 A 246-5

Praefatio

Inter annos 1633 et 1657 nullum celebratum fuit capitulum generale ob peculiaria adiuncta quae tam archicoenobii Praemonstrati quam et totius Ordinis regendi formam perturbaverunt.

Demortuo enim abbate generali Petro Gosset, qui, octogenarius, 12a augusti 1635 diem explevit ultimum, ad novum abbatem eligendum convenerunt Praemonstrati abbatiae sodales. Iam ante eius decessum varia tentata fuerunt conamina ut dignitatem generalitiam assumere valeret cardinalis de Richelieu qui disciplinam regularem, uti asserebat, in domibus Praemonstratensis Ordinis instaurare in votis habebat, quia iam anno 1633 a capitulo generali Praemonstratensi totius Ordinis protector renuntiatus fuerat[1]).

Instigante praesertim Nicolao le Saige, S. Martini Laudunensis abbate, pars quaedam eligentium, una cum proto-abbatibus praesentibus et abbatibus ad consilium convocatis, per viam S. Spiritus, cardinalem de Richelieu ad sedem abbatialem Praemonstratensem postulaverunt, dum et altera communitatis pars, conventuales praesertim, duce Adriano Gosset, abbatis defuncti nepote et priore archicoenobii, per eamdem viam, Petrum Desbans, vicarium generalem congregationis Antiqui uti dicitur Rigoris, eadem die 23 decembris 1635 ad supremum totius Ordinis regimen evehere conati sunt. Sed incassum, nam reformatorum praefectus dignitatem oblatam recusavit, timens ne et ipsa sua congregatio dissolveretur. Richelieu, e contra, indefesse adlaboravit ut beneficium abbatiale, quod vi concordati Bononiensis anni 1516 legitime e manibus regis Galliae recipere non poterat, per litteras pontificias sub plumbo datas quam citius obtineret.

Praevisa provisione pontificia praedicti beneficii, iam die 28 decembris 1635[2]), per litteras quae «oeconomatus» dicuntur, regimen temporale

[1]) «*quem Capitulum Protectorem suum et Ordinis optat et declarat, demisissime rogans ut protectionem huiusmodi suscipere et gerere non dedignetur, expedianturque desuper ab Ordinis Secretario sub sigillo maiori Capituli Generalis, quibus et protectio huiusmodi quam amplissimis verbis deferatur cum plenissima potestate Ordinem regendi, tuendi et in salutaribus suis terminis continendi*». Cap. Gen., IV, 191-192.

[2]) Cf. L.C. Van Dijck, *Pour une histoire du généralat prémontré du cardinal de Richelieu. Actes et correspondances du registre Deschamps* (1635-1638), in *An. Praem.*, LX, 1984, p. 277.

omnium bonorum canoniae Praemonstrati commissario regio concreditum fuit.

Postulationem cardinalis de Richelieu in abbatem Praemonstratensem Sancta Sedes numquam ratam habuit, etsi usurpationem generalatus numquam palam reprobasset. Sex tandem elapsis post postulationem annis, insoluta manente quaestione de regimine archicoenobii, per litteras sub forma brevi datas quae incipiunt «Prospero foelicique» diei 8 martii 1641, facultates tam capituli generalis quam abbatis generalis capitulis provincialibus necnon vicariis abbatis generalis pro singulis circariis delegavit[3]).

Demum per decretum Intimioris sui Consilii Ludovicus XIII Richelio concessit ut, deficiente provisione pontificia, possessionem abbatiae Praemonstrati caperet ac si per litteras apostolicas eam obtinuisset, eique indulgens ut canoniam in spiritualibus et temporalibus regeret[4]).

Anno 1643, post cardinalis de Richelieu decessum, archicoenobii sodales, ad liberam abbatis electionem iterum admissi, per viam compromissi Simonem Raguet, congregationis Antiqui Rigoris alumnum ac definitorem, toti Ordini praefecerunt. Sed non omnibus placuit electionem abbatis qui Servatii Lairuelii Reformatoris disciplina excultus fuit eamdemque ardenter spargere studuit. Causa *Laudunen. Iuris eligendi* Romae instructa, cardinalium coetus negotiis Ordinis Praemonstratensis praepositus, electionem Simonis Raguet confirmandam censuit, hisce tamen, inter alias, adiectis clausulis ut abbas generalis numquam solus communitates communis, uti dicitur, observantiae visitaret, et ut in Urbe indiceretur, praesente vel absente abbate generali, capitulum generale quod varia negotia renovationem disciplinae religiosae sed et praesertim regiminis totius Ordinis tangentia examinare ac definire posset[5]).

[3]) ASV, Secretaria Brevium, 894, fol. 537r°-537v°; Textus typis impressus: Romae, ex typographia Reverendae Camerae Apostolicae, 1641 (exemplar asservatur in AAT, Collegium Romanum, VII, n. 130); Transscriptum cura J.C. Vander Sterre: AAT, Coll. Rom., VII, 131. Editio apud C.L. HUGO, *Annales*, I, Praefatio (absque clausulis finalibus) et J.B. VALVEKENS, *Capitula Provincialia Bohemiae, Moraviae, Austriae et Silesiae (1641-1717)*, Averbode, 1960, p. 9-11 (editio mendosa ob quasdam omissiones).

[4]) Exemplar asservatur in Bibliotheca Apostolica Vaticana, Barberini lat. 8206, fol. 3v°.

[5]) Conclusio causae *Laudunen. Iuris eligendi* invenitur in AAT, 53, Capitula Generalia, n° 37, ed. A. ERENS, *L'opposition à l'élection de Raguet comme abbé-général de Prémontré*, in *An. Praem.*, VII, 1931, 347-354. Accomodata renovatio a praeside collegii S. Norberti Romae, Joanne Coomans, Tongerloënsi, coadiuvante iurisconsulto Gerardo Meyz, conscripta publici iuris facta est in Pl. LEFÈVRE, *Une introduction romaine pour la réorganisation de l'ordre de Prémontré en 1644*, in *Bulletin de l'Institut historique belge de Rome*, 10, 1930, 123-139. Quoad auctores et originem huius documenti cfr. L.C. VAN DIJCK, *L'affaire Raguet et le problème du gouvernement central de l'ordre de Prémontré au XVII^e siècle*, in *An. Praem.*, L, 1974, 171-215; LI, 1975, 37-71.

Quae conditiones confirmationi appositae iurisdictionem neo-electi ita restringere videbantur ut a iuribus vindicandis desisteret. Insuper, regnante Innocentio X, causa iterum examinata, electionem Simonis Raguet nullam fuisse decretum est ita ut sodales Archicoenobii ad novam electionem procedere valerent[6]).

Postquam per ultra decem annos munus abbatiale et generalitium vacaverat, ad regimen Ordinis Praemonstratensis tandem anno 1647 accedere poterat Augustinus le Scellier[7]), quo regnante inde ab anno 1657 singulis trienniis capitulum generale convocatum fuit, annis nempe 1660, 1663 et 1666. Praeside Michaële Colbert, eius in munere successore[8]), celebrata sunt capitula generalia annis 1670 et 1686. Saeculo decimo octavo bis tantum, convocante abbate generali Claudio Honorato Lucas, Praemonstrati coadunati sunt patres capitulares: anno 1717[9]) et 1738[10]).

Ob varia obstacula, quae ab abbate Antonius Parchappe de Vinay enumerantur, influxus capitulorum generalium pedetentim evanuit. Scripsit enim praedictus abbas[11]) anno 1767 magnum numerum capitularium ex variis Europae catholicae regionibus oriundorum difficillime

[6]) ASV, Miscellanea, Armadio VIII, vol. 101, fol. 305r°.

[7]) Electus fuerat Augustinus le Scellier 31 augusti 1645 sed possessionem sedis canoniae Praemonstrati capere potuit tantum anno 1647, Cfr. TAIEE, *Prémontré*, II, 108-133, 234-242; C.L. HUGO, *Annales*, I, col. 53-54. Quoad indolem huius abbatis generalis et regendi modum vide Pl. LEFEVRE, *Un conflit entre le général de Prémontré et les abbés de Brabant et 1656*, in *An. Praem.*, IX, 1933, p. 260 ubi scribit: «Son étroitesse d'esprit ne saurait être jugée favorablement par l'historien».

[8]) Senescens abbas le Scellier 1 februarii 1666 munus suum, praesumpta acceptatione pontificia, capitulo archicoenobii Praemonstrati resignavit statimque electionem sui successoris indixit, in qua electione ipse solus, tamquam unicus compromissarius agens, Michaëlem Colbert in abbatem designavit. Vide Instrumentum electionis Michaëlis Colbert in ASV, Miscellanea, Arm. VIII, fol. 301r°-303v°. Contra huiusmodi procedendi formam recursum Romae interiecerunt quidam Praemonstrati religiosi, inter quos Antonius Lafaux, prioris in Perrodio Novo munus agens, vide litteras diei 29 aprilis 1666 in ASV, Miscellanea, Arm. VIII, vol. 101, fol. 292r°-296v°. Documenta ad causam *Premonstraten. Electionis generalis* spectantia in eodem collectario inveniuntur. Ibique asservatur exemplar litterarum apostolicarum motu proprio datarum, quibus muneris cessionem abbatis le Scellier et electionem Michaëlis Colbert, quamvis nullas, Summus Pontifex ex apostolicae potestatis plenitudine validat ob testimonia in favorem abbatis Colbert a Rege Galliae eiusque Oratore romano Duce de Chaulnes exhibita, ASV, Miscellanea, Arm. VIII, vol. 101, fol. 219r°-v°.

[9]) J.B. VALVEKENS, *Capitulum Generale anni 1717 et «Jansenismus«*, in *An. Praem.*, XXXV, 1959, 153-163.

[10]) J.B. VALVEKENS, *Capitulum generale anni 1738*, in *An. Praem.*, L, 1974, 5-19.

[11]) Parisiis, Arch. Nat. G 9 12, cfr. X. LAVAGNE D'ORTIGUE, *L'ordre de Prémontré en France et dans le Saint-Empire à la fin du XVII^e siècle*, in *An. Praem.*, XLVII, 1971, 34.

coadunari posse, ob expensas non exiguas itineris et pericula sustentanda, ob impedimenta quoque a regibus et principibus exstructa quibus praelati praepediti fuerunt quominus ad archicoenobium accederent, ob futilitatem tandem materiae in talibus conventibus pertractatae.

Acta et decreta capitulorum generalium quondam a J.B. VALVEKENS ex variis collectariis manuscriptis vel ex relationibus typis impressis transsumpta, nunc prelo submittimus adiicientes notas e recentioribus studiis depromptas et collatis prius, ubi casus fert, inter se fontibus. Ad faciliorem usum textus singula decreta a capitulo generali lata vel quaestiones ab eo tractatae numero, inter uncinos quadratos posito, signavimus.

L.C. VAN DIJCK, O. Praem.

SIGLA ET ABBREVIATIONES

AAA = Archivum abbatiae Averbodiensis
AAT = Archivum abbatiae Tongerloënsis
Acta Cap. Gen. = *Acta et Decreta Capitulorum Generalium Ordinis Praemonstratensis*, ed. J.B. VALVEKENS Tom. I, 1966 seq.; Tom. II, 1969 seq.; Tom. III, 1973, Tom. IV, 1979 seq., edita per modum supplementi periodici *Analecta Praemonstratensia*.
ASV = Archivum Secretum Vaticanum
BACKMUND, I = N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, Tomi primi editio secunda, pars I et II Berolini, 1983, 584 pp.
BACKMUND, II et III = N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, Tom. II, Straubing, 1952. Tom. III, Straubing, 1956.
Cap. Prov. Bohem. = *Capitula provincialia Provinciae Bohemiae: Moraviae, Austriae ac Silesiae O. Praem. (1641-1727)* ed. J.B. VALVEKENS, edita per modum supplementi periodici *Analecta Praemonstratensia*, XXXVI, 1960 usque XXXXII, 1966.
Cap. Prov. Brab. = *Capitula provincialia Circariae Brabanticae (1620-1656)*, ed. J.E. STEYNEN, edita per modum supplementi periodici Analecta Praemonstratensia, XVII, 1941; XVIII, 1942; XX, 1944-1945.
Cap. Prov. Sueviae = *Capitula provincialia circariae Sueviae*, I, *1578-1688*, ed. Em. VALVEKENS, edita per modum supplementi periodici *Analecta Praemonstratensia*, I, 1925; II, 1926; III, 1927; IV, 1928. *Capitula provincialia circariae Sueviae*, II ed. V. VAN GENECHTEN, *Ibidem*, V, 1929; VI, 1930.
Cap. Prov. Westfaliae = T. PAAS, *Beschlüsse der Kölner Provinzialkapitel für die Westfälische Zirkarie O. Praem. (1665-1717)*, supplementum periodi *Analecta Praemonstratensia*, VI, 1930; VI, 1931.
T. PAAS, *Beschlüsse der Kölner Provinzialkapitel für die Westfälische Zirkarie O. Praem.*, (*1628-1659*), *Ibidem*, VIII, 1932; IX, 1933.
GOOVAERTS = L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, 4 vol., Bruxelles, 1899-1909.
HUGO, *Annales* = C.L. HUGO, *Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis Annales in duas partes divisi ...*, Nanceii, tom. I, 1735; tom. II, 1736.
LE PAIGE, BPO = J. LE PAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633.

1657

Acta et decreta capituli generalis anni 1657 habentur;
in archivo Curiae generalitiae Ordinis Praemonstratensis Romae, sine numero;
in ms. 1767 (994), Nancy, fol. 199r°-227r°;
in ms. Laon 538, pp. 703-777[1]).
Extracta ex actis et decretis huius capituli inveniuntur:
in ms. 1767 (994), Nancy, fol. 14v°, 227v°, 272r°-272v°;
in AAA, I, reg. 281, fol. 22;
in ms. Iosephi Van der Achter, *Capitula generalia et provincialia Ordinis Praemonstratensis*, 1726 conscripto, asservantur perplures decisiones capitulares thematice ordinatae (AAT, ms. V, 18);
in archivo abbatiae Parcensis, VII, 47, pp. 128-133; 174-177;
in archivo episcopali Coloniensi: E 2;
in archivo abbatiae Wiltinensis: nr. 7, E, 1-7.
Praeterea in variis capitulis provincialibus iteratis vicibus decreta et acta huius capituli generalis citantur et uti praecepta servanda imponuntur.

Indictio Capituli Generalis Canonici Praemonstratensis Ordinis pro anno 1657.

(AAA, I, 281, fol. 22r°)

Frater Augustinus le Scellier, iuris utriusque Licentiatus, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Praemonstrati humilis Abbas, totiusque canonici Praemonstratensis Ordinis caput et Reformator generalis, Christianissimi Francorum Regis Consiliarius et Eleemosynarius, universis eiusdem Ordinis Dominis Abbatibus, praepositis, prioribus, decanis, curatis, beneficiatis, priorissis, conversis, sanctimonialibus, omnibusque utriusque sexus personis, Ordinem nostrum Praemonstratensem professis salutem. Initio nostri huius generalatus, quem non ob merita nostra, sed propter suam magnam bonitatem Dei Omnipotentis providentia nobis commisit, cernentes iam tum in quot rerum fere omnium incommoda noster Ordo commisit, cupiebamus quidem ardentissimo desiderio mederi succrescentibus illius malis; sed cum pacis tranquillitate ad praecipua eiusdem Ordinis membra in unum locum congreganda opus esse cogitaremus, eam continuis precibus cum privatis quam publicis a summo omnium moderatore impetrare conati sumus. A toto decennio repulsam passi, et nihilominus misericordia Domini plenam esse terram meditantes, compulsi sumus, et compellimur reiicere cogitationes nostras

[1]) Cfr. N. BACKMUND, *Das Manuscript « Res Praemonstratenses » des Grégoire Ducrocq in des Stadtbibliothek Laon (Nr. 538, I)*, in *An. Praem.*, LVII, 1981, 76-80.

timidas; et credere Deum etiam nunc succurrere decrevisse, ut qui de medela gloriabitur in ipso solo glorietur.

Vobis idcirco, quod Deus Optimus Maximus feliciter evenire iubeat, Capitulum Generale anno proxime futuro sequenti millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo die vero mensis Aprilis vigesima nona, quae incidet in Dominicam ecclesiastico ritu Cantate nuncupatam et ceteris deinceps diebus in nostra Praemonstratensi Ecclesia habendum celebrandumque indicimus, annuntiamus et promulgamus; districte et in virtute salutaris obedientiae, subque poenis iuris et Statutorum praecipiendo mandantes omnibus et singulis vestrum qui Capitulis Generalibus interesse lege aut consuetudine debent, ut Praemonstrati ad diem, hora, loco et habitu praescriptis compareant; si qui vero legitime impediti ab huiusmodi Capitulo Generali se absentare coacti fuerint procuratores debite instructos suo loco mittant. Ac ne quis ignoratione praesentium inobedientiam excusare queat Reverendis admodum Dominis Vicariis nostris in quibuscumque regnis et provinciis existant praecipimus ut eas quisque in suae iurisdictionis Ecclesiis et locis publicantes, authoritate nostra et Capituli Generalis mandent iisdem ab omnibus quorum interest obtemperari. Quoniam vero originales literae indictionis huiusmodi, nostris chirographo et sigillo munitae circumferri et omnibus exhiberi nequeunt, volumus eorum transsumptis secretarii nostri manu subscriptis eadem ubique fides quae ipsis originalibus habeatur. Datum Praemonstrati die decima septima mensis Maii anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto. In quorum fidem ac robur praesentes manu propria et secretarii nostri manu subscriptas sigilli nostri adpressione iussimus communiri. Signatum seu subimpressum: fr. Augustinus le Scellier, Abbas praemonstratensis et totius Ordinis Generalis. Et infra. De mandato Reverendissimi. Et infra erat subscriptum et signatum. Ita est fr. Gregorius du Crocq, secretarius apposita certa signatura.

Praescripta copia cum alia authentica impressa, et subscripta manu uti supra praevia collatione concordare attestor.

Petrus Willems notarius publicus in Consilio Catholicae Regiae Maiestatis admissus et approbatus, Averbodii residens hac sexta Iulii anno 1657. Ita est Petrus Willems, notarius publicus.

Acta et Diffinitiones Capituli Generalis Praemonstrati celebrati anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo, die vigesima nona mensis Aprilis et sequentibus.

(ms. Laon 538, pp. 703-777).

(703) Interfuerunt:

Reverendissimus in Christo Pater et Dominus Augustinus le Scellier, Abbas Praemonstratensis, totius Ordinis Generalis[1]).

Admodum Reverendus Dominus Isidorus Amour, Cuissiacensis Abbas, de Communitate antiqui rigoris[2]).

Reverendus Dominus Philippus Babeur, Dommartinensis[3]).

R.D. Matthias Paul, Abbas Lucensis, electus ad abbatiam Sancti Vincentii Wratislaviensis, Doctor Theologiae, et Revmi Domini Generalis per Bohemiam, Hungariam, Poloniam, Austriam Vicarius suo et dictarum Circariarum procuratorio nomine[4]).

R.D. Nicolaus Guinet, Abbas S. Mariae Mussipontanae, de Communitate antiqui rigoris[5]).

R.D. Vitus Rosseler, Abbas Siloensis, Theologiae Doctor[6]).

R.D. Dionisius de Lorris, Vallis Serenae Abbas[7]).

[1]) Augustinus le Scellier abbas Praemonstrati ac insimul abbas generalis Ordinis fuit annis 1645-1666.

[2]) Isidorus Amour abbas fuit Cuissiaci = Cuissy, annis 1649-1673. Ista abbatia anno 1642, sese aggregavit Congregationi antiqui rigoris. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. II, p. 496-499.

[3]) Philippus Babeur abbas fuit Dommartini seu S. Iudoci in Nemore = St. Josse-au-bois (in dioecesi, olim Ambianensi = Amiens, nunc Atrebatensi = Arras), annis 1656-1675. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. II, p. 551. Cfr. L. GOOVAERTS, *O.C.*, t. I, p. 28.

[4]) Matthias Paul abbas fuit Lucensis = Louka; Klosterbruck (in dioecesi Brunensi) annis 1655-1659. Postea vero abbas S. Vincentii Wratislaviensis (Wroclav-Breslau) annis 1660-1672. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 364; L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. II, p. 20; L. SANTIFALLER, *Nikolaus Liebental, und seine Chronik der Aebte des Breslauer St. Vinzensstiftes* in *Anal. Praem.*, pag. spec., 1949, XXV, p. 149 s. In conventu praelatorum circariarum in Provinciis Caesariis sitarum, habito in coenobio Lucensi diebus 23-26 octobris 1656, selecti fuerunt abbates Matthias Paul et Vitus Rössler, qui iter versus Praemonstratum arripere intendebant, obtentis prius licentia Imperatoris ac salvo conducto caesareo et hispanico. Vide Cap. Prov. Bohemiae, p. 73.

[5]) Nicolaus Guinet abbas fuit abbatiae Mussipontanae = Pont-à-Mousson, annis 1653-1695. Cfr. L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. I, p. 337; t. III, p. 68.

[6]) Vitus Rösler, canonicus Strahoviensis, abbas fuit Siloensis = Želiv: Selau (in dioecesi Pragensi) annis 1653-1660. Cfr. L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. II, p. 110 s,; N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 393.

[7]) Dionisius de Lorris (de Lorry) abbas fuit Vallis Serenae = Valséry (in dioecesi Suessionensi = Soissons) annis 1653-1672. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. II, p. 539.

R.D. Michael Fux, Abbas Windbergensis suo et Bavariae procurator generalis[8]).

R.D. Claudius Lestendart, Abbas Vallis Secretae[9]).

R.D. Dominicus Loër, Abbas Wiltinensis, suo et Bavariae procuratorio nomine[10]).

R.D. Edmundus Sauvage, Abbas Buciliensis, de Communitate antiqui rigoris[11]).

R.D. Nicolaus Dousset, abbas Clari Fontis[12]).

R.D. Augustinus Arzet, Abbas Soretanus, suo et Sueviae procuratorio nomine[13]).

R.D. Bonaventura Messin, Abbas Rengisvallis, de Communitate antiqui rigoris[14]).

R.D. Perpetuus Noizet, Abbas Lefflensis, suo et Circariarum Floreffiae, Flandriae, et Brabantiae procuratorio nomine[15]).

R.D. Ludovicus le Conte, Abbas Marchasii Radulphi[16]).

R.D. Hilarion Rampant, Abbas Stivagiensis, de Communitate antiqui rigoris[17]).

R.D. Philippus Gretsch, Abbas Wadegotiensis[18]).

R.D. Damascenus Perrin, Abbas Bonifageti, de Communitate antiqui rigoris[19]).

[8]) Michael Fux, seu potius Fuchs abbas erat Windbergensis (in dioecesi Ratisbonensi = Regensburg) annis 1634-1681; *Kloster Windberg. Studien zu seiner Geschichte*. 1977, p. 138.

[9]) Cl. Lestendart abbas fuit Vallis Secretae = Valsecret (in dioecesi Suessionensi), annis 1638-1681. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. II, p. 537.

[10]) Dominicus Löhr abbas erat Wiltinensis = Wilten (in hodierna dioecesi Oenipontina = Innsbruck), annis 1651-1687. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 36.

[11]) Edmundus Sauvage abbas fuit Buciliensis = Bucilly (in dioecesi, olim Laudunensi, nunc Suessionensi), annis 1649-1670. Deinde abbas Iovillaris = Jovilliers, Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. II, p. 367; L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. IV, p. 315.

[12]) N. Dousset vel Doucet abbas fuit Clari Fontis = Clairefontaine (in dioecesi Suessionensi), annis 1657-1668. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. II, p. 372.

[13]) A. Arzet abbas fuit Sorethanus = Schussenried (in dioecesi Rotenburgensi) annis 1656-1666. Cfr. N. BACKMUND, *p.c.*, t. I, p. 78; L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. I, p. 25.

[14]) B. Messin abbas fuit Rengisvallis = Rengéval (in dioecesi, olim Tullensi, nunc Virdunensi)annis 1647-1669. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. III, p. 98; L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. I, 585.

[15]) P. Noizet (Noizé). Cfr. infra nota 51.

[16]) L. Le Conte abbas fuit Marchasii Radulphi = Marcheroux (in dioecesi, olim Rothomagensi, nunc Belvacensi = Beauvais), annis 1663-1665. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. II, p. 559.

[17]) H. Rampant abbas fuit Stivagiensis = Etival (in dioecesi S. Deodati = St. Dié) annis 1656-1663. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. III, p. 71.

[18]) Ph. Gretsch abbas fuit Wadegotiensis = Wadgassen (in dioecesi Trevirensi = Trier), annis 1636-1667. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 121.

[19]) I.D. Perrin (Périn) abbas fuit Bonifageti = Bonfays (in dioecesi S. Deodati), annis 1653-1667. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. III, p. 63.

R.D. Servatius Regnault, Abbas Iustimontis, de Communitate antiqui rigoris[20]).

R.D. Anastasius Schlecht, Praepositus Cellae Omnium Sanctorum, suo et Sueviae procuratorio nomine[21]).

R.D. Ioannes a Dillen, Praepositus Hinsbergensis, suo et Conventus nomine procuratorio[22]).

R.D. Adrianus Gossetius, Prior Praemonstratensis, Sacra Theologiae doctor[23]).

R.D. Ioannes Lompagieu, Coadiutor Gratiae Dei, seu Sancti Ioannis de Castella, suo et Vasconiae procuratorio nomine[24]).

R.D. Venerabilis Pater Gregorius du Crocq, Procurator Ordinis in Curia Romana, Canonicus Praemonstratensis[25]).

Venerabilis Pater Norbertus Cailleus, sacrae Theologiae Doctor, Prior scholarium Parisiensium[26]).

Venerabilis Pater Ioannes Luckenradt, Prior Scholarium Coloniae, Theologiae Licentiatus, suo et Westphaliae procuratorio nomine[27]).

Venerabilis Pater Basilius Liegault, Prior Sancti Martini Laudunensis, Theologiae licentiatus[28]).

Ven. Pater Petrus Thienville, quondam Abbas Mussipontanus, doctor Theologiae a Communitate antiqui rigoris deputatus[29]).

[20]) S. Regnault abbas fuit Iustimontis = Justemont (in dioecesi Metensi), annis 1656-1695. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. III, p. 84.

[21]) An. Schlecht abbas fuit Cellae Omnium Sanctorum = Allerheiligen (in dioecesi Friburgensi) annis 1653-1691. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 49.

[22]) I. Dillen praepositus fuit in Heinsberg annis 1672-1675. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 216. Non modicas difficultates sustinere debuit in illo monasterio.

[23]) Ab annis 1622/1623 erat prior in abbatia Praemonstrati.

[24]) Ioannes de Lompagieu coadiutor fuit sui praedecessoris, Petri de Lompagieu; postea, annis 1659-1675, et ipse abbas in eodem monasterio. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. III, p. 196.

[25]) Gregorius du Crocq, anno 1654 ab abbate generali Augustino le Scellier Romam missus fuit ut ibi coram Congregatione Episcoporum et Regularium iura Domini Praemonstratensis, et praecipue ius visitationis in circaria Hispanica vindicaret. Huius missionis du Crocq conscripsit relationem quae invenitur in ms. Laon 538 cfr J.B. VALVEKENS, *De visitatione canonica abbatis Parcensis Drusii in Hispania*, in *An. Praem.*, LVII, 1981, 72. Hinc titulus «Procurator Ordinis apud Curiam Romanam». Antea, a 19 decembris 1644 ad 23 maii 1645, una cum Petro Carrette, Romae in collegio S. Norberto commoratus est cum contra Simonem Raguet, abbatem generalem electum, ageret. cfr AAT, Coll. Rom., Reg. n° 3, p. [13].

[26]) Cfr. L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. I, p. 100 s.; IV, p. 267.

[27]) I. Luckenradt († 14 sept. 1680) postea, annis 1661-1680, est abbas Steinfeldensis. Cfr. L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. I, p. 544; t. IV, p. 177.

[28]) Inde ab anno 1645, abbatia S. Martini Laudunensis erat sub dominio abbatis commendatarii, qui, annis 1645-1661, erat cardinalis Mazarin. De B. Liégault, cfr. L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. I, p. 512; t. IV, p. 266.

[29]) Cfr. L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. II, p. 241; t. III, p. 192.

(704) Vener. Pater Claudius Faure, Prior Branensis, Baccalaureus.

Vener. Pater Augustinus Guillard, Prior Ardenensis, Vicarius Communitatis antiqui rigoris.

Ven. Pater Epiphanius Louys, Prior Mussipontanus, a Communitate antiqui rigoris deputatus[30]).

Fr. Petrus Theueren, Religiosus Knesthedensis, sui Reverendi Praelati Domini Leonardi Theueren procurator[30bis]).

Frater Petrus Carette, Prior Gaudii Vallis, decretorum doctor[31]).

Ven. Pater Claudius Cailleu, Prior Carthovorensis.

Ven. Pater Gerardus Barbarant, Prior Vallis Secretae, sui Reverendi Praelati socius.

Ven. Pater Ioannes Lessot, Prior Vallis Christianae.

Ven. Pater Gerardus Chant(?), Prior Loci Restaurati .

Ven. Pater Iosephus Grelle, Prior Lucernae.

Ven. Pater Franciscus Martin, Prior Belli Portus.

Ven. Pater Ioannes Baptista Even, Prior Dei Loci in Iarda.

Ven. Pater Ludovicus Eustache, Prior de Blanchalanda.

Ven. Pater Ludovicus du Puys, Prior Sancti Petri Selincurtensis.

Ven. Pater Aegidius le Tham, Prior Perrodii Novi.

Ven. Pater Claudius Lesquiere, Prior Sancti Ioannis Ambianensis, decretorum licentiatus.

Ven. Pater Thomas Forville, Prior Albae Curiae, sine praeiudicio.

Ven. Pater Lucas Forestier, sacrae Theologiae licentiatus, Prior Ressonii.

Ven. Pater Ioannes Lusan, Prior Villae Dei.

Ven. Pater Ioannes Penillon, Prior Albae Curiae, sine praeiudicio.

Ven. Pater Martinus Gannerot, Prior Camerae Fontis.

Venerabilis Pater Nicolaus Aubert, procurator in curia Parisiensi.

Ven. Pater Nicolaus Le Bel, Supprior Sancti Ioannis Ambianensis, necnon Magister Novitiatus communis Circariae Pontivi.

Ven. Pater Nicolaus Sorigleux, Provisor de Blanchalanda.

Frater Iacobus Creteil, socius Domini Abbatis Vallis Serenae.

Frater Petrus Noguez, iuvenis professus Casae Dei.

Ven. Pater Franciscus Brochet, Suppior Bellosannae.

[30]) E. LOUYS († 23 septembris 1682), fuit annis 1663-1682 abbas Stivagii (Étival). Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. III, p. 71; J.M. VAILLANT, art. *Louys (Epiphane)* in *Dict. de Spirit.* IX, 1976, coll. 1088-1089.

[30bis]) Petrus Theveren fuit abbas Knechtstedensis annis 1678-1698 cfr. N. BACKMUND, I, 223.

[31]) P. Carette († 18 julii 1684) fuit annis 1658-1669 procurator generalis Ordinis apud Curiam Romanam. Cfr. L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. IV, p. 264.

Frater Nicolaus Wireit, canonicus monasterii Marchtallensis.

Ven. Pater Nicolaus Colart, sacrae Theologiae doctor, Canonicus Praemonstrati, Pastor in Genlis[32]).

Ven. Pater Petrus Patissier, Prior Hermeriarum.

Ven. Pater Godefridus Kistner, Supprior Cellae Omnium Sanctorum.

Frater Franciscus Freisleben[33]), secretarius Circariae Moraviae.

Frater ... Berchet, Canonicus Capellae ad Plancas, deputatus a suo Priore.

Primam summum Missam celebravit Reverendus Dominus Sancti Martini, a Reverendissimo Domino Praemonstratensi[34]) deputatus.

Sessio prima.

Orationem habuit pater Supprior Praemonstratensis.

(*De hac sessione prima fere nihil refert secretarius Capituli in sua relatione. Plura reperiuntur in diario Ioannis Luckenrath*[35]), *praeses Collegii Praemonstratensis Coloniensis. Haec habentur in ms. Nancy 1767 (994), pp. 282r°-291v°*: «Die Dominica 29. Aprilis in area ante maiorem portam Ecclesiae Praemonstratensis convenimus, et iuxta catalogum pridie conscriptum (nomine scilicet omnium quae ad Capitulum convenerant) distributa sunt singulis loca: Circariae Westphaliae sextus. Sermo habitus a Suppriore Praemonstratensi, futuro Procuratore in Urbe Romana, in Capitulo Conventuali, non vero in sedibus Capituli Generalis ... Thema sermonis sumptum erat: Math. 13: Domine Deus, nonne bonum semen seminasti in agro; unde ergo habet zizania? Hoc fecit inimicus homo! Divisus erat in tres partes, quarum prima versabatur circa pastores Ordinis nostri, qui bonum eius semen et famam per incontinentiam, liberam vitam et eorum mores corrumperent. 2a tendebat contra Abbates ambitiose incedentes, et per multitudinem rhedarum, mulorum, conviciorum bona suorum Monasteriorum dissipantes; ex divo Bernardo multa huc adferebat. 3a pars invehebatur in claustrales Religiosos libertatem affectantes. Plerisque Capitulantibus visa est oratio nimis densata et praecocis ingenii fructus. Eapropter etiam D. Generalis adveniente hora prandii iussit oratorem finem facere»).

[32]) Cfr. de Colart Nicolao, seu Collart († 1687): L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. IV, 264.

[33]) Fr. Freisleben († 3 sept. 1677), postea est abbas Plagensis = Schlägl, annis 1666-1677. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 378. L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. I, p. 270 s.

[34]) A. le Scellier.

[35]) Cfr. nota 27.

(705) *Sessio secunda, post meridiem.*

[1] Obedientiam praestiterunt Capitulo Generali Reverendissimus Dominus Praemonstratensis[36]).

Et vero Reverendissimo Patri Generali et Capitulo:

Rev. Dominus Cuissiacensis[37]); Rev. D. Domni Martini[38]), suo et Rev. Domini Abbatis Sancti Andreae in Nemore[39]), Vicarii Pontivi, procuratorio nomine; Rev. D. Lucensis[40]), suo et Circariarum sibi creditarum procuratorio nomine; Rev. D. Vitus Rosseler[41]), Abbas Siloensis; Rev. D. Claudius, Abbas Vallis Secretae[42]); Rev. D. Windbergensis[43]), suo et Circariae Bavariae nomine; Rev. D. Abbas Vallis Serenae[44]); Rev. D. Abbas Sanctae Mariae Mussipontanae[45]); Rev. D. Abbas. Wiltinensis[46]), suo et Bavariae procuratorio nomine; Rev. D. Edmundus Buciliensis[47]); Rev. D. Nicolaus Clarifontis[48]); Rev. D. Augustinus Soretanus[49]), suo et Sueviae procuratorio nomine; Rev. Bonaventura Rengisvallis[50]); Rev. D. Perpetuus Lefflensis[51]),

[36]) A. le Scellier.

[37]) I. Amour.

[38]) Ph. Babeur.

[39]) Annis 1636-680. Nicolaus Ledé abbas fuit S. Andreae in Nemore = St. André-au-Bois (in dioecesi Atrebatensi). Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. II, p. 564. — Huic Capitulo personaliter non intererat.

[40]) M. Paul.

[41]) Cfr. supra, n. 6.

[42]) Cl. Lestendart.

[43]) M. Fuchs.

[44]) D. de Lorris.

[45]) N. Guinet.

[46]) D. Löhr.

[47]) E. Sauvage.

[48]) N. Dousset.

[49]) A. Arzet.

[50]) B. Messin.

[51]) P. Noizet (Noizé), fuit abbas Leffiensis annis 1653-1672. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. II, p. 388. Quoad absentiam abbatum circariarum Floreffiae, Flandriae et Brabantiae, adest prohibitio regia vetans quominus praelati praedicti ad capitulum generale Praemonstrati accedant ratione belli inter coronas Galliae et Hispaniae (H. HAUTMAN-DESMEDT, *De zuidelijke Nederlanden na de vrede van Munster 1648-1678*, in *Algemene Geschiedenis der Nederlanden*, t. 8, Haarlem, 1979, p. 300) qui anno 1659 finem cepit per pacem Pyrennaearum. Copia litterarum nomine regis die 26 februarii 1657 ad abbatem Parcensem Libertum de Pape missarum prostat in AAT, 53 *Capitula Generalia*, n° 37. Ad hanc prohibitionem alludit idem Libertus de Pape dum 16 Iunii 1657 ad Gregorium du Crocq rescribens se defendit contra indignationem abbatis generalis dicens: «Prohititum fuitne Brabantinis in persona convenire?» Cfr. Pl. LEFÈVRE, *Un conflit entre le général et les abbés du Brabant en 1656*, in *An. Praem.*, 9, 1933, 253, qui tamen existentiam huiusmodi prohibitionis ignorare videtur.

[51]) L. le Conte.

suo et Floreffiae, Brabantiae et Flandriae procuratorio nomine[52]); Rev. D. Ludovicus le Conte, Marchasii Radulphi; Rev. F. Hilarion Rampant[53]), Stivagiensis; Rev. D. Damascenus Bonifageti[54]); Rev. D. Servatius Iustimontis[55]); Rev. D. Anastasius, praepositus Omnium Sanctorum[56]); Rev. D. Ioannes, praepositus Hinsbergensis[57]); Rev. D. Ioannes, coadiutor Sancti Ioannis de Castella[58]), suo et Rev Abbatis eiusdem loci, Gasconiae Vicarii[59]), procuratorio nomine; Rev. D. Petrus Teueren[60]), Rev. sui Abbatis Knechtstedensis procuratorio nomine; Ven. Pater Ioannes Penillon, Rev. D. Ludovici Soppite, Abbatis Albae Curiae[61]), procuratorio nomine.

[2] Item, Reverendissimus Dominus Praemonstratensis iuxta Dist. 4. Statutorum cap. 5., num. 1, declaravit omnes commissiones tam a se, quam a Capitulo Generali concessas, esse revocatas, et easdem in sua manu resignatas acceptavit.

[3] Item, quia Capitulo intererat solus ex tribus primis Patribus, R.D. Cuissiacensis[62]), Rev. Dom. Generalis pro prudenter a se assumendis Definitoribus elegit sibi in Consiliarios, videlicet RR. DD. Abbates Domnimartinensem[63]), Lefflensem (706)[64]), Lucensem[65]), Mussipontanum[66]), Soretanum[67]), Wiltinensem[68]), Vallis Serenae[69]), et praesidem Collegii nostri Coloniensis[70]); qui consilia sua conferentes, inciderunt in quaestionem an Priores monasteriorum commendatorum vocem haberent in Capitulo, et Prioribus id asserentibus, Reverendissimus D.

[53]) Cfr. supra, n. 17.
[54]) I.D. Perrin.
[55]) S. Regnault.
[56]) A. Schlecht.
[57]) I. a Dillen.
[58]) I. de Lompagieu.
[59]) Petrus de Lompagieu.
[60]) Annis 1619-1666 Leonardus Teueren (seu Teveren) abbas erat Knechtstedensis (in dioecesi Coloniensi). Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 223. Petrus Teveren regimen canoniae assumpsit anno 1678. Cfr. Ibidem.
[61]) L. Sopitte. qua abbas, anno 1661, succedit I. Penillon, qui annis 1661-1702 abbas erit. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. II, p. 543.
[62]) Is. Amour.
[63]) Ph. Babeur.
[64]) P. Boizé.
[65]) M. Paul.
[66]) N. Guinet.
[67]) A. Arzet.
[68]) D. Löhr.
[69]) D. de Lorris.
[70]) I. Luckenrath.

Praemonstratensis ait non praevertendum esse Capituli ordinem, sed prius assumendos esse Definitores, qui de rebus eiusdem Capituli diiudicarent: itaque de consilio Rev. admodum Domini Cuissiacensis, et RR. DD. supra memoratorum, Reverendissimus D. Praemonstratensis assumpsit et assumpitos declaravit Definitores:

Praeter R.D. Cuissiacensem, RR. DD. Domnimartinensem, Lucensem, Vallis Serenae, Mussipontanum, Lefflensem, Wiltinensem, Soretanum, Siloensem, Vallis Secretae, Windbergensem, Buciliensem, Praepositum Omnium Sanctorum[71]), Priorem Praemonstratensem[72]), Priorem Scholarium, seu Praesidem Collegii Praemonstratensis in Colonia[73]).

In Talliarum collectores declaravit Rev. D. Stivagiensem[74]), et Priorem Sancti Petri Selincurtensem[75]).

In concedentes participationem orationum, assumpsit Rev. Patrem Petrum Thienville, quondam Sanctae Mariae Mussipontanae Abbatem[76]).

In Secretarium assumpsit: Rev. Patrem Gregorium du Crocq, Procuratorem Ordinis in Urbe Roma[77]).

Notarios declaravit: Patrem Franciscum Freisleben, coenobii Plagensis[78]), secretarium Bohemiae et Patrem Patissier, Priorem Hermeriarum[79]), et Ludovicum Barbaran, canonicum Sancti Martini Laudunensis[80]), et Ioannem Trossier, canonicum Praemonstrati[81]).

In examinatores litterarum a Capitulo sigillandarum assumpsit R.D. Domnimartinensem[82]), et R.D. Wiltinensem[83]).

In Sigillatorem: Antonium Hardy, Canonicum Praemonstratensem[84]).

(707) In Circatorem: Rev. D. Rengisvallis[85]).

[71]) A. Schlecht.
[72]) A. Gosset.
[73]) I. Luckenrath.
[74]) B. Rampant.
[75]) L. du Puys.
[76]) Cfr. supra, n. 29.
[77]) Cfr. supra, n. 25.
[78]) Cfr. supra, n. 33.
[79]) Inde ab anno 1641, abbatia Hermeriarum = Hermières (in dioecesi Meldensi = Meaux) erat sub dominio abbatis commendatarii.
[80]) Cfr. de Barbaran L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. I, p. 24: t. IV, p. 212.
[81]) Nomen huius religiosi nec invenitur in *L'Obituaire de l'abbaye de Prémontré*, ed. R. VAN WAEFELGHEM, Louvain, 1913.
[82]) Ph. Babeur.
[83]) D. Löhr.
[84]) Antonius Hardy (Hardius) postea prior abbatiae Gaudii Vallis, dein rector paroeciae de Jocourt et tandem abbas Belli Loci (1685-1686) factus est. Cfr. *L'obituaire de Prémontré*, p. 77, sub die 28 martii [1686]; N. BACKMUND, t. II, p. 483.
[85]) B. Messin.

In Promotorem: Nicolaum Aubert, religiosum Branensem et procuratorem provinciarum Franciae et Pontivi in Urbe Parisiensi.

In auditores Quaestionum in Statuta et Ordinarium: R.D. Lucensem[86]), R.D. Siloensem[87]), Praepositum Omnium Sanctorum[88]), Priorem Praemonstratensem[89]), Priorem Scholarium Coloniensium[90]), et Priorem Sancti Ioannis Ambianensis[91]).

Secunda die Missam faciet Rev. admodum Dominus Cuissiacensis[92]); tertia R.D. Lucensis[93]).

[4] Item, Reverendissimus D. Praemonstratensis declaravit omnes Abbates et Praepositos in omnibus sessionibus vocem habere deliberativam, et ubi fuerit controversia, a Definitoribus resolvatur, et eorum decisioni stabitur. Doctores vero et Baccalaureos habere vocem consultivam.

Et idem Rev. Dominus Praemonstratensis Rev. Patrem Thienville, quondam Abbatem Mussipontanum, iussit sedere post Abbates pro consilio.

[5] Item, iussit Revmus D. Generalis legi Catalogum totius Ordinis iuxta Ordinem Circariarum in antiquis Praemonstratensis Ecclesiae codicibus repertum, et quia horam sextam vespertinam praetergrediebatur sessio, Rmus Pater Generalis eam declaravit terminatam esse, dum ventum est ad Circariam Lotharingiae, et indicavit futuram hora octava matutina diei sequenti sessionem.

Die trigesima Aprilis anni 1657.
Sessio tertia.

Celebrata in Pontificalibus per admodum R.D. Cuissiacensem[94]) Missa, itum est ad Capituli Generalis concionem, et solitis ad Deum precibus fusis, continuata est lectio catalogi monasteriorum Ordinis ad notandas absentias, in cuius lectione RR. DD. Germaniae retulerunt plurima quae specificaverunt ab haereticis retineri, et etiam a Catholicis Principibus indebite occupari monasteria, contra quos detentores Capi-

[86]) M. Paul.
[87]) V. Rösler.
[88]) A. Schlecht.
[89]) A. Gosset.
[90]) I. Luckenrath.
[91]) Cl. Lesquiere.
[92]) I. Amour.
[93]) M. Paul.
[94]) I. Amour.

tulum protestatum est, prout protestatur de violenta et indebita occupatione, declaravit suum in ea ius retinere velle, nec illud umquam velle abdicare.

[6] Item, Capitulum declaravit contumaces RR. Abbates Circariae Hispaniae, Bellelagiensis, Sancti Pauli Senonensis, et Priorem Thenoliae et Sancti Andreae Claromontensis[95]), coeterosque absentes excusabit.

(708) Item, discussa est quaestio an Priores Monasteriorum commendatorum possent esse Definitores. Auditis Definitoribus Praelatis et Prioribus, Definitores secesserunt in Definitorium, et in discussione difficultatis reliquum sessionis occupatum est, et tandem declaratum est a Revmo Generali praesentem sessionem terminatam esse; in hac autem sessione examinatum fuisse decretum Capituli Generalis anni 1625, cuius tenor sequitur: *Item, cum numerus Abbatum Capitulantium propter commendatorum crescentem multitudinem non mediocriter minuatur, idcirco matura Patrum deliberatione praehabita, Capitulum praesens definit et ordinat quod deinceps futuris perpetuisque temporibus omnes et singulos monasteriorum commendatorum Priores, necnon Provinciarum deputati Procuratores possint et valeant in hoc Patrum consistorio, in Capitulo Generali sedere, assistere et in definitores assumi*[96]). Cuius decreti vigore dicti Priores, Procuratores praetendebant sine electione debere cum Abbatibus sedere, negotia tractare et deliberare.

Sessio Quarta. Die 30a Aprilis.

[7] In hac sessione ventilatum est praedictum circa vocem Priorum decretum, et subsequentibus publicatum; decernit Capitulum quod Vicarii Circariarum, quae regulares non habent Abbates, vel si habent, ipsi tamen non comparent in Capitulo Generali, et earum Deputati seu earumdem aliqui Priores possunt in definitores eligi, ita tamen quod eorumdem Vicariorum et Deputatorum seu Priorum non excedat quartam partem Abbatum vel Praepositorum in definitores assumptorum.

[8] Item, Capitulum decrevit annuas omnium Monasteriorum visitationes, et ne deinceps intermittantur, instituantur non solum Vicarii Revmi Domini Praemonstratensis, cum potestate substituendi, sed etiam in qualibet Circaria instituatur Visitator, qui authoritate Capituli Generalis Circariam intra triennium semel totam, visitet, etiam Monasterium Vicarii ipsius iuxta Statuta Ordinis.

[95]) Contumaces declarantur ii qui Capitulo interesse debebant et excusationem pro absentia sua non miserunt.

[96]) Cap. gen. 1625, Acta. Cap. Gen., IV, p. 109.

[9] Item, decerni quod Vicarius visitaturus coenobia Ordinis debeat illa praemonere, ut si Pater Abbas Monasterii visitandi se ad visitandum praesentet, moneatur abstinere et cedere Vicario.

[10] Item, decernit quod Visitator Capituli Generalis, seu Circator visitet Circariam sibi commissam tertio solum anno, Vicarius vero duobus prioribus annis.

[11] Item, Reverendissimus Pater Generalis exposuit Novitiatum communem in Statutis tam operose commendatum, vix servari extra Circarias Franciae, Pontivi, et Communitatem antiqui rigoris. Tum Circariae Sueviae, Bavariae, Moraviae et Poloniae per suos deputatos supplicarunt, ne in his temporum calamitatibus, urgeantur ad erigendos communes (709) Novitiatus, donec meliora succedant tempora, et Capitulum annuendum eorum supplicationi censuit, prout et annuit; aliis vero Circariis praecipit statutum Ordinis de Novitiatu communi servari.

[12] Item, memoratae Circariae Sueviae, Bavariae, Bohemiae, Moraviae et Poloniae, per eosdem RR. DD. Deputatos allegarunt rationes, quibus persuaserunt Capitulo difficile sibi esse et pene impossibile servare Statuta quoad probationis seu novitiatus biennium, et supplicarunt illa, quod hoc, respective ad dictas Circarias suspendi, donec potuerint erigere communem novitiatum et Capitulum annuendo suspendit prout supplicatum est.

[13] Item, Rev. Dominus Wadegotiensis[97]) petiit dispensationem quoad biennium novitiatus pro fratre Philippo Dan, suo novitio. Capitulum annuens dispensavit et dispensat, et usque ad novum Capitulum Generale proximum remittit ut cum futuris suis novitiis accedente consensu sui aut maioris sui conventus partis, possit dispensare in sex mensibus biennii.

[14] Item, Reverendissimus Dom. Generalis exposuit quod Ecclesia Praemonstratensis ab anno 1625 non fuerit visitata, ideo frequentiori eius visitationi providendum, et ab aula capitulari suas praesidendi vices R.D. Abbati Domnimartinensi[98]) committens recessit, et donec propositio discuteretur et definiretur abfuit, sicut Prior Praemonstrati, atque Secretarius Capituli, uti dictae Ecclesiae canonicus; parvo post intervallo, idem Praemonstrati Prior, nomine Conventus supplicavit sibi licere suggerere Abbates, qui ad visitationem huiusmodi de gratia concedi possent. Capitulum annuens, et habita desuper consultatione, deputavit

[97]) Ph. Gretsch.
[98]) Ph. Babeur.

et deputat in visitatores Ecclesiae Praemonstratensis, RR. DD. Abbates Domnimartinensem, Vallis Serenae, Lefflensem, pro hac sola visitatione, sedente Capitulo facienda, iuxta constitutionem Innocentii quarti datam Lugduni 16. Kal. Aprilis, Pontificatus anno tertio[99]). Ut quidquid fuerit in dicta Ecclesiae corrigendum, Reverendissimo Dom. Abbati Praemonstratensi iniungant, ut illud absque morae dispendio corrigere non omittat.

[15] Item, definit Capitulum quod quando desunt vel neqeunt Praemonstratum accedere tres primi Abbates simul, potest Capitulum Generale Abbatem, seu Abbates deputare, qui coniunctim cum eo, vel in iis qui potuerint accedere, dictam Ecclesiam Praemonstratensen visitet seu visitent.

Sessio quinta.

[16] Item, decrevit Capitulum nominaturum et deputaturum Praelatum qui duobus sequentibus annis Praemonstratum visitent, dum in fine huius Capituli deputabit Visitatores.

[17] Item, Capitulum consideratis multis iisque gravissimis incommodis, quae ex Statuto Ordinis anno 1630 (710) in lucem edito et confirmato praescribente quod electionis Abbatis Praemonstratensis diem indicare debeant tres primi Abbates[100]), videlicet St. Martini Laudunensis, Floreffiensis et Cuissiacensis, nascerentur, decrevit et decernit redeundum esse ad antiquam consuetudinem, et usque ad dictum annum millesimum sexcentisimum trigesimum observatum (de quo Capitulo per legitima documenta constitit) qua Conventus Ecclesiae Praemonstratensis dictum diem Electionis tribus primis Abbatibus indicit, non obstante dicto Statuto, dist. 4, cap. 12, n. 3, cui derogat.

[18] Item, decernit quod si contingeret tres primos Abbates per indictionem praemonitos deesse, praesidebit Electioni Abbatis Praemonstratensis ille ex quattuor filiis Abbatibus ad consilium a conventu Praemonstratensi vocatis qui fuerit fundatione antiquior.

[19] Item, Priores accesserunt ad Revmos Definitores et vigore decreti anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti, quod incipit: *Item, cum numerus*, etc. petierunt consultivam vocem sibi dari, Capitulum respondit eos posse in Definitores assumi, et post Abbates sedere, quando in

[99]) Bulla *Rei quam rectitudinis*, ed. J. Le Paige, BPO, p. 668-669.

[100]) *Statuta candidi et canonici Ord. Praemonstratentis*, 1630, Dist. IV, cap. 12, n. 3.

Deinitores eligentur, et sedere iubentur, praedictumque decretum significare habilitatem, non actum.

[20] Item, Capitulum decernit quod vacante Ecclesia Praemonstratensi, iurisdictio Circariarum erit penes Vicarios Revmi Domini Praemonstratensis, et in casu mortis Vicariorum, penes Visitatores Circatoresque, authoritate Capituli Generali creatos.

[21] Item, ad facilitandas Ordinis visitationes Capitulum decernit atque definit quod Prior Ecclesiae Praemonstratensis, Procurator item Ordinis in Curia Romana et Prior Collegii Praemonstratensis Parisiensis possint deputari ad canonice visitanda etiam monasteria quibus praesunt Abbates regulares, sicut in antiquo.

[22] Item, super articulo proposito, verbis sequentibus, videlicet in actis Capituli Generalis anni 1523[101]) et 1527[102]), quod vacantibus Ecclesiis, Patres Abbates earumdem et non Capitula, seu Priores earum, habebunt omnimodam administrationem, tam in temporalibus quam in spiritualibus, dempto Priore Praemonstratensi sufficiente possessione, et debito privilegio fundato, supplicatur ut Capitulum dignetur eiusdem decretum quatenus Priorem Praemonstratensem concernit confirmare, Capitulum censuit desuper conventum Praemonstratensem esse audiendum et eo audito, decernatur quod fuerit iuris et aequitatis.

[23] Item, ad propositionem sub his terminis factam, videlicet: videtur Ordini deesse sufficiens membrorum cum Capite communicatio, ideo quaeritur an Capitulum non debeat speciali et expresso decreto praecipere ut quaelibet Circaria, vel quodlibet Regnum mittat Praemonstratum aliquem peritum Religiosum qui uti Procurator et consiliarius, et debita a suis principalibus sustentatione munitus, Revmo Generali assistat, suae Circariae seu Regni negotio ei communicato, tractetque cum eo et consilium conferat[103]), respondit Rev. Abbas Lucensis eiusdem propositionem non venisse in mentem suorum Coabbatum, et neminem hactenus fuisse in Circaria quam sibi Revmus Pater Generalis commiserat, qui de subreptione aliqua, aut negligentia in expediendis (711) occurrentibus negotiis contra Revmum Patrem Generalem conquestus fuerit, se quidem

[101]) Acta Cap. Gen., II, 305.

[102]) In actis capituli generalis anni 1527 nullum de hac re invenitur decretum. In capitulo generali anni 1657, n° 30 remittitur tantum ad decretum capituli generalis anni 1523.

[103]) Affirmat Gregorius du Crocq in glossa ad acta capituli generalis anni 1605 (Acta Cap. Gen. IV, 24-25) se huiusmodi proposuisse innovationem. Attamen iam invenitur inter puncta reformationis a Joanne Coomans et Gerardo Meyz anno 1644 exarata, cfr. L.C. VAN DIJCK, *L'affaire Raguet*, *An. Praem.*, LI, 1975, p. 49.

propositionem valde probare, sed rogare ut supersedeatur decreto desuper dando, donec ipse cum suis Comprovincialibus contulerit, eorumque sensum exquisierit. Item rogarunt RR. DD. Abbates Sueviae et Bavariae, quorum supplicationi Capitulum censuit annuendum et annuit, et quaestionis decisionem ad proximum Capitulum Generale remisit.

Sessio sexta. 1a Maii pomeridiana.

[24] Item, Capitulum illum articulum Capituli provincialis Circariarum Franciae et Pontivi in coenobio Vallis Serenae, die 5a et sequentibus mensis Martii anni 1656, celebrati in quo sic habetur: Quaesitum an pro bono reformationis Provinciarum non expediat Religiosos de coenobio in aliud translatos vero donari voce activa et passiva, ac si essent professi in propria domo, responsum est hoc remedium non tantum opportunum esse, sed necessarium videri in praesenti Circariarum statu, atque adeo definitum esse, quod quotiescumque pro bono reformationis continget aliquos Religiosos a legitima authoritate in aliud Ordinis coenobium, diversum a suae professionis monasterio submitti, sive ut sint Officiales, sive Conventuales sint, gavisuri omnibus iuribus et causis, voce activa et passiva, simul et stallo, seu loco suae professionis ac si essent in monasterio ad quod mittuntur expresse professi, statimque hoc decretum vim suam obtenturum usque ad Capitulum Generale proximum; Capitulum confirmat et in futurum etiam vim habere decernit; excepta Electione Praelatorum ad quam non habent vocem activam, qui ad aliud Monasterium iuxta Ordinis Statuta dist. 4ae, num. 8. 9. et 10. mittuntur.

[25] Item, Capitulum decernit esse expediendam commissionem RR. DD. Circariae Germaniae ut ad monasteria non reformata vel etiam recuperanda vel recuparata introducant Religiosos bene disciplinatos, quo reformationem in illa introducant; quibus ita introductis Capitulum dat, confert et communicat potestatem exercendi in supradictis monasteriis omnes et singulos actus capitulares et alia quocumque modo et reformationem secundum formam Ordinis et Statutorum introductionem, seu etiam manu tenendum erunt necessaria vel opportuna. Et mandat Capitulum Superioribus et Religiosis qui in supradictis monasteriis extiterunt ut recipiant eiusmodi a Vicariis ut supra introductos. Quod si recusaverint, possunt a supradictis Vicariis omni via iuris et facti, etiam per excommunicationem compelli, ut fiat commissio in amplissima forma.

[26] (712) Item, ne aliquis abusus Pontificalium irrepat, Vicarii gene-

rales Circariarum privilegia sibi exhiberi faciant ubi dubium subortum fuerit.

[27] Item, decernit et mandat omnibus RR. DD. Abbatibus et Praepositis qui sunt Praelati, etiam iis qui sunt de Communitate antiqui regoris, ut mozetis, iuxta Ordinis Statuta, utantur[104]).

[28] Item, auditis RR. DD. Abbatibus Communitatis antiqui rigoris atque Venerabilibus ff. Petro Thienville[105]), Augustino Guillard, Reverendisimi Generalis in dicta Congregatione Vicario[106]) et Louys[106]), ab eadem Communitate deputatis Religiosi super Collariis laneis, quae contra Ordinis Statuta gerunt[107]), Capitulum decernit videnda esse decreta Capituli Generalis annorum 1618, 1619 et sequentium[108]).

[29] Item, quaesitum est an Capitulo Generali placeat in crastinum diem decernere solemnem supplicationem et processionem ad introducendas in Ecclesia Praemonstratensi cum debito honore sacras Sanctissimi Patris nostri Norberti reliquias Strahoviae ad Reverendissimum Patrem Generalem anno 1644 transmissas, et hactenus Parisiis propter securitatem asservatas Capitulum respondit: Placet. Et Revmus Generalis Rev. Domino Wiltinensi[109]) ut in Pontificalibus processionem et Missam hora sexta matutina die praedicta celebrare mandat et septimam sessionem in diei sequentis horam nonam matutinam indixit.

Sessio septima. Die secunda Maii.

Die secunda Maii anni 1657, post exhibitos sacris Sanctissimi Patris Norberti reliquiis honores decretis, solemnem videlicet processionem et Missam ad aulam capitularem RR. DD. convenere solutis precibus.

[30] Capitulum Generale examinatum decretum alterius Capituli Generalis anni 1523, in quo dicitur quod vacantibus Ecclesiis Patres Abbates earumdem et non capitula seu Priores earumdem habebunt omnimodam administrationem sive in spiritualibus quam in temporalibus[110]), dempto Priore Praemonstratensi, sufficienti postulatione et debito privilegio fundato, supplicationemque pro parte Praemonstraten-

[104]) Praescriptum hoc in Statutis Ordinis anni 1630 habetur in Distinctione II, cap. 19, nr. 29.

[105]) Cfr. supra. n. 29.

[106]) Cfr. supra, n. 5.

[107]) E. Louys. Cfr. supra, n. 30.

[108]) De collaribus gestandis a canonicis agunt Statuta anni 1630, Dist, II, cap. XIX, nr. 13.

[109]) D. Loër.

[110]) Cfr. Acta Cap. Gen., II, p. 305.

sis conventus eidem Capitulo proposita, ut dignaretur dictum deretum quoad Priorem Praemonstratensem ad incudem revocare, audita Praemonstratensis Conventus mente, innovat et quoad Priorem Praemonstratensem innovatam declarat, hoc addito quod eidem Priori Praemonstratensi in administratione praedicta adiungantur quattuor Canonici a Conventu eiusdem Ecclesiae eligendi, sine quorum consilio et consensu ad pluralitatem vocum nihil possit decernere.

[31] Item, respondit negative ad quaestionem qua quaerebatur an Doctores aut Lectores Theologiae non sint aliquo honoris privilegio donandi.

[32] Item, Capitulum Generale strictissime mandavit et mandat omnibus Ordinis professoribus, ut habito in Statutis praescripto et specificato (713), tam quoad formam quam quoad colorem utantur. Verum indulget supplicationi humiliter factae per deputatos Communitatis antiqui rigoris de gratia requirentis ne iubeantur ante proximum Communitatis praedictae provinciale Capitulum collare lineum in Statutis specificatum[111]) assumere, et interim declarat, auditis dictorum deputatorum rationibus in contrarium adductis, iisque mature consideratis, collare non esse indusii seu interioris camisiae partem, et posse a Communitate antiqui rigoris sine scandalo assumi[112]).

[33] Item, Capitulum ordinat et mandat Venerando Patri fratri Augustino Guillard, Vicario Reverendissimi Patris Generalis in Communitate antiqui rigoris, et deputatis ab eadem iam antea nominatis, ut infra annum exhibeat seu exhibeant Reverendissimo Patri Generali authenticum seu figuratum interpretationis articulorum Reformationis exemplar. Et Reverendissimus Pater Generalis de more declaravit hanc sessionem esse terminatam, et indixit alteram ad horam secundam pomeridianam, in qua praemonuit negotia Poloniae et remotiorum Provinciarum seu Circariarum esse discutienda.

Sessio octava. Die 2a Maii post meridiem.

[34] Capitulo Generali exposuerunt RR. DD. Westphaliae, Sueviae, Bavariae, Bohemiae, Poloniae, Hungariae et Moraviae se haberi in commissis petere, ut cum dictis Circariis defuerint Vicarii Revmi Domini Praemonstratensis, Praelati earumdem circariarum possint eidem Revmo Domino Praemonstratensi per litteras ab ipsis subscriptas suggerere duos

[111]) Cfr. supra, n. 108.

[112]) Vide quóad collaria P.F. LEFEVRE, *Une introduction romaine*, p. 139.

vel tres quos putaverint ad Vicariatus officium idoneos, ut Revmus Dominus Generalis possit unum ex ipsis vel etiam si ipsi videbitur alium assumere Vicarium. Capitulum concessit et concedit, indulsit et indulget Circariis Westphaliae, Sueviae, Bavariae, Bohemiae, Poloniae, Hungariae et Moraviae, ut adveniente casu quo defuerit in iis Vicarius Revmi Domini Praemonstratensis, Praelatus antiquioris Monasterii Circariae vel Circariarum unitarum, de consilio Comprovincialium suorum per literas ab ipsis subscriptas, Revmo Domino Praemonstratensi intra duos menses a defectu Vicarii duos vel tres eiusdem Circariae vel Circariarum unitarum Praelatos, quorum unus, vel etiam alius, si ita videbitur, Revmus Dominus Praemonstratensis in Vicarium assumet; quod si infra trimestre non fuerit facta eiusmodi suggestio, Revmus Dom. Praemonstratensis pro suo arbitrio providebit, et erunt omnes Vicarii ad nutum Revmi Domini Generalis semper amovibiles.

[35] Item, decernit non esse deinceps in Polonia constituendum Vicarios, aut Vicariorum Substitutos, nisi Abbates vel Praepositos veros Praelatos Ordinis iurisdictionem et correctionem humiliter subeuntes.

[36] (714) Item, Capitulum decernit Circariam Bohemiae, Poloniae, Hungariae et Moraviae manere unitas, seu sub uno Vicario, donec aliud Revmo Domino Praemonstratensi, vel Capitulo Generali, visum fuerit.

[37] Item, Capitulum advertens sex articulos per litteras Rev. Domini Stanislai Praepositi Krisanovicensis[113]) in Poloniae sibi propositos non fulciri Comprovincialium adstipulatione committendum esse censuit et committit Rev. Domino Vicario ut inquirat de eorum veritate et quod iuris fuerit decernat.

[38] Item, Capitulum decernit Iuniores professos in minoribus constitutos non habere vocem activam in electionibus, nisi ubi fuerit contraria consuetudo.

[39] Item, definit Superiores posse Religiosos suos actualiter studiis incumbentes a recitatione Officii Beatae Virginis, defunctorum, et septem psalmorum poenitentialium eximere.

Definit etiam Capitulum Superiores posse Religiosos suos in maioribus ordinibus constitutos ratione studiorum a recitatione divini Offidii absolvere.

[40] Item, lecta sunt publice et a Capitulo examinata plura puncta a Reverendo Domino Bernardo Sutore, abbate Strahoviensi[114]) trans-

[113]) Monasterium Kryzanowice (in dioecesi Kielcensi = Kielce): cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 415-416.

[114]) B. Sutor abbas fuit in Strahov (in civitate Pragensi) annis 1656-1658. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 382.

missa, ac desuper auditi RR. DD. Abbates Lucensis et Siloensis[115]), Circariarum unitarum Bohemiae, Moraviae, Hungariae et Poloniae deputati, in primis Capitulum censuit expediendam esse commisionem alicui earumdem Circariarum Praelato qui partes audiat, statum rerum in pluribus ex dictis punctis contentarum perspiciat, et plenam informationem ad Revmum Dominum Praemonstratensem transmittat.

[41] Item, ad supplicationem Rev. Domini Siloensis[116]) oretenus translatum, Reverendissimus Dominus Praemonstratensis dixit se scripturum R.D. Abbati Strahoviensi[117]), ne contra aliquem ex sola suspicione deinceps protestetur.

[42] Item, Capitulum mandavit Rev. Dom. Abbati Electi Sancti Vincentii Wratislaviensis[118]) ut documenta, si quae habeat, paternitatem in Coenobium Curwaldense[119]) sibi competere comprobantia ad Revmum Patrem Generalem transmittat interim in ea qua est possessione eum manere decrevit et decernit.

Item, Revmus Pater Generalis declaravit praesentem sessionem terminatam esse, et alteram indixit ad diei sequentis horam octavam matutinam.

Sessio nona. De mane diei 3ae Maii anni 1657.

[43] Capitulum pergens ad examen quaestionum a Rev. D. Bernardo, Abbate Strahoviensi[120]) propositarum, diffinit Circatorem conventualem retinere debere stallum suae professionis, excepto dum Capitulo praesidens culparum proclamationem audit, debeat ad locum Prioris vel Supprioris ascendere; item, dum in Refectorio praesidet.

[44] (715) Item, Capitulum mandat panaeresim a bonae memoriae Domino Gaspare Questenbergio, Strahoviensi Abbate[121]) compositam per R.D. Bernardum, modernum Abbatem Strahoviensem[122]) ad Revmum Dominum Praemonstratensem transmitti, ut decernat quid

[115]) M. Paul et V. Rösler.

[116]) V. Rösler.

[117]) M. Sutor.

[118]) M. Paul, abbas Lucensis, anno 1656, electus erat abbas S. Vincentii Wratislaviensis = Breslau = Wroclav. Cfr. supra, n. 4.

[119]) Praepositura Churwaldensis = Churwalden (sita in hodierna Helvetia) Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 57.

[120]) B. Sutor.

[121]) C. a Questenberg defunctus est 28 iunii 1640. Cfr. L. GOOVAERTS, *o.c.*, t. II, pp. 71-74.

[122]) B. Sutor.

sibi visum fuerit; interim dicta paraenesis maneat in terminis in quibus a Capitulo provinciali posita est.

[45] Item, libellum Sanctorum Bohemiae sibi exhibitam Capitulum legit, examinavit, approbavit, et cum resolutione conventus Praelatorum Plagae, anno 1651 [123]) celebrati supra huiusmodi sanctorum edita approbat.

[46] Item, Capitulum optat haberi lectores; permittit etiam aliunde assumi, donec ex Ordine assumi poterint.

[47] Item, Capitulum definit solum Revmum Dominum Praemonstratensem aut eius Vicarium posse Abbates deponere, et id non posse Patres Abbates speciali ad id commissione a Revmo Domino Praemonstratensi non munitos.

[48] Item, declarat satis per Statuta Ordinis esse contra abusum figuralis cantus, seu musica provisum, Distinc. quarta, cap. vigesimo primo, numero quarto [124]).

[49] Item, definit Patres Germaniae barbam, non curiosam, non alatam, sed aequalem alere, quantum si rasi ubique fuissent, posset per tres septimanas excrescere.

[50] Item, Capitulum mandat definitiones Capitulorum provincialium Bohemiae, Poloniae, Hungariae et Moraviae editas revideri in proximo Capitulo provinciali earumdem Circariarum, et revisam, ad Revmum Dominum Praemonstratensem, pro obtinenda approbatione transmitti.

[51] Item, gratum habuit et habet privilegium Circariae Sueviae, a foelicis recordationis Urbano octavo, anno 1628 concessum, quo eidem Circariae amplissima privilegiorum communicatio tribuitur [125]).

[52] Item, declarat recurrendum esse ad Sedem Apostolicam ut toti Ordini communicare omnia privilegia ab eadem Sancta Sede diversis illius membris concessa, dignetur; ideo mandat omnibus et singulis

[123]) In ms. Laon 538, 715 et in ms. Nancy 994, 207r° hic legitur «*Pragae*», sed legi debet «*Plagae*» (Schlägl), ubi anno 1651 abbates circariarum Bohemiae, Moraviae, Austriae et Silesiae convenerunt. Cfr. Cap. Prov. Bohem., 58 ss. et Archivum abbatiae Plagensis, *Schachtel* 13, ubi habetur series omnium coadunationum praelatorum praedictarum circariarum.

[124]) Statuta anni 1630 haec praescribunt, l.c.: «Violas, citharas, aliaque instrumenta, per quae curiositatis et vanitatis Religiosi notari possent, nulli habere liceat. — Musica, ubi superflua vel noxia, a Visitatoribus tollatur».

[125]) Privilegia illa non indicantur in *Actis: Capitula provincialia Circariae Suevicae (1578-1688)* ed. E. VALVEKENS, in *Anal. Praem.*, 1925-1927, I-III, pag. spec. non referunt elenchum horum privilegiorum.

Ordinis Superioribus, ut quae in locis, domibus, coenobiis, communitatibus, Circariis sibi commissis, habeant specialia privilegia, eorumdem copiam authenticam, Romam, ad deputandum Ordinis Procuratorem infra annum transmittant.

[53] Item, Capitulum decernit ut talliarum et Capituli praesentis expensarum collectores ad eodem Capitulo desuper deputati incessanter suo officio satisfaciant.

[54] Item, Capitulum decernit festum Sanctorum duorum Ewaldorum esse evehendum ad festum duplex, prout evehit et mandat indicari in proxima Breviarii editione.

[55] Item, ad quaestionem a Rev. Dom. Vito, abbate Siloensi[126]), propositam, an Praepositi Monialium aut etiam Patres Abbates earum possint ordinarios earumdem confessarios assignare saeculares, dum possunt haberi ex Ordine, respondit Capitulum et mandavit, et mandat non assignari debere saeculares, nisi iudicio Vicarii non possint ex Ordine haberi.

[56] Item, ad aliam eiusdem Rev. D. Siloensis[127]) quaestionem an iidem Monialium Praepositi teneantur regulares confessarios assumere ex solo monasterio Patris Abbatis, an vero (716) ex quolibet Ordinis Coenobio? Capitulum quaestionem restringens ad Praepositos qui sunt formales et veri Praelati diffinit eos non solum adstringendos ad confessarios ex monasterio Patris Abbatis assumendos.

[57] Item, a Rev. D. Lucensi[128]) propositum est quomodo invigilandum vagantibus, scandalosis, Ordinem denigrantibus foris personas Ordinis et suggessit fuisse visum Comprovincialibus iuxta laudabilem hactenus practicatam consuetudinem, ut per singulas provincias, instituatur aliquis Ordinis Praelatus, qui in similes serius et securius, si opus sit, animadvertat, hoc fine recenter modo declaratus est per Bohemiam Rev. Dom. Strahoviensis[129]), per Moraviam Rev. D. Vicarius generalis abbas Lucensis[130]), et superiorem Austriam Rev. Dom. Plagensis[131]), et

[126]) V. Rösler.
[127]) V. Rösler.
[128]) M. Paul.
[129]) B. Sutor.
[130]) M. Paul.
[131]) Annis 1626-166. Martinus Greysing erat abbas Plagensis = Schlägl (in dioecesi, olim Passaviensi, nunc Linciensi = Linz) Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 378; L. SCHUSTER, *Martin Greysing, der zweite Gründer Schlägls* in *Anal. Praem.* 1953, XXXIII, pp. 217-258.

inferiorem Rev. Dom. Gradicensis[132]), cuique ad hoc a Rev. Domino Vicario generali porrecto obedientiae authentico et patenti instrumento, Capitulum approbavit.

[58] Item, ad quaestionem Rev. Domini Lucensis an debeat tolerari quod Parochi mulctentur poenae pecuniariae cum non habeant in proprium, nec videantur posse sic puniri quia supponatur eos proprium habere. Capitulum respondet esse pro declaratione ad Sanctam Sedem Apostolicam recurrendum; et Reverendissimus Dominus Praemonstratensem hanc nonam sessionem decreto suo conclusit et aliam indixit ad horam secundam pomeridianam.

Sessio decima. Die tertia Maii pomeridiana.

[59] Fusis ad Deum solitis precibus, Capitulum discusso per aliquot sessiones negotio monasterii Mulovicensis[133]), et nullos professos habentis, decernit et mandat Rev. Dom. Siloensi[134]), eiusdem Milovicensis Patri Abbati, ut dicto monasterio Milovicensi de Abbate statim et sine mora de consilio Rev. Domini Vicarii generalis et unius vel alterius Abbatis eiusdem Circariae provideat. Quod si monasterium Strahoviense praetendat sibi fieri aliquarum in eiusdem Milovicensis coenobii recuperatione factarum expensarum refusionem, Capitulum provinciale illud audiat, et authoritate Capituli Generalis, cum eodem de parte reddituum illi per aliquot annos solvenda conveniat.

[60] Item, ad quaestionem a pluribus Capituli Patribus propositam, an quis acquirat ius paternitatis in aliquod monasterium per hoc ipsum quod illud monasterium suis expensis vel industria recuperavit, respondit Capitulum ius paternitatis acquiri per eum qui suis expensis deperditum monasterium recuperaverit, posse tamen et debere Patrem Abbatem in iura paternitatis restitui, refusis recuperanti expensis pro recuperatione factis.

[61] Item, exposuit Rev. Dom. Lucensis[135]) quod antehac monasterium Sancti Vincentii Wratislaviensis obtinuerit a Sede Apostolica exemptionem ab Ordine eo quod non posset habere ab Abbate Prae-

[132]) Pro anno 1657 consecutive duo abbates recensentur, cum Fridericus Schinalius hoc anno resignasset hic probabilius agitur de abbate Thoma Olšansky. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I², p. 357.

[133]) Abbatia Milovicensis = Milevsko, Mühlhausen (in hodierna dioecesi Budovicensi = Budějovice), post plures difficultates, abbati Strahoviensi commissa est. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 365-367.

[134]) V. Rösler.

[135]) M. Paul.

monstratensi suo Patre Abbate, uti nimium dissito, subsidium et defensionem, nunc autem sit sub Ordinis iurisdictionem revocatum, et possit iterum fieri ab eodem monasterio Wratislaviensi querela, si deinceps remaneat sub Abbate Praemonstratensi, uti immediato Patre Abbate, vel etiam sub abbate Steinfeldensi, aeque remoto, supplicavit Capitulo contra huiusmodi querelam provideri. Capitulum abbati Lucensi[136]) moderno et successoribus eius, ius paternitatis in Sancti Vincentii Wratislaviensis monasterium, accedente consensu Rev. Domini Steinfeldensis[137]), commisit et committit, et perpensis ab eodem abbate Lucensi allegatis rationum commentis, dictum Sancti Vincentii Wratislaviensis monasterium, quod hactenus fuit Circariae Poloniae, incorporavit et incorporat Circariae Moraviae et Vicario Rev. Domini Praemonstratensis et Visitatori Circariae Moraviae a Capitulo Generali designato aut designando iuxta Statuta et formam Ordinis subiecit et subiicit.

[62] Item, supplicantium Circariarum Sueviae et Bavariae Abbatibus, Capitulum ad sex annos concessit et concedit facultatem ut novitii professionem emittere queant iuxta Concilium Tridentinum anno aetatis decimo sexto; quo elapso sexennio, si eadem facultate opus fuerit, Capitulo supplicabunt.

[63] Item, Rev. Abbas Soretanus[138]) exposuit Capitulo Parochos Ordinis vexari ab Episcopis et violari nostra privilegia. Capitulum respondit ad Sedem Apostolicam contra eiusmodi gravamina recurrendum.

[64] Item, ad quaestionem ab eodem Rev. Domino Soretano[139]) quis possit praesidere Electioni, cum illa urgeat, nec adest pater abbas, respondet Capitulum atque decrevit ut quando non poterit absque gravis incommodi periculo differri electio, nec pater Abbas exspectari possit, debeat vocari Vicarius generalis, et eo nolente aut nequeunte accedere Praelatus vicinus.

[65] Item, Rev. Domino Priore seu praeside Scholarium Coloniensium[140]) quaesitum est an Patres Abbates electionibus praesidentes habeant in iis vocem activam, Capitulum eos non habere diffinit.

[136]) M. Paul.
[137]) N. Horrichem.
[138]) A. Arzet.
[139]) A. Arzet.
[140]) I. Luckenrath.

Sessio undecima. Die 4a Maii 1657 matutina

[66] Fusis ad Deum precibus et solito Benedicite a Revmo Domino Praemonstratensi pronuntiato, ad quaestionem pro parte RR. PP. Circariarum Poloniae propositam, an Patres Abbates possint a filiabus suis Ecclesiis pecunias, aut aliud temporale annuum in recognitionem superioritatis et subiectionis respective, aut quovis praetextu petere? Respondet Capitulum ac diffinit non posse exigere.

[67] Item, Rev. Domino Conrado Abbati Marchtallensi[141]) supplicanti decerni, ut Vicarius teneatur singulis annis socium visitationis Abbatum assumere, eumque singulis annis mutare? Respondit Capitulum ac diffinivit et diffinit quod Vicarius generalis socium sibi benevisum accipere queat, alias idoneum.

[68] Item, ad supplicationem Rev. Domini Roggenburgensis[142]), ore Rev. Dom. (718) Soretani[143]) factam, Capitulum attendens inopiam eiusdem Ecclesiae Roggenburgensis illi indulget, ut ad annum ab intimatione praesentis decreti computandum, et non ultra, uti queat Breviario Romano, et interim Officium Beatae Mariae Virginis et defunctorum, atque septem psalmos poenitentiales in choro, dum iuxta Breviarium Praemonstratense recitari debuerint, non intermittat.

[69] Item, declarat psalmi: *Attendite*, in feria quinta positi divisionem, ita intelligi ut medietas illius in uno Matutino, altera in altero recitetur.

[70] Item, eiusdem Rev. Dom. Soretani[144]) organo supplicavit R.D. Altenbergensis[145]) pro restitutione sibi facienda quadraginta florenorum a se pro litibus Bellelagiae[146]) et pro iurisdictione Ordinis in illam defendendo expensorum, Capitulum committit R.D. Dominum Praepositum Cellae Omnium Sanctorum[147]), qui authoritate tum Reverendissimi Dom. Praemonstratensis tum etiam Capituli Generalis monasterium Bellelagiae visitet, et audiat RR. DD. Abbates Bellelagiae et Adelbergen-

[141]) Annis 1637-1660, Conradus Kneer abbas erat Marchtallensis = Obermarchtal (in dioecesi Rotenburgensi). Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 64.

[142]) Annis 1656-1661, Bonaventura Schalk abbas erat Roggenburgensis (in dioecesi Augustana = Augsberg). Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 69.

[143]) A. Arzet.

[144]) A. Arzet.

[145]) Ludwig Mentges anno 1655 assumpsit praeposituram Altenbergensis monasterii canonissarum. Cfr. N. BACKMUND, I, 168.

[146]) Abbatia ista, saeculo decimo sexto, pluries igne combusta est. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 454; P. SAUCY, *Histoire de l'ancienne abbaye de Bellelay*. Neuchâtel, 1958.

[147]) A. Schlecht.

sem[148]) computus expensarum examinet, et comperto quod debeatur Abbatiae Adelbergensi, abbatem Bellelagiensem ad solutionem adducat, et, si opus est, etiam via iuris compellat.

[71] Item, Capitulum providere volens dicto coenobio Bellelagiensi et monasterio Corneolensi[149]) utrumque monasterium et coenobium de Circaria Burgundiae in Circariam Sueviae transtulit, et eidem Sueviae Circariae incorporavit et incorporat et subicit, et eorumdem monasteriorum visitationem usque ad proximum Capitulum Generale Revdo Domino Cellae Omnium Sanctorum[150]) commisit et committit.

[72] Item, ad supplicationem Rev. Domini Abbatis Zabrdovicensis[151]), Capitulo Generali porrectam, ut dispensare dignetur in cantu in diebus studii, extra festivos dies et triplicia. Capitulum mandat R.D. Vicario Circariae ut ipsemet provideat.

[73] Item, ad propositionem Capituli provincialis Bavarici nuperi, Capitulum decernit esse constituendum Romae Procuratorem generalem cum socio religioso ad iura Ordinis defendenda, qui sustentando omnia monasteria et beneficia Ordinis contribuere teneantur, hoc addito quod quicumque litem aut negotium qualecumque Romae habuerit, teneatur illum seu illud per eiusmodi procuratorem generalem procurare, et expensas litis aut negotii eidem subministrare. Dictis autem Procuratori et socio summam mille centum viginti quattuor librarum Turonensium pro victu et vestitu assignat, a singulis monasteriis et beneficiis Ordinis iuxta tamen taxam desuper factam solvendarum, et per Vicarios Romam persolutam, in partibus cambio liberam, et integram transmittendam.

[74] Item, decernit Capitulum litteras in gratiarum actionem (719) et protectionis supplicationem esse ad Eminentissimum Cardinalem Carpineum, Ordinis protectorem[151bis]) nomine Capituli scribendas.

[75] Item, Capitulum Scholarium profectui consulere cupiens, permittit Ecclesiae Wiltinensi supplicanti ut Rev. Dominus Abbas[152]) singulis in Quadragesimae diebus designare possit quattuor religiosos qui septem

[148]) Joannes Petrus Cuénat, abbas Bellelagiae, cfr. N. BACKMUND, I, 456. Ultimus abbas canoniae Adelbergensis anno 1648 suppressae, Georg Schönhainz, anno 1654 communitatem suam instaurare conatus est in Speinshart, cfr. N. BACKMUND, I, 44-46.

[149]) Utraque haec abbatia perplurima discrimina sustinuit illo tempore.

[150]) A. Schlecht.

[151]) Annis 1650-1682, Godefridus Olenius abbas erat Zabrdovicensis (in dioecesi Brunensi). Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 390.

[151bis]) Jam anno 1656 Udalricus cardinalis Carpineus (Carpegna), (1595-1679), protector Ordinis Praemonstratensis constitutus erat, cfr. AAT, coll. Rom., II, 117.

[152]) D. Löhr.

7A 246-5

psalmos Sextam secuturos, et vigilias Defunctorum choraliter recitent, coeteris in studiis sese occupantibus.

[76] Item, quoad Griphense monasterium[153]), Capitulum providit ut Vicarius Reverendissimi Domini Praemonstratensis in Bavaria possit substituere ad visitandum dictum coenobium, ac mandavit ut semel saltem in triennio, sive per se, sive per alios illud visitet.

[77] Item, Capitulum Generale ad quaestionem RR. PP. Bavariae respondens, committit Capitulo provinciali ut authoritate Capituli Generalis, iuxta Statuta Ordinis reductionem faciat.

[78] Item, quaestioni an per Missas pro particularibus dicendas satisfiat tribus Missis Ordinis? Respondit factum esse satis quaestioni per Ordinarium seu Rituale Ordinis, capite decimo septimo, numero septimo.

[79] Item, quaestioni an Religiosi extra Conventus existentes possint per Missas alibi celebratas satisfacere Missis matutinali et Beatae Mariae Virginis? Respondit satisfacere posse, dummodo iis quibus applicandae sunt eas applicent.

[80] Item, quaesitum an Breviariis Ordinis inseri debeat officium SS. Gilberti, Petronillae et Pontiae iuxta officium in breviario dioecesis Claromontensis conscriptum? Capitulum praesentibus Doctoribus examinandum commisit, et ad proximam sessionem referendum.

[81] Item, Reverendissimus Dominus Generalis rationibus in Capitulo RR. Patrum Bavariae propositis motus, commisit et committit R.D. Abbati Staingadensi[154]), suo Vicario, ius paternitatis in Griphense coenobium.

[82] Item, Capitulum mandat R. D. Wiltinensi[155]) patri Abbati coenobii Spainshartensis[156]), ut sine mora pro virili adlaboret pro recuperatione sui dicti filialis monasterii Spainshartensis a Serenissimo Duce Bavariae ex indulto pontificio ad certum tempus occupati; mandat quoque R.D. Abbati Windbergensi[157]) praesenti, qui ait se aliqua illius habere documenta, ut ea praedicto D. Wiltinensi tradat, si subserviant ad recuperandum monasterium. Item, mandat omnibus et singulis possesso-

[153]) Griffen usque ad annum 1738 erat praepositura. Sita erat in dioecesi Gurcensi = Gurk. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 6-9.

[154]) Annis 1645-1674, Augustinus Bonenmayer abbas erat Steingadensis (in dioecesi Augustana = Augsburg). Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 33.

[155]) D. Löhr.

[156]) Speinshart (in dioecesi Ratisbonensi = Regensburg) tunc in maximis difficultatibus vivere debuit. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 24-25.

[157]) M. Fuchs.

ribus, ut quae habuerint documenta ad alia Ordinis monasteria spectantia eadem pariter dictorum monasteriorum Abbatibus et praelatis sub poena excommunicationis tradant et resignent.

[83] Item, Capitulum committit expensas a R.D. Staingadensi pro Wiltina contra Illustrissimum Dominum Episcopum Brixinensem[158]), pro manutentione iurisdictionis Ordinis in Wiltina conservandae factas, in Capitulo provinciali repetendas (720), et hortatur Capituli eiusmodi provincialis Patres, ut amicabiliter per R. D. Wiltinensem[159]), qui non parvas etiam expensas fecit, et suam quottam posteriorem expensarum partem solvere statuit, componant.

[84] Item, Capitulum declarat D. Norbertum, Abbatem Sancti Vincentii Wratislaviensis defunctum[160]), non potuisse donare suae nepti haereditatem sibi Abbati a matre relictam et Reverendissimus Dominus Praemonstratensis suo decreto declaravit conclusam esse praesentem sessionem et alteram indixit ad secundam horam pomeridianam, atque ipsemet mensae in refectorio praesidebit.

Sessio duodecima, de die 4a Maii 1657; post meridiem

[85] Capitulum pergens in examine litterarum R.D. Abbatis Staingadensis[161]), decernit ut in omnibus serventur Statuta, et Ordinarius seu Rituale, atque uniformitas, et ubi desunt libri conscribantur.

[86] Item, Capitulum decernit imprimi nova Breviaria, Diurnalia, Missaliaque, Processionalia, et quidem Statutis et Ordinario conformia, et quae sint hactenus emendatiora.

[87] Item, R.D. Soretano[162]) pro sua Circaria supplicanti, ut prorogaretur concessio a bonae memoriae Petro Gossetio Generali[163]) in servandis in Missa coeremoniis romanis facta; Capitulum respondens decrevit et decernit servandum esse etiam in Missa uniformitatem. Ideo, mandat omnibus et singulis Sueviae Ecclesiis, ut in omni officio divino, etiam in Missa, sacrae Ordinis coeremoniae exacte serventur, et contravenientes acriter puniantur.

[158]) A. Krusin, annis 1647-1663, episcopus erat Brixinensis = Brixen: Bressanone. Cfr. B. GAMS, *o.c.*, p. 266.

[159]) M. Fuchs.

[160]) Agitur de abbate Norberto Bratitz qui obiit 24 ianuarii 1656. Cfr. L. SANTIFALLER, *o.c.*, p. 147 s.; *Totenbuch des Stiftes Schlägl*, ed. I.H. PICHLER, 1984, p. 12, nº 137.

[161]) A. Bonenmayer.

[162]) A. Arzet.

[163]) Abbas generalis P. Gosset obiit anno 1635.

[88] Item, R.D. Staingadensi[164]), per litteras suas exponenti, Capitulum respondit bireta in Statutis esse descripta[165], almutia vero praecipit haberi alba et gestari iuxta consuetudinem patriae, ut in Ordinario seu Rituali, cap. 3, num. 5[166].

[89] Item, examinata est praeconcepta inter Dominum Episcopum Brixinensem, eiusque Capitulum ex una, et R.D. Augustinum, abbatem Staingadensem[167]) vicarium generalem Ordinis in Bavaria ex altera partibus concordia; sed quia difficultas in ea confirmatione reperta est, Capitulum dictam concordiam commisit examinandam RR.DD. Abbatibus Lucensi[168]), et Siloensi[169]), et Theologiae Doctoribus, et R.D. Praeposito Cellae Omnium Sanctorum[170]), qui in proxima sessione referent.

[90] Item referente Venerabili patre Epiphanio Louys, priore Sanctae Mariae Mussipontanae, praesentis negotii referendario deputato, Capitulum confirmavit et confirmat sententiam R.D. Norberti, Abbatis Strahoviensis[171]), Vicarii generalis Bohemiae de die decima septima Februarii anni (721) millesimi sexcentesimi quinquagesimi sexti quoad hoc quod R.D. Praepositus Chotescoviensis[172]) nec habeat vocem activam in electione Abbatis Teplensis[173]), nec sit eiusdem monasterii senior, aut membrum, nec Abbati Teplensi debeat aliam quam filii Praelati Patri Abbati obedientiam. In electionibus vero Praepositorum decernit Capitulum debere Praepositos assumi ex monasterio Teplensi, et eandem debere esse eligendi rationem quae in Doxanensi[174]) ubi de Strahoviensi monasterio paterno assumi solet Praepositus Doxanensis, nisi aliud suadeat utriusque monasterii Teplensis et Chotessoviensis bonum.

[164]) A. Bonenmayer.

[165]) De biretis haec praescribunt Statuta anni 1630. Dist. II, cap. XIX, n. 19: «Biretis albis quadratis, non tamen nimium altis, canonici sacerdotes utantur».

[166]) *Ordinarius sive Liber caeremoniarum ad usum candidi et canonici Ordinis Praemonstratensis renovatus*, Parisiis, S. Cramoisy, 1635, cap. 3, n. 5.

[167]) A. Bonenmayer.

[168]) M. Paul.

[169]) V. Rösler.

[170]) A. Schlecht.

[171]) N. Sutor.

[172]) Annis 1639-1657, Zacharias Bandhauer praepositus Chotescoviensis = Chotězov (in dioecesi Pragensi) erat. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I. p. 345.

[173]) Klašter Teplà, prope Cheb (Eger) in districtu Karlovary in Bohemia, dioecesis Pragensis. Cfr. BACKMUND, I, 883-886.

[174]) Doksan = Doksany (in dioecesi Pragensi) erat praepositura: inde ab anno 1738 abbatia. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I. p. 347.

[91] Item, Capitulum audita et examinata Patrum Teplensium supplicatione qua petierunt secum dispensari in abstinentia Septuagesimae et cuiuslibet feriae quartae atque adventali ieiunio, respondit eos debere manere in Statutorum observatione.

[92] Item, ex parte Patrum Circariae Westphaliae expositum est, quod Eminentissimi Archiepiscopi Moguntinus[175]), Trevirensis[176]), et Coloniensis[177]) petant indultum apostolicum ut visitent monasteria etiam exempta, quodque si hoc non impediatur, Episcopi gradum facient ad visitandum propria authoritate et ad alia incommoda et exactiones pecuniarum, quae sequentur, Capitulum mandat Procuratori generali Ordinis Romae deputando ut advertat.

[93] Item, pro eorumdem Patrum Westphaliae parte expositum est, quod monasteria Cappenbergense, Warlariense, Clarholtense, Scheidense et Amborn[178]) vix aut ne vix quidem reformari possint, nisi religiosos reformatos missos etiam ortu non nobiles velint admittere. Capitulum decernit epistolas Illustrissimo Domino Episcopo Monasteriensi[179]), eiusdem Capituli nomine, conscribendas, quibus rogetur auxiliarem reformatoribus manum porrigere, et eodem nomine repetendam esse supplicationem alias Sanctissimo Domino nostro ratione monasteriorum Cappenbergensis et Warlariensis porrectam.

[94] Item, nomine procuratorio R.D. Norberti, abbatis Steinfeldensis[180]), Venerabilis Pater Ioannes Luckenradt prior seu praeses Scholarium Coloniensium[181]), exposuit quod Rev Dominus Norbertus praedictus[182]) multa expenderit pro iurisdictione Ordinis maxime Reverendissimi Domini Praemonstratensis uti Patris Abbatis in Cappenbergense et Warlariense monasteria, adeoque videri possit eidem R.D. Norberto competere ius paternitatis in dicta monasteria; nihilominus nil iuris praetendat, sed totum ius humillime, si quod habet, cedat et resignet

[175]) Annis 1647-1673, I, Ph. von Schoenborn erat archiepiscopus Moguntinus = Mainz. Cfr. B. GAMS, *o.c.*, p. 290.

[176]) Archiepiscopus Trevirensis = Trier, annis 1652-1652, erat Carolus Caspar v. der Leyen. Cfr. B. GAMS, *o.c.*, p. 318.

[177]) Archiepiscopus Coloniensis erat, annis 1643-1680. Max. Henricus von Bayern. Cfr. B. GAMS, *o.c.*, p. 270.

[178]) Amborn = Hamborn prius praepositura, deinde, currente saeculo XII°, abbatia. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 207-210.

[179]) Annis 1650-1678. Chr. B. von Galen erat episcopus Monasteriensis = Münster. Cfr. B. GAMS, *o.c.*, p. 295.

[180]) Norb. Horrichem.

[181]) I. Luckenrath.

[182]) N. Horrichem.

Reverendissimo Domino Praemonstratensi cum omnibus scriptis, quod et quae Capitulo Generali eidem R.D. Norberto congratulante et laudante, idem Reverendissimus Dominus Praemonstratensis congratulans et laudans gratus acceptavit et acceptat.

[95] Item, proposuit Capitulo Generali idem Venerabilis Prior, utrum expediat prosequi processum in causa monasterii Beselecensis[183]), antehac in Curia Romana ventilatum, cum videatur difficilis exitus, maxime post pacem Monasteriensem, vigore cuius redire deberet ad Comitem Nassoviensem (722), qui Beselicense monasterium anno 1624 possidebat. Capitulum declarat se iuri suo non renuntiare, sed possessionem animo retinere, et ad eius realem adeptionem primo tempore opportuno velle omni iuris via procedere.

[96] Item, proposuit quod Eminentissimus Dominus Archiepiscopus Coloniensis[184]) praetendat in quolibet Monasterio, tam virorum quam virginum, personas, quae de monasterio aluntur, imo monasterio incorporentur. Capitulum decernit omnino esse eiusmodi onerosae praetensioni contradicendum, prout procuratori generali Romae mandat ut viriliter contradicat.

[97] Item, exposuit et notificavit idem Prior Scholarium[185]), quod authoritate Pontificia et Revmi Domini Praemonstratensis monasterium Monialium in Dunnwald[186]) fuerit unitum Collegio Sancti Norberti Coloniensis, et quod Revmo Domino Praemonstratensi vel Capitulo Generali nihil decesserit iuris vel authoritatis prout patet ex scripturis quarum copiam Capitulo Generali resignavit. Quapropter orare se ut dignetur Capitulum sese voluntati Sanctissimi Domini nostri conformare[187]), et eiusmodi unionem gratam et ratam habere eique subscribere. Capitulum Generale commisit et deputavit R. Dominum Nicolaum

[183]) Prioratus Beselicensis = Beselich (prope civitatem Coblenz) anno 1637 pro Ordine deperditus erat. Anno 1658, princeps Nassoviensis redemit monasterium, sed Ordini restituere non voluit. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, t. I, p. 179-181.

[184]) Max. Henricus von Bayern.

[185]) I. Luckenrath.

[186]) Suppresso monasterio sororum praemonstratensium in Dünnwald, eius proventus in dotem Collegii S. Norberti Coloniensis fusi fuerunt anno 1634. Cfr. Th. PAAS, *Das Seminarium Norbertinum in Cöln*, in *An. Praem.*, I, 1925, 126-139. Praedicto studio disquisitio G. GEHLE, *Die Prämonstratenser in Köln und Dünnwald* (Kanonistische Studien und Texte, 31), Amsterdam, 1978, nihil novi affert.

[187]) Fusio proventuum monasterii de Dünnwald cum Collegio Coloniensi iam die 9a novembris anni 1655 ab Alexandro VII, qui antea uti Fabius Chigi Coloniae nuntii munere functus erat, confirmata fuit. Cfr. Th. PAAS, *Das Seminarium Norbertinum in Cöln*, p. 134, nota 3.

Guinet, abbatem Sanctae Mariae Mussipontanae, ad examinandum porrectas scripturas, et ad Capitulum in proxima sessione referendum.

[98] Item, exposuit idem prior[188]), quod R.D. Georgius Laurentii, Praepositus Ilbenstadiensis[189]), Capitulo Generali humiliter supplicat suam Praeposituram evihi in Abbatiam. Capitulum Generale, auditis rationibus et personae supplicantis et monasterii Ilbenstadiensis qualitatibus consideratis, Praeposituram Ilbenstadiensem in dioecesi Moguntinensi in Abbatiam evexit et in perpetuum evehit et mandat congruentes desuper expediri litteras.

[99] Item, Capitulum eodem honore volens prosequi R.D. Anastasium Schlecht, Praepositum Cellae Omnium Sanctorum de Ordine nostro Praemonstratensi bene meritum, eius Praeposituram Cellae Omnium Sanctorum in Abbatiam evexit et per praesentis decreti tenorem in perpetuum evehit, mandatque competentes ei litteras desuper expediri, et Revmus Dominus Praemonstratensis praesidentiae in refectorio vices commisit R.D. Philippo Domnimartinensi[190]) et praesentem sessionem conclusit.

Sessio decima tertia. Die quinta Maii 1657.

[100] Capitulum decernit inserendum Breviario Ordinis[191]) officium Sancti Gilberti, Ordinis religiosi, iuxta officium in breviario dioecesis Claromontensis conscriptum et officium eius fieri instar duplicis.

Item, RR.DD. Abbates Lucensis, Siloensis, Cellae Omnium Sanctorum[192]), pro examine concordiae Brixinensis deputati petierunt ad referendum in altera sessione inducias, et a Capitulo impetrarunt.

[101] (723) Item, R.D. Nicolao, abbate Mussipontano, referente statum monasterii Dunnwaldensis et Collegii Sancti Norberti Coloniensis[193]), Capitulum gratum et ratum habuit, et habet unionem

[188]) I. Luckenrath.

[189]) Georgius Laurentii ab anno 1635 uti praepositus, inde ab anno 1657 usque ad annum 1662 tamquam abbas canoniae Ilbenstadiensi praefuit. Cfr. N. BACKMUND, I, 101.

[190]) Philippus Babeur.

[191]) Nova editio *Breviarii secundum usum sacratissimi Ordinis Praemonstratensis*, anno 1631 Parisiis prodiit. Cfr. GOOVAERTS, IV, 235; Pl. LEFEVRE, *La liturgie de Prémontré. Histoire, Formulaire, Chant et Cérémonial* (Bibl. Anal. Praem., fasc. 1), Louvain, 1957, p. XII.

[192]) Matthaeus Paul, Vitus Rösler et Anastasius Schlecht.

[193]) Approbatio unionis sedente Capitulo Generali data die 11a Maii 1657 et a Philippo Babeur, Dominico Löhr et Gregorio du Crocq subscripta, impressa prostat in HUGO, *Annales, I, Probationes*, col. CCCCXXIV-XXVII.

factam monasterii Dunnwaldensis et Collegii Sancti Norberti in urbe Coloniensi, iuxta conditiones in ipso instrumento unionis insertas, videlicet quod officii divini pensum, per Sorores in Dunnwaldensi praestari solitum, in seminario seu dicto collegio complebitur, cum perpetua fundatorum et benefactorum commemoratione, ita ut religiosi in seminario pro tempore futuri, praeter quotidiana sacrificia, horas quoque canonicas in oratorio publico ritu et tempore in legibus seminarii praescriptis seu praescribendis, vocaliter in dies persolvere teneantur, quamdiu et quousque dicta vocalis et simultanea horarum recitatio sacrorum studiorum progressus, iudicio Abbatis Steinfeldensis, non impedierit, prout de facili numquam impediet. In loco etiam Dunnwaldensi tres aut duo ad minus religiosi sacerdotes manebunt, et perpetuo residebunt, quorum unus curam oeconomiae ad utilitatem seminarii, alter parochiae sustinebit, quique quotidie Sacrosanctae Missae Sacrificium pro fundatoribus et benefactoribus ibidem Deo offerent, ita ut cultui divino nihil prorsus detrahatur, sed potius quoad locum modo solum diverso detur incrementum. Medietas una proventuum Dunnwaldensium usibus religiosorum e monasterio Steinfeldensi, uti Ecclesia matrice seu maiore et ampliorem religiosorum numerum ac animarum curam habente mittendorum, perpetuo inserviet. Altera medietas in sustentationem vitalium sororum superstitum impenditur; quidquid etiam proventuum dictae medietatis aere soluto sororum quoad vixerint alimentationi, et illis mortuis, sacerdotum sustentationi superfuerit, id totum supradicto seminario ad usum religiosorum ex aliis monasteriis eiusdem Ordinis et Provinciae, iuxta dispositionibus Abbatis Steinfeldensis mittendorum, applicabitur, cum hac expressa cautela, quod proventus illi omnes ac singuli et etiam alii seminario in posterum assignandi, prout indubie per alios Praelatos in augmentum seminarii semel inchoati, successu temporis, plures assignabuntur, pro parte vel toto per Abbatem Steinfeldensem vel quoscumque alios, aliis monasteriis seu usibus privatis quovis colore aut praetextu appropriare nequaquam possint vel debeant, ita ut casu quo seminarium quocumque modo vel eventu deficere vel negligi contingeret, proventus memorati immediatae dispositioni Capituli Generalis dicti Ordinis subesse et non nisi communibus Provinciae usibus in promotionem sacrorum studiorum applicari debeant. Cura vero, administratio, ordinatio aliaque quaevis dispositio (724) seminarii, vel in eo existentium erit et manebit penes Abbatem Steinfeldensem, qui praesidem et procuratorem instituendi et pro arbitrio amovendi, studentes religiosos admittendi, et quoties expedi-

re iudicaverit ad monasteria unde venerunt remittendi, villas, agros, vineas elocandi omnesque fructus ac emolumenta ad usus seminarii dumtaxat impendendi modum et regulas praescribendi, exactamque rationem de temporalibus tum acceptis et expensis tam a Praeside et procuratore, quam sacerdotibus in loco de Dunnwald mansuris exigendi et sibi reddi faciendi plenum semper ius et omnimodam auctoritatem habebit et retinebit et consensit ac consentit idem Capitulum Generale ut dicta unio suum et integrum sortiatur effectum et in perpetuum valeat et robur habeat ut refertur.

[102] Item, referente Venerabili Patre Ioanne Luckenradt, priore Scholarium Coloniensium, duo esse monasteria ab alienis occupata, videlicet Lors sive Laurissam, virorum Abbatiam[194]), et Gerlasseim, Monialium coenobium[195]), primum occupari ab Eminentissimo Domino Archiepiscopo Moguntino[196]), alterum ab Eminentissimo Domino Archiepiscopo Herbipolensi[197]), utrumque posse occupari, si Ordo sollicitet in Curia Moguntina, cum Episcopus Moguntinus et Herbipolensis ...[198]). Capitulum commisit et committit Rev. Domino Steinfeldensi ut statim Laurissensi monasterio provideat de Abbate, qui omni meliori modo restitutionem monasterii procuret et sollicitet, Gerlassein vero monasterium decernit esse repetendum ut Ordini restituatur, iuxta litteras Ferdinandi secundi Imperatoris anni 1629 die ultima Maii et decima nona Decembris[199]), quae extant in monasterio Cellae Superioris, datae ad illud repetendum et obtinendi effectum praesenti decreto mandat R.D. Abbati Cellae Superioris, patri abbati dicti Gerlasseim monasterii, ut omni via possibili et licita restitutionem monasterii de Gerlasseim urgeat et loco provideat.

[103] Item, pro parte R.D. Abbatis Wedinghausensis[200]) proposuit

[194]) Abbatia Laurissensis = Lorsch anno 1563 suppressa fuit et archiepiscopo Moguntino addicta. Cfr. BACKMUND, I, 107-108.

[195]) Gerlasseim, Gerlassein = Gerlachsheim in dioecesi Friburgensi erat monasterium sororum praemonstratensium. Cfr. BACKMUND, I, 132-134.

[196]) Philippus von Schoenborn.

[197]) Franciscus Wilhelmus von Wartemberg (1649-1661). Cfr. B. GAMS, *o.c.*, 305.

[198]) In utroque manuscripto, Laon, Bib. mun. ms. 538 et Nancy Bib. mun. ms. 994, habetur hic lacuna textus.

[199]) Innixae, uti videtur, decreto imperiali quod Edictum Restitutionis, diei 6ae martii 1629, nuncupatur. Cfr. Fritz DICKMANN, *Der Westfälische Frieden*, Münster, 1972, p. 15 ss.

[200]) Wedinghausen seu Arnsberg, in dioecesi Paderbornensi, abbatia cui, annis 1653/1663, praepositus Henricus Koch praefuit. Cfr. BACKMUND, I, 170-172. Vide etiam H. RICHTERING, *Kloster Wedinghausen*, in *Jahrbuch des Vereins für Westfälische Kirchengeschichte*, 62, 1969, 11-42. Conspectus omnium canoniarum in regione Westfaliensi praebetur a F. W. SAAL, *Die Prämonstratenser in Westfalen*, in *Clarholtensis Ecclesia*, J.

dictus Prior seu Praeses Collegii Coloniensis et petiit declarari quaenam obedientia et subiectio debeatur Patri Abbati ex parte Praepositorum Monialium. Venerabili Petro Teueren[201]), procuratori R.D. Leonardi Teueren, Abbatis Knechtstedensis[202]) permisit loqui, qui statim exhibuit libellum Coloniae anno 1657 impressum, cui titulus: *Resolutio quaestionis, utrum Monialium, etc. administratores, etc.*[203]), et rogavit Capitulum ut quaestio pro parte R.D. Abbatis Wedinghausani proposita non resolvatur nisi post libellum praedictum a Patribus, quos non suspectos deputari petiit, lectum. Capitulum eiusdem Petri petitioni annuens, quaestionis resolutionem (725) suspendit, et libellum commisit RR.DD. Abbatibus Rengisvallis, Cellae Omnium Sanctorum, Mussipontanae[204]) et venerabili Patri Basilio Liegault, Priori Sancti Martini Laudunensis[205]); dicto fratri Petro Teueren gratiis et placitis, legendum et examinandum, qui Capitulo referant, et decrevit ut Rev. D. Ioannes Dillen, praepositus Heinsbergensis, traderet iisdem Commissariis sua, si quae habet desuper documenta; qui respondit se ea exhibuisse Capitulo et esse alia in actis processus quae possent iisdem tradi et decrevit Capitulum eiusmodi libelli relationem in sessionibus diei sequentis esse faciendam.

[104] Item, pro parte R.D. Wedinghausani[206]) proposuit idem Pater Prior Scholarium[207]), quod frater Richardus Ham, vir vitae Statutis satis

MEYER ed., Paderborn, 1983, 19-33, et a L. HORSTKÖTTER, *Die Prämonstratenser und ihre Klöster am Niederrhein und in Westfalen*, in *Norbert von Xanten. Adeliger. Ordensstifter. Kirchenfürst*, K. ELM ed., 1984, 247-262 ubi p. 263 situs geographicus singularum canoniarum in tabula indicatur simul cum inscriptione hodierna illarum domuum.

[201]) Petrus Teveren, nepos abbatis Leonardi, natus erat in Teveren, anno 1618. Factus est et ipse, anno 1678, abbas Knechtstedensis. Cfr. W. GOSSES, *Eine neue Knechtstedener Handschrift* in *An. Praem.*, XIV, 1938, 212 et F. W. SAAL, *Die Abtei Knechtsteden im 17. Jahrhundert* (Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium, fasc. 4), Averbode, 1962, 99.

[202]) De indole abbatis Leonardi Teveren et de eius activitate vide F. W. SAAL, *Die Abtei Knechtsteden* ..., 61-69.

[203]) Libellus sequenti modo inscribitur: *Resolutio quaestionis utrum Monialium Praemonstratensium Administratores, qui vocantur Praepositi, sub nomine Abbatum seu Praelatorum Regularium comprehendantur, et sint independentes Praelati, habentes in Moniales Iurisdictionem immediati Ordinarij. Pro bono communi et informatione in eo puncto errantium et turbantium. Ex iure accurate deducta per Fr. Michaelem ab Himselrath Canonicum Knechtstedensem jussu Superioris sui*, Coloniae, Ex Officina Typographica Arnoldi Kempens, Anno M. DC. LVII, in fol. — Cfr. GOOVAERTS, I, 388. De hoc opusculo vide HUGO, *Annales*, Praefatio, n° X, *Duplex Praepositorum species*.

[204]) H. Messin, A. Schlecht, N. Guinet.

[205]) GOOVAERTS, I, 512.

[206]) H. Koch.

[207]) I. Luckenrath.

difformis, non obtemperaverit pene omnibus Reverendissimi Domini Praemonstratensis mandatis sibi factis, petit iterata et strictiora a Capitulo Generali mandata reiterari, quibus ad obedientiam constringatur. Capitulum decrevit fieri mandata magis eum prementia.

[105] Item, eodem Patre Scholarium[208]) referente statum monasterii Olinghausani Monialium[209]) eoque desuper audito Capitulum mandavit Venerabili Patri Epiphanio Louys, Priori Mussipontano referendario deputato, ut referret quod ex scriptis desuper sibi commissis legisset, quod et fecit; eoque finiente, Reverendissimus Dominus Praemonstratensis interrogavit an aliqui in Capitulo comparaverint partium procuratores. Respondit Venerabilis Pater Petrus Teueren, R.D. Abbatis Knechtstedensis procurator, se mirari quod Venerabilis Prior Scholarium nihil sibi dixisset in discessu Coloniae se acturum in negotio Olinghausano, alias suum mandatum procuratorium se non extendere ad id negotium, et se protestari nihilominus multa in dictis relationibus a veritate esse aliena. Respondit dictus Prior Collegii seu Seminarii Coloniensis sibi in ipso discessu dictas scripturas clausas datas fuisse, et nescisse nisi postquam Praemonstrati fuit, quid in iis contineretur. Tunc Reverendissimus Dominus Generalis Capitulares Patres affatus dixit hoc negotium esse quidem commune Ordini, seque nihil particulare in eo habere interesse, quod quilibet Praelatus non habeat, sed tamen eius discretioni et definitioni non libenter adfuturum, ne R.D. Abbati Knechtstedensi, qui circa ipsum Generalem in alio negotio aliquid praetendit[210]), suspectus videatur et ita ipse Reverendissimus Dominus Generalis et cum ipso R.D. Philippus Babeur, Abbas Dommartinensis, qui alias fuit eiusdem Reverendissimi secretarius[211]), ab aula capitulari

[208]) I. Luckenrath.

[209]) Monasterium de Oelinghausen, assentiente S. Sede, anno 1617, e communitate nobilium sororum praemonstratensium in capitulum canonissarum saecularium transformatum est. Abbas Arnsbergensis, anno 1627. paternitatem abbati Knechtstedensi obtulit, qui, manu quandoque violenti, monasterium ad pristinum statum redire curavit. Cfr. BACKMUND, I, 237; F.W. SAAL, *Die Abtei Knechtsteden* ..., 56; H. RICHTERING, *Kloster Oelinghausen*, in *Westfälische Zeitschrift*, 23, 1973, 115-136.

[210]) Ut liti de paternitate in praepositurum Heinsbergensem finem imponeret, abbas generalis Augustinus le Scellier, anno 1653, in actu visitationis abbatiae de Knechtsteden, ius paternitatis a Leonardo Teveren abstulit sedique Praemonstrati annexit. Cfr. F.W. SAAL, *Die Abtei Knechtsteden* ..., 56. Vide textus Interrogatorii abbatis Leonardi Teveren infra Acta nº 186.

[211]) Philippus Babeur, profèssus abbatiae S. Andreae in Nemore, secretarii abbatis generalis Augustini le Scellier munere functus est usque ad promotionem ad coadiutoriam abbatiae Dommartinensis cuius abbas factus est die 16 maii 1656. GOOVAERTS, I, 28.

exivit, et suas praesidendi vices R.D. Abbati Cuissiacensi[212]) commisit. Eo autem praesidente, lectae sunt quaedam reversales litterae per R.D. Abbatem Knechtstedensem anno 1628 die duodecima Aprilis factae, quae reversales et quaecumque alia (726), quae de isto negotio allegantur idem Venerabilis Pater Petrus Teueren dixit fuisse producta in processu. Quibus tamen non obstantibus, emanavit sententia Apostolica Knechtstedensi favorabilis, et protestatur in praedictis plurima non esse vera, et suum Praelatum Knechtstedensem debere audiri, et casu quo postrema concordia seu transactio die 26a Iulii 1656 facta, iudicio Capituli Generalis reprobetur, dixit quod oporteat ad priorem statum redire, quodque Abbas Knechtstedensis debeat eodem Capituli Generalis iudicio manuteneri in iure paternitatis sibi per sententiam Apostolicam adiudicato et attributo. Capitulum, iussis recedere omnibus non diffinitoribus, super concordiam seu transactionem die 26a Iulii 1656 inter R.D. Leonardum, Abbatem Knechtstedensem ex una et R.D. Abbatem Wedinghausanum et Conventum Olinghausanum Monialium ex altera partibus factam, qua Abbas Knechtstedensis accipere debeat quinque millia talentorum imperialium pro iure paternitatis in monasterium Olinghausanum in favorem Abbatis Wedinghausani cessione disceptantis discussit et diu examinavit, et R. admodum Abbas Cuissiacensis ex commissione Reverendissimi Domini Generalis praesidens, adveniente meridie, sessionem suo decreto conclusit et indixit aliam ad secundam horam pomeridianam in qua negotium ventilari coeptum discutiatur et diffiniatur. Mensae in prandio praesedit Reverendissimus Dominus Praemonstratensis.

Sessio decima quarta, die 5a Maii 1657, post meridiem.

Ad pulsum maioris campanae aulam capitularem ingressis Patribus capitularibus, incoepit solitas preces Reverendissimus Dominus Praemonstratensis, qui statim a Capituli secretario submonitus nondum esse definitum negotium Olinghausanum, propter quod ab aula capitulari in antecedente sessione recesserit, statim ipse et cum eo R.D. Philippus Babeur, abbas Dominimartinensis secessit, et praesidendi vices R.D. Cuissiacensi commisit iisque egressis Venerabilis f. Petrus Teueren supradictus rogavit sibi fieri licentiam loquendi; qua concessa, dixit sibi non videri posse Capitulum Generale quidquam decernere, super concordia seu transactione in praecedenti sessione memorata, eo quod docu-

[212]) I. Amour.

menta seu copiae transactionis non sunt authentica; nec sciri possit an quid sit in iis mutatum, vel an sint notarii qui illi subscripserint; Capitulum, eo audito, et recedere iusso, iussit quoque recedere Vener. Patrem Ioannem Luckenrath, praesidem Collegii supradictum; quo absente Capitulum prosecutum est (727) inchoatum examen praedictae concordiae seu transactionis ... definiens declaravit et declarat supradictam concordiam seu transactionem inter dictum R.D. Knechtstedensem ex una, et R.D. Wedinghausanum et Venerabilem Conventum Wedinghausanum Monialium ex altera partibus 26. Iulii 1656 factam, qua Abbas Knechtstedensis accipere debeat quinque milia talentorum imperialium a monasterio Wedinghausano pro iure paternitatis in dictum monasterium Olinghausanum in favorem Abbatis Wedinghausani esse nullam et irritam, prout illam annullavit et praesenti decreto annullat et irritat, tamquam simoniacam. Quoad vero expensos 1500 thaleros imperiales et honorarium ad 600 thaleros in eadem transactione seu concordia taxatos, Capitulum decernit standum esse dictae concordiae seu transactioni, facta prius defalcatione pretii vasorum argenteorum paramentorum Ecclesiae pro R.D. Knechtstedensi a monasterio Olinghausano emptorum, Vicarii generalis Westphaliae[213]) iudicio aestimandi. Capitulum non considerans remonstrationem dicti fr. Petri Teueren, et volens prospicere ut suum decretum cedat in rem factam, committit R.D. Vicarium generalem Westphaliae, ut authoritate Capituli Generalis sibi repraesentari faciat originale dictae concordiae, et si viderit illud concordare cum copia ad Capitulum transmissa, praesens decretum publicet et exequatur, atque secundum qualitatem delicti servata forma iuris et Statutorum Ordinis, RR.DD. Knechtstedensem et Wedinghausanum et Vener. Conventum Wedinghausanum taliter contrahentes puniat.

[106] Item, proposuit supradictus Prior Collegii Coloniensis an ad continendos omnes Ordinis religiosos sub una Reverendissimi Patris et Domini Praemonstratensis debita obedientia, non debeat in professionis formula addi: *promitto tibi Praelato locali tuoque in Ordine Superiori generali*; respondit Capitulum nihil innovandum esse, et per Ordinis solitam professionis formulam satis praedictae obedientiae Reverendissimo Domino Praemonstratensi esse cautum.

[213]) Norbertus Horrichem, die 30ª Aprilis 1633, ab abbate generali Petro Gosset suum vicarium pro circaria Westphaliae constitutus, ab Augustino le Scellier, die 26a Septembris 1649, in munere confirmatus est dum insimul curam habuit de circariis Ilfeldiae et Vadegotiae. Düsseldorf, Staatsarchiv, Akten Steinfeld, n. 40.

[107] Item, ad propositionem Patris Prioris decernit Capitulum quod Reverendissimus Dominus Praemonstratensis eiusque Vicarii aut etiam Visitatores possint assumere Religiosos ex monasterio et ad alia, reformationis introducendae aut conservandae causa, transmittere, non obstante proprii Praelati contradictione, quando eumdem Praelatum iudicant non rationabiliter contradicere.

[108] (728) Item, supplicavit decerni ut nullus inferiorum audeat nec sub quovis praetextu permittatur Praemonstratum venire, vel ad Vicarium generalem absque obedientialibus litteris; Capitulum respondit standum esse sancto Concilio Tridentino, sess. 25, cap. 12, de Regularibus, et Statutis Ordinis[214]).

[109] Item, quaesivit idem Collegii Coloniensis Praeses, an Abbates obligentur reddere computus coram Conventu de singulis acceptis et expensis, praeter computus Officialium de quibus disponunt Statuta. Capitulum respondit Abbates, Praelatos aliosque Superiores, qui per se administraverint debere non minus quam Officiales conventui computus et rationes reddere, si autem per Officiales administraverint, non teneri.

[110] Item, auditis rationibus RR.DD.AA. Lucensis, Siloensis et Cellae Omnium Sanctorum[215]) ad examinandum transactionem seu concordiam inter Illustrissimum Rev. D. Antonium, Principem Episcopum Brixinensem[216]), atque eius Capitulum ex una parte, et R.D. Augustinum, Abbatem Staingadensem[217]), Circariae Bavariae Vicarium generalem, supra iurisdictione in monasterium Wiltinense, die 9a mensis Decembris anni 1655 factam, Capitulum decernit et decrevit praedictam transactionem in aliquibus articulis modificandam, et talem committit Rev. Domino Wiltinensi[218]), dicto Domino Episcopo Brixinensi eiusque Capitulo exhibere, et authoritate Capituli Generalis confirmatam. Quod si dictus Dominus Episcopus omnino noluerit consentire in eiusmodi modificatione, dictus Dominus Wiltinensis transactionem, ut iacet, et Capitulo exhibita fuit, eadem authoritate confirmet, et confirmatam praedictis Revmo Episcopo et Capitulo Brixinensi exhibeat. Et Reverendissimus Dominus Praemonstratensis terminatam declarat ses-

[214]) Scriba Gregorius du Crocq sequentem glossam adiecit: *Voicy la teneur dudit Concile: nec liceat Regularibus a suis Conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint.*

[215]) M. Paul, V. Rösler, A. Schlecht.

[216]) A. Krusin.

[217]) A. Arzet.

[218]) D. Löhr.

sionem et alteram indicit ad horam octavam matutinam diei sequentis, et suas coenae praesidendi vices admodum R.D. Cuissiacensi[219]) commisit.

Memoriale concordiae seu transactionis Wiltinensis cum Episcopo et Capitulo Brixinensi et limitatio Capituli Generalis[220]).

[111] Haec Transactio facta anno 1655 in Civitate Brixinensi per Episcopi Brixinensis deputatos et per Abbatem Staingadensem, Revmi Generalis Vicarium, habet multas paginas. Ergo congressi sunt ut concordarent ut patet ex longioribus scripturis, ab his actis Capitularibus separatim positis; Capitulum ergo Generale postquam omnia examinasset, sistendum censuit in ultimis actis, pro parte Domini Episcopi oblatis, quae sunt talia, videlicet:

Ad ulteriorem oblationem admodum R.D. Abbatis Staingadensis, tamquam mandatarii Ordinis Praemonstratensis, declarat tandem Illustrissimus et Reverendissimus Princeps ac D.D. Episcopus Brixinensis, quod accedente consensu Capituli (729) Cathedralis suae Ecclesiae, non obstante litis pendentia in Sacra Rota Romana ex mero zelo devotionis insistendo vestigiis beneficentiae suorum antecessorum Cathedralis huius Ecclesiae Brixinensis Episcoporum, qui monasterium Wiltinense implantaverunt et fundarunt, libere et ultro, vere cedere velit et horum vigore omni meliori modo cedat iurisdictionem ordinariam super dicto Monasterio in visitationibus et correctionibus Abbatum et aliis eidem annexis et dependentibus, salvo tamen semper Illustrissimae et Reverendissimae suae Celsitudinis iure dioecesano, sicut et benedictionis Abbatum et ordinationis religiosorum eiusdem monasterii et aliorum omnium iurium quae alias vigore sacrorum canonum concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum competunt Episcopo Brixinensi, in omnia quaecumque Monasteria et loca pia etiam quomodolibet exempta in sua Dioecesi existentia.

[219]) I. Amour.

[220]) Adiecit scriba Gregorius du Crocq notam sequentem: *Voicy les articles de la susdite Transaction faite par l'abbé de Steingaden avec l'Evesque de Bressanon et son Chapitre pour la juridiction sur l'Abbaye de Wiltines, qui est après les Actes de ce Chapitre dans l'original; et ie le mets icy pour delivrer le lecteur de la peine de la chercher ailleurs. Ou tu dois remarquer que la dernière conclusion de la Transaction n'a esté faite qu'après plusieurs pourparlers et offers de part et d'autres en divers iours, comme font les marchands, qui du premier coup ne disent pas leur volonté. Donc voicy ce qui fait nostre Transaction.* In ms. Nancy 994, fol. 213-214 *Memoriale Transactionis* hic insertum est. Diploma authenticum huius transactionis asservatur in archivo abbatiae Wiltinensis, N° 9, H. 9 et in tabulario capituli cathedralis Brixinensis, fasc. Wilten. R. PALME, *Die Abtwahl im Stift Wilten von der Gründung bis zur Zeit des Exemtionsstreites*, in *An. Praem.*, XLVIII, 1972, 40-42 textum edidit.

Limitet Capitulum Generale, si possibile sit, in hunc modum. Si sedes Episcopi vacabit, aut alias quomodolibet impedietur, tunc licebit ad alium Episcopum pro benedictione abbatum et fratrum ordinationibus recurrere. Item si fratres in alio loco studiorum gratia vel alia causa ab Abbate approbata morabuntur.

Secundus articulus. In specie vero et per expressum reservat sibi Illustrissima sua Celsitudo ius interveniendi per se vel per Vicarium suum generalem aut aliquem canonicum huius Cathedralis Ecclesiae a se deputatum commissarium in Electionibus novorum Abbatum, in iisque praesidendi ac praecedendi quoscumque intervenientes Dominos Abbates ex parte Ordinis Praemonstratensis, qui actus dirigat. — Simultanee, tam a Commissario praedicto, quam a dictis intervenientibus Abbatibus, secundum Statuta ac ordinationes dicti Ordinis Praemonstratensis.

Limitatio 2di articuli a Capitulo Generali desiderata. Cum Illustrissimus Dominus Episcopus non velit aliud quam consultius esse suae dignitati et honori, non autem nocere Monasterio, sufficit ad eius intentionem facta ex parte Ordinis ad assistendum Electioni invitatio, ita ut quando iudicio prudentiae exspectatus Dominus Episcopus ad monasterium non veniret, seu ad canonicam ab Ordine indictam diem non adesset, posset ad electionem procedi.

Tertius articulus. Et postquam novus Abbas ab Illustrissima Sua Celsitudine per se, vel per suos, ac aliis Dominis Abbatibus intervenientibus, ut supra, pro legitime electo agnitus, et probatus fuerit, teneatur in recognitionem implantationis et fundationis dicti monasterii camerae episcopopali persolvere centum thaleros imperiales.

Limitatio tertii articuli a Capitulo desiderata. Implantationis titulus non est fundationis proprie, Dominus Episcopus implantator est, non proprie fundator. Capitulum Generale difficile inducitur ut in concordia rei spiritualis (730) appareat simoniae species. Optat ut Illustrissimus Dominus Episcopus aut non petat thaleros, aut meliori titulo, videlicet itineris expensarum petat, idque non in perpetuum, sed quod possint una solutione extinguere.

Quartus articulus. In benedictione vero Abbatiali (quam teneatur ab Ordinario Brixinensi tempore a iure praescripto recipere) deponat suum solitum iuramentum ad manus eiusdem, ubi etiam solvat taxam pecuniae ab antiquo solutam 42 florenorum Rhenensium, salvis etiam aliis iuribus dioecesanis quoad steuras, contributiones, charitatis subsidia cathedralia Episcopo solvi solita.

Limitatio quarti articuli a Capitulo desiderata. Iuramentum hoc intelligitur ut obedientia a parochis debita promittatur ab Abbate uti promittitur a parocho sicut antiquitus factum. Benedictio viventi Episcopo et conferre volenti deferetur, non alias vacante enim Sede, aut Episcopo non volente benedicere, benedictio differeretur cum praeiudicio Archiducum; promptus siquidem Pontificalium usus in Abbate Wiltinensi est necessarius pro Curia Serenissimorum Archiducum, quorum Capellanus est.

Quintus articulus. Quoad modum convocationis ad actum electionis observatur hic ordo. Obitus Abbatum statim intimetur a Conventu Wiltinensi tam Domino Episcipo Brixinensi, quam Vicario generali Circariae Bavariae Ordinis Praemonstratensis; qui cum Domino Episcopo tempus conveniendi in monasterio Wilthinensi ad electionem novi Abbatis designet. Qui modus etiam observatur in casu resignationis, depositionis seu privationis Abbatis.

Limitatio quinti articuli a Capitulo Generali desiderata. Hic articulus corrigi potest sine praeiudicio Episcopi, scilicet ut dicatur quod Abbas Rothensis[221]), qui est Superior immediatus monasterii Wilthinensis (Ordo eos vocat Patres Abbates), debeat moneri de obitu Abbatis et ei deferatur sigillum defuncti abbatis.

Sextus articulus. Expensae Romae, aut alibi in supradicta litis pendentia utrimque ita sint compensatae, ut una alteri parti nihil restituere teneatur. Super quibus ita compositis, transactis et concordatis, tria dirigantur instrumenta, unum pro Illustrissima sua Celsitudine, alterum pro Ordine, alterum pro Abbate Wilthinensi, sigillis et subsignationibus corrobarata solitis, et confirmata, Brixiae, 9a mensis Decembris anni 1655. Signatum Franciscus secretarius[222]).

Sessio decima quinta. Die sexta Maii 1657, de mane

[112] Precibus solitis ad Deum fusis, pronuntiatoque per Reverendissimum Dominum (731) Praemonstratensem «*Benedicite*», ad instantiam Rev. Domini Matthaei Paul, Vicarii Moraviae, Bavariae, Hungariae et Poloniae, coeterorumque RR.DD. Abbatum Germaniae, Capitulum, attentis meritis et amplitudine Ecclesiae Plagensis Ordinis

[221]) Abbatia Rothensis uti mater canoniae Wiltinensis. Cfr. BACKMUND, I, 33 et 69.

[222]) Glossa scribae du Crocq: *Cette insertion de Traité soit icy par miséricorde par parenthèse; qu'on sache toutesfois qu'elle n'est pas dans l'original dans la copie des Actes. Mais après.*

7 A 246-5

Praemonstratensis in superiori Austria, dioecesis Passaviensis, Circariae Moraviae, eandem Ecclesiam, hactenus Praeposituae infulatae honoribus elatam, ad maiorem Dei gloriam ad abbatialem cum omnibus iuribus Abbati in Ordine competentibus dignitatem evexit et praesenti decreto evehit.

[113] Item, audita relatione super quaerimonia Monialium Olinghausanarum sibi per Capitulum Generale provideri contra R.D. Abbatem Wedinghausanum[223]), qui ratione victualium et utensilium ex Wedinghausen sibi primitus subministratorum et hactenus non aestimatorum, aut bene liquidatorum, cedunt loco pignoris pinguissimarum villarum, ut non exiguas pachtas, cum magno gravamine sui Coenobii Olinghausani, illectaque in contrarium ratione, Capitulum decernit ut expediatur commissio Vicario generali Westphaliae ut computum expensarum, rationes productorum, victualium et utensilium, atque etiam suppellectilis praepositi Olinghausani fieri, aut factam sibi repraesentari faciat; et comperto quod R.D. Abbati Wedinghausano inde debeatur compensationem fieri, mandat per fructus ex iisdem villa et pachtis oppignoratis ab Abbate Wendinghausano perceptos eidem monasterio Olinghausano praedictam villam et pachtas, facta compensatione authoritate Capituli Generalis restituere faciat.

[114] Item, Capitulum, audita earumdem Monialium Olinghausanarum quaerela, dicentium sibi a nobilibus provinciae Westphaliae deberi octingentos Thaleros, eos tamen Abbatem Wedinghausanum velle sibi arrogare in summum earum praeiudicium, committit vices suas Vicario generali Circariae ut informet de eiusmodi debito, et cui competere iudicabit, adiudicet.

[115] Item, contra R.D. Wedinghausanum expostulantes Moniales Wendinghausanae dicunt quod Vicariis ab Olinghausen dependentibus, ipse Abbas Wedinghausanus assignaverit pensiones exorbitantes. Capitulum decernit ut Vicarius generalis Circariae eiusmodi pensiones ad usum et consuetudinem patriae revocet et reducat.

[116] Item, Arnsbergensis seu Wedinghausanus Conventus supplicavit permitti Missas Ordinis applicari quotidianis, quae a privatis petuntur, Missis, eo quod monasterium vix habeat alios, quam qui ex Sacristia proveniunt, reditus. Capitulum commisit Vicarium generalem Westphaliae qui se de numero proventuum informet et si compererit petitionem veritate niti, concedat ut Missae Ordinis privatorum (732)

[223]) H. Koch.

intentioni applicari queant, addita privatis defunctorum Missis collecta pro benefactoribus Ordinis, et in aliis Missis collecta pro Praelatis et vivis benefactoribus.

[117] Item, committi monasterium Wadegotiense visitationi Abbatis Cellae Omnium Sanctorum[224]), uti Vicarii Revmi Domini Praemonstratensis, donec aliter per Dominum Praemonstratensem vel Capitulum Generale fuerit ordinatum.

[118] Item, ad propositionem Venerabilis Patris Basilii Liegault, Prioris Sancti Martini Laudunensis, Capitulum declarat Conventum Sancti Martini non teneri dicendum «*Salve*» cum aliis precibus diebus Sabbatinis a quodam professo et regulari Abbate fundatum.

[119] Item, Abbas Vadegotiensis[225]) exposuit Capitulo quod ipse fuerit electus dum Abbatia Praemonstratensis, cuius est filius, vacaret, et tempore saevissimi belli, quo nemo de Ordine potuerit electioni praesidere, et coactus fuerit ab Eminentissimo Domino Episcopo Trevirensi, suo Dioecesano[226]), confirmationem petere, quam tamen noluit conferre nisi per litteras quas vocant reversales, ipse electus prius pro successoribus promitteret eos a Dioecesano confirmationem petituros, et petiit a Capitulo desuper provideri. Capitulum declarat quod eiusmodi confirmatio in supradicto eventu non potuerit dari ab Episcopo, nisi tamquam a Sede Apostolica delegato. Quoad litteras, ut supra reversales, Capitulum eas improbat et declarat huiusmodi promissionem fuisse et esse illicitam et nullam, prout illam irritat et annullat, inhibens Abbatibus Wadegotiensibus pro tempore electis ne confirmationem ab alio quam a Domino Praemonstratensi, Patre Abbate, aut eius Vicariis, vel etiam iis deficientibus a Visitatore petere aut recipere praesumant.

Quod decretum extendit etiam ad quoscumque alios Ordinis Praelatos, quibus inhibet confirmationem suae electionis a Dioecesanis petere vel accipere, mandans ut eam petant a Patre Abbate; vel si haberi nequeat, a Vicario Revmi Domini Praemonstratensis; quo pariter impedito a Circariae capitulari Visitatore; eum vero qui contra fecerit, Capitulum Generale ipso facto iure per electionem quaesito privat et declarat ad aliam electionem esse procedendum.

[120] Item, Venerabilis fr. Petrus Teueren supplicavit sibi fieri licentiam loquendi; qua concessa, legit protestationem et petiit humiliter Actis Capituli inseri; est autem huius tenoris:

[224]) A. Schlecht.
[225]) Ph. Gretsch.
[226]) C. von der Leyen.

Revv. et Amplissimi Definitores coeterique Patres venerabilis Capituli huius Generalis, comparet coram vobis, nomine Rev. Admodum Domini Praelati Knechtstedensis[227]) *procuratorio nomine infrascriptus; et qua decet submissione hanc protestationis schedulam exhibet. Cum 29 Aprilis anni huius 1657 in prima sessione huius Capituli Generalis Ordinis nostri Praemonstratensis, ad obedientiam Revmo Generali praestandam (quod solis Praelatis (733) iuxta Ordinis praeceptum competit) admissus sit Dominus Ioannes Dillen, praepositus Heinsbergensis*[228]), *haec autem praepositura, cum Praelatura non sit, sed manuale officium, ac merum delegatum ministerium, qua ratione ab immemoriali tempore dignoscitur administrata, et ex eo actu a Domino meo Praelato Knechtstedensi, qui ipsum et iurisdictionem in suum Religiosum voto obedientiae sibi adstrictum, integram esse vult contra fas et ius praeiudicatur. Hinc memorati mei Praelati nomine, protestor de nullitate et iniquitate huius actus; hanc meam protestationem per Capituli Secretarium petens actis publicis inseri, ne quod semel gestum est, trahatur in consequentiam. Signatum ex commissione praefati Domini mei Praelati: fr. Petrus Teueren.* — Capitulum decernit per insertam protestationem in scriptis datam, una cum contraria verbotenus per R.D. Ioannem Dillen praepositum Heinsbergensem facta; iungendam esse processui Heinsbergensi, prout eam iunxit.

[121] Item, Capitulum dictum processum commisit et committit RR. Dominis Abbatibus Vito Siloensis monasterii, S. Theologiae Doctori, Nicolao, Sanctae Mariae Mussipontanae[229]), Bonaventurae, Rengisvallis[230]), Anastasio, Cellae Omnium Sanctorum, Venerabili Patri Petro Thienville seniori Abbati Mussipontano, Doctori Theologo, Basilio Liegault, S. Theologiae Licentiato, Priori S. Martini Laudunensis et Epiphanio Louys, priori Mussipontano, qui processum ad Capitulum referant. Quam referendariorum deputationem acceptarunt Rev. D. Ioannes Dillen, Praepositus, et Venerabilis fr. Petrus Teueren procuratorio sui Praelati nomine, supradicti subsignarunt: *Sic fateor: fr. Ioannes Dillen, praepositus Heinsbergensis, cum parafo. Sic fateor: fr. Petrus Teueren, procurator admodum Rev. mei Praelati Knechtstedensis.*

[227]) L. Teveren.

[228]) Ioannes Dillen iura sua in praeposituram exemptam monasterii Heinsbergensis defendit in opusculo *Funiculus haereditatis Sanctissimi Patris Norberti ... hoc est descriptio monasterii Heinsbergensis, religiosarum ... sacram Augustini regulam professarum*, Leodii, 1657. Cfr. F.W. SAAL, *Die Abtei Knechtsteden ...*, 70-74; W. GOSSES, *Eine neue Knechtstedener Handschrift ...*, 211; GOOVAERTS, I, 193.

[229]) Nicolaus Guinet.

[230]) B. Messin.

[122] Item, Capitulum decernit ut in commissione Vicarii et Visitatoris Westphaliae inseratur, quod debeat monasterium utriusque Cellae Superioris et Inferioris[231]) prope Herbipolim et utriusque Ilbenstadiensis[232]) in dioecesi Moguntina, visitare.

[123] Item, quaesitum est an Venerabili Patri Nicolao Aubert, procuratori Ordinis in Parlamento Parisiensi non debeant iuxta taxam a Revmo Domino Praemonstratensi faciendam contribuere omnia Monasteria in Regno Franciae constituta? Qua quaestione proposita, Venerabilis Pater Augustinus Guillard, Vicarius generalis Communitatis antiqui rigoris, dixit se loqui ut privata persona, sibi videri considerandum quod eadem Communitas habeat monasteria in Normannia quae habeant pro iudice Parlamentum Rothomagense, non vero Parisiense; respondit Capitulum omnia Monasteria quae sunt in regno Franciae seu sub Regis Christianissimi sceptro, etiam quae sunt in Normannia et alibi, debere Venerabili fr. Nicolao Aubert, procuratori regulari Ordinis Praemonstratensis, contribuere, taxam (734) vero moderatiorem esse faciendam respectu eorum qui Parlamento Parisiensi non subiiciuntur.

[124] Item, eidem Patri Guillard supplicanti ut nihil desuper decernatur, nisi habito consilio monasteriorum Normanniae a quibus non habet ad hoc speciale mandatum procurae. Respondit et decrevit Capitulum decretum suum manere et provisionaliter vim habere. Si vero aliquid habuerint Patres Normanniae repraesentandum, audiendos fore in proximo Capitulo generali.

[125] Item, ad remonstrationem Revmi Patris Generalis, Capitulum decernit a Christianissimo Rege attributionem iurisdictionis magno consilio pro toto Ordine in Gallia, pro quacumque causarum cognitione quae Ordinem spectabunt, tam in capite quam in membris, esse ponendam[233]).

[126] Item, decrevit quod cellae religiosorum seris claudantur, ita tamen ut Superior clavem ad eas pro sua voluntate aperiendas habeat. Et Reverendissimus Dominus Praemonstratensis sessionem suo decreto

[231]) Abbatia Cellae Superioris (= Oberzell) et monasterium sororum Cellae Inferioris (= Unterzell) exstant prope civitatem Herbipolim (= Würzburg). Cfr. BACKMUND, I, 98-101 et 114-115.

[232]) Virorum canonia Ilbenstadt (Oberilbenstadt) et mulierum prioratus Nieder-Ilbenstadt uti monasterium duplex erecti fuerunt. Cfr. BACKMUND, I, 98-101 et 114-115. Anno 1652 duae tantum sorores supererant in Niederilbenstadt ita ut praepositus Ilbenstadiensis monasterium supprimendum esse aestimaret.

[233]) Hoc decretum deest in ms. Nancy 994.

conclusit, indicta post meridiem de more altera, suasque praesidendi in prandio vices Abbati Siloënsi commisit.

Sessio decima sexta. Die sexta Maii 1657, post meridiem.

[127] Item, Rev. Dominus Cuissiacensis exposuit in Capitulo se in suo monasterio habere Religiosum qui saepius apostataverit, a fere viginti suae professionis annis, cui nomen Michael Soyer, et quaesivit an videretur professus valide, cum semper contra professionem reclamaverit uti metu factam. Capitulum respondit infamandum esse de reclamatione infra quinquennium facta, quo casu, datur locus actioni, iuxta Concilium Tridentinum, Sess. 25, cap. 19, de Regularibus.

[128] Item, quaesivit an Religiosi Ordinis possint ad tribunal Ecclesiasticum saeculare vel laicum, trahere suos Superiores. Respondit Capitulum quaestioni esse provisum in Statutis, et non posse, et declarat Praelatum non teneri dare pensionem religioso qui invito suo Superiore pastoratum saeculare retinet.

[129] Item, quaesivit R.D. Abbas Vallis Serenae[234]), quid intelligatur per particulam «*de consilio*», cum in Statutis vel alibi dicitur faciendum de consilio alterius vel aliorum; respondit Capitulum non aliud intelligi, quam quod debet peti consilium.

[130] Item, Capitulum, recedente Revmo D. Praemonstratensi et suas praesidendi vices Abbati Domnimartinensi[235]) committente, abeunte quoque R.D. Abbate Vallis Serenae[236]), qui quaestionem proposuit, definivit Capitulum atque definit quod Revmus D. Praemonstratensis possit pro sua authoritate immutare decreta Capituli provincialis cui interfuerit et quibus ipsemet subscripserit.

[131] Item, decrevit quod Doctores qui hactenus usi sunt biretis violaceis vel alterius coloris possint ea retinere; qui vero de coetero Doctoratus gradu insignes fient nequibunt illis (735) uti nisi dum ex suggestu ad populum concionabunt, vel disputationibus praesidebunt, aut actibus academicis seu aliis Comitiis generalibus aut provincialibus intererunt.

[132] Item, decrevit Capitulum ut Ordinis nostri Canonici dum per urbes in publicum prodeunt, utantur palliis oblongis, quae sint materiae modestae, et parabilis.

[234]) D. de Lorris.
[235]) Ph. Babeur.
[236]) D. de Lorris.

[133] Item, decrevit quod Cantor et Succentor et alii qui in duplicibus pluvialia gerunt, almutiis utantur, etsi chorus sit in cappis laneis.

[134] Item, decrevit Capitulum quod iuxta Statuta, Priores claustrales ad aliud monasterium euntes primum post Priorem obtinent locum.

[135] Item, quaesitum quid precum fieri debeat pro alterius monasterii defuncto fratre? Capitulum respondit unum pro eo debere fieri sacrum privatum, si is qui defunctus nuntiatur, fuerit de eorum Circaria.

[136] Item, definit Capitulum non esse Conventui imponendas preces, nisi quae in Statutis et Ordinario praescribuntur, extra statum publicae necessitatis, praeter Litanias Lauretanas post Completorium recitari solitas.

[137] Item, occasione Rev. admodum Cuissiacensis[237]), qui non obstante quod sit de Communitate antiqui rigoris visitat, uti Pater Abbas, monasterium filiale Loci Restaurati[238]) quod eius rigori non est aggregatum, quaesitum est an etiam Abbates Ordinis qui habent aliquod filiale monasterium dictae antiqui rigoris Communitati subiectum, non possint illud iuxta coaeva Ordinis iura visitare? Capituli Definitores qui in hoc praesenti Capitulo sunt partim de dicta Communitate, partim non sunt de ea, nihil inauditis dictae Communitatis deputatis diffinire volentes cum eis disseruerunt, et partibus in diversa abeuntibus proposuit Revmus Pater Generalis eisdem deputatis ordinem non debere dividere charitatem inter membra et bonam correspondentiam debere retineri, atque omnibus omnino litibus abstinendum, et adiecit eo se adduci consilio, et praedictos deputatos aliosque RR.DD. Abbates eiusdem Communitatis et definitores supra adductos, ut quaestio ad Eminentissimum et Reverendissimum D. Cardinalem Carpineum[239]), Ordinis protectorem in Curia Romana, communi consensu referatur, et quod ipse desuper resolverit ambabus ulnis ab utraque parte acceptetur et libentur observetur. Audito tamen eius consilio, tres deputati praedicti licentiam a Capitulo receperunt paululum simul recedendi, et consultandi, et statim ad definitorium redeuntes dixerunt se libenter consilium acceptare, et iudicio Eminentissimi D. Cardinalis protectoris, super dicta quaestione dando, se et suos principales acquieturos; vix tamen conclusionis decretum secretarius conceperat cum petunt inducias usque in sequens mane, et induciae sunt concessae, et conclusa est sessio.

[237]) I. Amour.

[238]) Locus Restauratus = Lieu-Restauré prope Villers-Cotterets, nunc in dioecesi Bellovacensi = Beauvais. Cfr. BACKMUND, II, 513-515.

[239]) Vide notam 151.

(736). *Sessio decima septima, die Lunae. Die septima Maii*, de mane.

[138] Post preces solitas et «*Benedicite*» a Revmo D. Praemonstratensi pronuntiato, Rev. D. Vitus[240]), unus de RR.DD. deputatis de Heinsbergensis processus referendariis, dixit se habere aliquid Capitulo dicendum, occasione dicti processus. Et statim Revmus D. Praemonstratensis ab aula capitulari, vicibus praesidendi commissis admodum D. Cuissiacensi[241]), recessit, tunc occupatis in visitatione Praemonstratenis coenobii, RR.DD. Abbatibus Domnimartinensis, Vallis Serenae et Lefflensis[242]). Eo tamen egresso, idem R.D. Siloensis[243]) retulit ad Capitulum Generale quod Venerabilis f. Petrus Teueren, procurator Rev. Domini Leonardi, abbatis Knechtstedensis apud eosdem DD. deputatos hesterna die protestatus fuerit se in processu de coetero non responsurum, nisi prius R.D. suus Praelatus in posessionem iuris patronatus in monasterium Hinsbergense restituatur.

[139] Item, quod dictus Petrus Teueren exhibuerit eisdem deputatis duos libellos impressos, non vero dederit ullum qui haberet ullam subscriptionem et sigillum. Ideo Capitulum mandavit ut si quem sigillatum dictus Petrus haberet, Capitulo praesentaret. Et illis praesentavit libellum impressum Coloniae apud Arnoldum Kempens 1657 cuius titulus: *Humilis et extorta Infirmatio*[244]), et constat triginta novem et media paginis, et extrema verba sunt: *lectum Knechtsted. et publicatum*

[240]) V. Rösler.

[241]) I. Amour.

[242]) Ph. Babeur, D. de Lorris, P. Noizet.

[243]) V. Rösler.

[244]) Agitur de libello a Michaele Himselrath conscripto: *Humilis et extorta Informatio seu vera relatio PP. Abbatibus Norbertinis evocatis pro Capitulo Generali hoc anno 1657, 29 mensis Aprilis Praemonstrati sessuris et sedentibus remonstratiua pro: et Excessuum quibus Reverendissimus D. Dominus Augustinus Le Scellier Abbas Praemonstratensis, eoque titulo Generalis eiusdem Ordinis sui Fratrem Leonardum Teveren eiusque Conventum Knechtstedensem in Iure paterno Monasterii Hinsbergensis publice turbando summe gravavit, cum iteratis protestatione et eventuali Appellatione, anathemate et declaratione per Procuratorem Knechtstedensem memoratis Patribus reuerenter exhibenda et exhibita*, Coloniae. Ex Officina Typographica Arnoldi Kempens, anno M.DC.LVII, in fol. cfr. GOOVAERTS, 389. Quia continebat graves accusationes contra abbatem generalem haec defensio activitatis Leonardi Teveren, uti patris-abbatis monasterii de Heinsberg, a capitulo generali acriter disceptata et condemnata fuit. Vide infra Acta nn. 186, 204, 205, 210. Circa eventus huius litis vide Th. PAAS, *Der Kampf der Prämonstratenser um ihre Exemtion in der Kölner Erzdiözese* in *Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte. Kanonistische Abteilung*, XXI, 80. Michaël Himselrath, religiosus Knechtstedensis, natus anno 1612, professus 1635, confessarius in Heinsbergen, obiit 11 Septembris 1672. Cfr. W. GOSSES, *Eine neue Knechtstedener Handschrift* ..., 212.

pro Capitulo die 26 Martii anno 1657, et sequitur signatura: *f. Leonardus Teueren, abbas Knechtstedensis* cum parafo et sigillo in cera rubea hispanica. Sub qua signatura sunt impressae adhuc quattuordecim et media lineae, quae non sunt subscriptae. Et idem f. Petrus dixit se nescire an attulerit aliquam sigillatam copiam libelli alterius a se similiter porrectae, cui titulus: *Resolutio quaestionis: Utrum Monialium, etc.*, sed videndum an ex illis, quae Patribus distribuit, sit aliqua subscripta et sigillata. His autem examinatis, Capitulum decrevit et decernit, quod non obstante dicta hesterna dicti Petri Teueren protestatione, RR.DD. deputati procederent ad examen processus punctorum per Reverendissimum Dominum Generalem ad praesens Capitulum remissorum, eo quod si dictus Petrus Teueren habuerit aliquid deinceps protestandum, coram ipso Capitulo generali protestetur. Quod decretum cum lectum esset dicto Petro Teueren, dixit se non esse protestatum, ut verba superius sonant, sed se esse protestaturum seu non responsurum ad quaestiones quae petitorium tangunt, responsurum tamen ad eas quae possessionem tangunt. Super quo Rev. Capitulum generale habet iudicare, ut lite in possessorio decisa, stet penes Capitulum iudicare petitorium in partibus vel in Brabantia deputando et, eo recedente ab aula capitulari, Capitulum decrevit iam factum decretum stare.

[140] (737) Item, quaesitum an Priores claustrales debeant esse triennales, Capitulum diffinit non esse triennales, sed ad nutum et omni tempore amovibiles.

[141] Item, Capitulum ad supplicationem Prioris Lisquensis tallias dicti Monasterii Lisquensis[245]) reduxit et reducit ad decem libras Turonenses.

[142] Item, decrevit Capitulum et mandat R.D. Abbati Bellelagiae[246]), ut solvat expensas in commissione Revmi Domini Generalis contra Illustrissimum D. Episcopum Basiliensem[247]), per R.D. Georgium, abbatem Adelbergensem, commissarium, pro iurisdictione Ordinis, et ab Episcopi iurisdictione libertate dicti Bellagiensis monasterii factas cum iudicio Vicarii Circariae Sueviae liquidandas, si hactenus non fuerint liquidatae.

[143] Item, Capitulum revocat decretum Capituli Generalis anni 1633,

[245]) Abbatia de Licques, cfr. BACKMUND, II, 413-417.

[246]) Annis 1637-1666, Ioannes Petrus Cuénat abbatiam Bellelagiae = Bellelay (in dioecesi Basileensi Helvetiae) rexit. Cfr. N. BACKMUND, I, 453-465.

[247]) Ioannes Conradus von Roggenbach, annis 1656-1693, erat episcopus Basileensis. Cfr. B. GAMS, p. 261.

quod incipit: *Ad sublevandos*, etc., in favorem R.D. Abbatis Albae Curiae[248]), expeditum, et permittit eidem ut exigat summam pecuniae in eo contentam iuxta illius normam et tenorem.

[144] Item, Capitulum mandavit et mandat omnibus Superioribus ut suas et Ordinis libertates tueantur et maxime ne permittant ut Curati saeculares ab Ordine independentes in praediis exceptis curam exerceant animarum.

[145] Item, ad petitionem fratris Ioannis Penillon, prioris Albae Curiae, petentis an Capitulo Generali commissarios qui modernum eiusdem monasterii statum agnoscant, et delinquentes si qui fuerint iuxta formam Ordinis puniant, Venerabilis Pater Thomas Forceville, prior Albae Curiae, petita loquendi venia, et facta protestatione contra qualitatem prioris a dicto Penillon assumptam, dixit quod debeat remitti eius status cognitio ad Parlamentum Parisiense apud quod querelae iam sunt depositae, et processus inchoatus. Capitulum respondit supra hoc nihil decerni posse sed iudicium Parlamento relinquit.

[146] Item, Capitulum dedit et dat facultatem R.D. Nicolao Guinet, abbati Sancti Mariae Maioris Mussipontanae ad doctoratus Theologiae gradum ascendendi.

[147] Item, Capitulum inhibet ne quis in publico concionari praesumat, vel audeat absque Superioris sui licentia, nisi ei cura animarum incumbat.

[148] Item, duo contractus pro parte D. Abbatis commendatarii Perrodii Novi[249]) Capitulo ad confirmationem obtinendam porrectos, Capitulum examinandos dedit R.D. Edmundo Sauvage, abbati Buciliensi, et ad Capitulum referendos.

[149] Item, Capitulum decrevit ut post rhetoricum studium in Perrodio Novo incoeptum, habeatur ibidem studium philosophicum; lectoris vero deputationem Visitatoribus a Revmo D. Praemonstratensi aut a Capitulo Generali deputandis relinquit.

[150] Item, Revmus Dominus Praemonstratensis mandavit Venerabili Priori Ardenae[250]), Vicario suo generali Communitatis antiqui rigoris, ut (738) exhibeat sibi statum Communitatis eiusdem et visitationum ab eo factarum. Respondit se Acta apud se non habere, et statum per Dei

[248]) L. Soppite.

[249]) Annis 1654-1659, Franciscus de Servient erat abbas commendatarius abbatiae Perrodii Novi = Le Perray-Neuf (in dioecesi Andegavensi = Angers); annis 1659-1714, Augustinus le Servient. Cfr. BACKMUND, III, 30.

[250]) A. Guillard.

gratiam esse pacificum, nullas lites aut discordias et in nuperrimo et ultimo Capitulo provinciali in Bella Valle[251]) celebrato nulla facta fuisse decreta, ideoque ad Revmum D. Praemonstratensem non ea pro examine et confirmatione attulisse.

[151] Item, Capitulum omnino decernit servandum esse Statutum dist. 4, cap. 30, num 19, *Quandocumque sumptuose*, etc.[252]), quicumque fuerit arbitrio Capituli Generalis aut provincialis puniatur.

[152] Item, audita relatione status litis alias anno 1630 a bonae memoriae Ioanne Drusio, abbate Parcensi a Capitulo Generali ad visitandum Hispaniae Circariam[253]) in Curia primum Catholici Regis Matriti, deinde in Curia Romana contra patres eiusdem Circariae recusantes Visitatori praedicto obtemperare, motae, Capitulum procuratori Ordinis in Curia Romana constituto mandat ut dictam litem prosequatur.

[153] Item, ad quaestionem factam an Collegium Sancti Norberti Romae situm[254]) possit visitari a Vicario generali Circariae Brabantiae cuius est membrum, et an Visitator debeat praemonere Abbatem Tongerloensen, praecipuum eiusdem Collegii fundatorem? An vero sufficiat si eiusdem Collegii Praesidem praemoneat? Capitulum Generale diffinit quod Vicarius generalis Circariae Brabantiae possit visitare dictum Collegium et Visitatorem non teneri ad praemonendum Abbatem Tongerloensem, sed sufficere si ad Collegii praesidem et conventum litteras (quas si magna ratio id requirat intermittere potest) praemittat, quibus de suo adventu eos certiores reddat.

[251]) Abbatia Bellae Vallis = Belval, Communitati antiqui rigoris adhaesit. Cfr. BACKMUND, III, 57-60.

[252]) Edicitur in hoc statuto nulla sumptuosa aedificia construi posse absque licentia Patris-Abbatis, vel, si iste nimis dissitus fuerit, absque licentia Vicarii abbatis generalis.

[253]) Vide Acta Cap. Gen. IV, p. 154, 157 et J. B. VALVEKENS, *De visitatione canonica Abbatis Parcensis Drusii in Hispania*, in *An. Praem.*, LVII, 1981, 47-75.

[254]) Ex actu donationis diei 27 februarii 1627, quo iurisperitus Romae residens Joannes Honorius van Axel nomine et nummis praesertim Adriani Stalpaerts, abbatis Tongerloënsis, fundamenta iecit novae in Urbe exstruendae sedis Collegii Sancti Norberti, patet abbates circariae Brabanticae Collegium hoc, tamquam fundationem laicalem, unice auctoritati praelatorum Brabanticorum subiectum voluisse. Actum donationis habetur in AAT, reg. 2, fol. 1r°-2v° et prostat in A. MIRAEUS, *Diplomata Belgica*, Lovanio, IV, 1748, 688-690. Quoad genesim huiusmodi actus videnda est praesertim epistola Adriani Stalpaerts ad Cornelium Hanegraefs, d.d. 27 maii 1626 in AAT, Coll. Rom., reg. 3, Copiae litterarum n° 15, p. 12-13 cum glossa ipsius Hanegravii. Vi conventionis anni 1630, anno 1654 corroboratae, Abbati Stalpaerts et successoribus suis a praelatis Circariae Brabanticae totum regimen Collegii collatum fuit atque facultatem constituendi et destituendi praesidem, provisorem aliosque officiales. AAT, Coll. Rom., I, 295. Praesidibus Collegii Romani ordinarie munus procuratoris generalis apud Curiam Romanam concreditum fuit.

[154] Item, speciali decreto Capitulum Generale omnibus ac singulis nostri Ordinis religiosis in dicto Collegio Sancti Norberti commorantibus inhibet, ne ipsi aut quis ipsorum privilegium aliquod contra communia religionis nostrae Statuta audeant, seu audeat postulare aut obtentum retinere; inhibet etiam ne quis apud Sedem Apostolicam aliquid postulet aut sollicitet nisi per manus Procuratoris Ordinis, cuius curae omnia Ordinis negotia Capitulum committit.

[155] Item, decernit quod omnes et singuli qui Romam iverint coram Procuratore generali Ordinis se sistere, eique obedientiales litteras suas exhibere et ostendere teneantur. Qui si quos invenerit sine eiusmodi litteris aut cum suspectis, valeat eos Procurator castigare etiam per carcerem, et domum remittere. Revmus D. Praemontratensis suo decreto sessionem terminavit, et alteram ad secundam pomeridianam indixit.

Sessio decima octava. Die septima Maii post meridiem.

[156] Antiphona *Veni Sancte Spiritus*, et collecta de Spiritu Sancto de more completis, (739), pronuntiatoque per Revmum D. Praemonstratensem «*Benedicite*», responsoque ab omnibus, «*Dominus*», Capitulum committit et deputat R.D. Abbatem Sanctae Mariae in Nemore[255]), et priorem Sancti Petri Selincurtensis[256]) ad informandum de commodo et incommodo petitae venditionis et permutationis duorum molendinorum in pago de Tigni a coenobio Domni Martinensi dependentium et ad Dominum Praemonstratensem referendum, qui sua et Capituli Generalis authoritate venditionem aut permutationem permittat et confirmet aut impediat prout viderit expedire.

[157] Item, R.D. Philippus, abbas Domnimartinensis[257]) legit coram Capitulo libellum supplicem a ff. Luca Forestier et Nicolao le Bel, priore et suppriore de Ressonio subscriptum, quo quaesti sunt se a Vener. Patre Petro Thienville, tunc Vicario Communitatis antiqui rigoris et eius consortibus a dicto monasterio fuisse eiectos, et eodem die R.D. Abbatem S. Andreae in Nemore[258]), dum actu dictum monasterium canonice visitaret, fuisse similiter ab eodem Petro in visitatione tractatum et impeditum, eumdemque Petrum introduxisse religiosos Communitatis antiqui rigoris, expulsis inde dictis Luca et Nicolao superioribus. Et R.D.

[255]) N. Guinet.
[256]) L. du Puys.
[257]) Ph. Babeur.
[258]) N. Lédé.

Abbas Domnimartinensis, nomine dictorum Prioris et Supprioris petiit a Capitulo ut dictum Petrum et consortes pro delicto puniat, et eosdem in possessionem eiusdem monasterii restituat. Tum Venerabilis ff. Augustinus Guillard, Vicarius Communitatis antiqui rigoris et Petrus Thienville dixerunt se non habere quid respondendum in hoc Capitulo Generali, et quod desuper introducta sit lis in Regio Consilio ab ipsismet Luca et Nicolao supra memoratis, ad quod idem Lucas replicans dixit litem nondum esse occupatam, et se citationibus pro parte sua factis renuntiare et declarare se huius causae non velle alium iudicem quam praesens Capitulum Generale. Dictus autem Petrus Thienville respondit se non posse coram Capitulo Generali sedente respondere et protestatus est. Recedere iussis omnibus non Definitoribus, Capitulum decrevit et decernit non licuisse hanc introducere suam Communitatem antiqui rigoris in monasterium Ressoniense, et litem huiusmodi in Consilio Regis esse relinquendam, et ibi terminandam. Interim inhibet Vicario et aliis quibuscumque Communitatis antiqui rigoris professoribus, ne se et suam Communitatem in ullum Ordinis monasterium introducant, nisi servatis conditionibus contentis in constitutionibus seu diplomatibus Apostolicis, et litteris Regiis desuper expeditis, et nonnisi habito consensu Prioris et Supprioris et aliorum Canonicorum monasterii, etiam si Prior et Supprior illius monasterii sint alterius coenobii professi.

[158] Item, proposuit R.D. Lucensis[259]) esse in Polonia in loco dicto Bleslavia in dioecesi Gnesnensi Coenobium aliquod Ordinis nostri nuper creatum[260]) a quadam Priorissa Coenobii Czarnovacensis seu Domus Dei[261]), ab officio Priorissae postmodum propter scandala amota, quod Coenobium (740) quod habet viginti circiter Virgines, de quarum professionis validitate dubitari possit, eo quod dicta Monialis tunc Priorissa non videatur potuisse professionem sua authoritate in eiusmodi monasterio a se creato admittere, quod in suo monasterio ne quidem poterat, et propterea Capitulo supplicavit desuper provideri. Capitulum committit Vicario Poloniae, qui de statu dicti coenobii informet, et quod iustum fuerit authoritate Capituli Generalis faciat.

[259]) M. Paul.

[260]) Monasterium hoc recenter fundatum erat a sororibus e conventu Csarnowacense expulsis. Cfr. BACKMUND, I, 402-403 et N. BACKMUND, *Das Kloster Boleslawiec*, in *An. Praem.*, LIII, 1972, 42-52.

[261]) Parthenon Czarnowasy, in dioecesi Wratislaviensi-Wroclav, Cfr. BACKMUND, I, 408-411.

[159] Item, ad propositionem Rev. Dom. Domnimartinensis[262]) petentis, nomine monasterii S. Augustini Morinorum, fieri reductionem multorum Anniversariorum et Missarum, Capitulum committit R.D. Abbati S. Andreae in Nemore[263]), qui informet et authoritate Capituli Generalis servata forma Statutorum reductionem faciat, quod in aliis Circariis Vicarii facere possint, si paritas rationis concurrat.

[160] Item, super trecentis libris Turonensibus a Capitulo Generali Rev D. Abbati Belli Loci[264]) dudum debitis, Capitulum providebit dum de talliis agetur.

[161] Item, ad supplicationem monasterii Sancti Augustini Morinensis petentis sibi refundi mille quingentos florenos aut eorum loco condonari tallias a se debitas pro expensis nuper in lite contra Episcopum Audomarensem[265]), impedire praetendentem ne Religiosi sacramenta, etiam matrimonii, famulis suis in Abbatia et in Curtibus conferrent mota et victa, factis, et in earumdem expensarum compensationem, Capitulum in ea petitione difficultates invenit et resolutionem distulit.

[162] Item, audita relatione R.D. Abbatis Vallis Serenae[266]), negotiorum Vasconiae deputati referendarii, Capitulum declaravit et declarat professionem ff. Petri Noguet et Bernardi Maillot, religiosorum Coenobii Casae Dei[267]) in Vasconia esse validam. Quoad vero fratrem Sancium Poussel, decernit committendum Venerabilem fr. Iosephum Rudelle, Priorem coenobii de Capella, iuxta Tolosam[268]), qui informet de allato morbo et defectu canonico; quem, si compererit esse verum, eum fr. Poussel declaret non esse professum et eum ab Ordine dimittat et eiiciat iuxta Ordinis Statuta.

[163] Item, super allatis violentiis et rebellionibus in eodem monasterio Casae Dei commissis, Capitulum committit eidem Capellae Priori, qui informationes desuper authoritate Capituli Generalis faciat et procedat, et etiam definitive iudicet. Interea Capitulum ponit dictos Casae Dei religiosos sub sua et dicti Commissarii protectione.

[164] Item, Capitulum committit eidem Capellae Priori, ad liquidandas expensas nuper a Patribus Capitulantibus in Coenobio Casae Dei

[262]) Ph. Babeur.

[263]) N. Lédé.

[264]) Fr. Lebrun.

[265]) Annis 1635-1656 L. Jonnart erat episcopus Sancti Audumari = St. Omer; annis 1662-1671 I. Th. de Brias. Cfr. B. GAMS, 619.

[266]) D. de Lorris.

[267]) Agitur de abbatia La Casedieu, Cfr. BACKMUND, III, 171-173.

[268]) Refertur hic ad abbatiam La Capelle. Cfr. BACKMUND, III, 168-169.

pro Capitulo provinciali congregatis facta, qua facta taxatione, ab iisdem patribus refundi dicto Coenobio Casae Dei authoritate Capituli Generalis faciat, et renuentes via iuris compellat.

[165] (741) Item, quoad Novitios improfessos a monasterio S. Ioannis de Castella[269]) ad coenobium Casae Dei, ut inibi profiteantur et incorporentur missos, Capitulum decernit non esse dimittendos, nisi post supra dicti Prioris Commissarii adventum, quo praesente penes Conventum Casae Dei, aut maiorem eius partem erit eos dimittere vel ad professionem admittere.

[166] Item, Capitulum Generale eumdem Priorem Capellae commisit ad examinandum nuperi Capituli provincialis Gasconiae decretum, quo ff. Norbertus Aved et Iosephus Dupré religiosi vocem activam et passivam habere declarantur, et ad dictum decretum authoritate Capituli Generalis confirmandum vel infirmandum.

[167] Item, ex gratia, poenitentiam fratri Ioanni Mereau a Revmo Domino Praemonstratensi alias impositam sententialiter relaxat et ei vocem activam restituit et professionis stallum, eumque ad officia et beneficia Ordinis obtinere capacem et habilem declarat. Et Revmus Dominus Praemonstratensis sessionem suo decreto de more terminavit et alteram indixit.

Sessio decima nona, die 8 Maii, 1657, de mane.

[168] Fusis solitis precibus, R.D. Wilthinensis[270]) Capitulum proposuit quod D. Norbertus, Abbas S. Vincentii Wratislaviensis, pie defunctus[271]), Wilthinae professus et quondam Coenobii Pernecensis praepositus[272]), recogitans ante mortem quod monasterium Wilthinense non paucas expensas fecisset pro monasterio Pernecensi, reliquerit eidem monasterio consignandos pro ecclesiae aedificio, quadringentos thaleros imperiales qui tamen adhuc sunt in potestate Rev. Dom. Abbatis Lucensis ad Sanctum Vincentium electi. Respondit dictus D. Lucensis praedictos florenos esse in sacculo manu dicti Norberti consignato, sed esse considerandum quod Wilthinense monasterium nihil contulerit

[269]) Abbatia St. Jean-de-la-Castelle. Cfr. BACKMUND, III, 194-195.

[270]) D. Löhr.

[271]) Norbertus Bratitz, professus canoniae Wiltinensis, Romae laurea in S. Theologia auctus fuit, obiit die 24 Ianuarii 1656. Cfr. GOOVAERTS, I, 87-88.

[272]) Annis 1642-1653 rexit canoniam Pernecensem (= Pernegg), annis 1648-1656 simul administravit communitatem Sancti Vincentii Wratislaviensis (= Breslau). Cfr. BACKMUND, I, 373, 406.

monasterio Vincentino, quod et fassus est Dominus Wilthinensis, proinde Vincentinum non obligari ad quicquam Wilthinensi, quod si praetendat aliquid a Pernecensibus sibi deberi, id ab eis repetat; praeterea ex ipsa sacculi inscriptione manu dicti Norberti, ecclesiae fabricae pecunias designantis, facta, probari dictas pecunias non deberi Wilthinensibus, cum si debitae fuissent, non potuissent ad determinatum finem assignari, sed in voluntate Wilthinensium dimittere, adeoque esse merum donum, quod ipse Norbertus facere nequiverat, uti professione pauper. Capitulum dictis RR.DD. Lucensi et Wilthinensi, ab aula capitulari egressis, diffinivit et (742) diffinit eiusmodi quadringentos thaleros non deberi Wilthinensibus, nec D. Norbertum abbatem potuisse eis donare in praeiudicium coenobii Vincentini; si quid praetendant Wilthinenses de supradictis expensis, eos a Pernecensibus debere repetere.

[169] Item, R.D. Bucilliensis[273]) ad referendum deputatus, petiit nomine Rev. D. Abbatis commendatarii de Perrodio Novo[274]), ratificationem cuiusdam transactionis inter ipsum D. Abbatem ex una parte, et D. Fiacrium Riviere ex altera, super decimis ad mensam abbatialem pertinentibus, in loco dicto Brion iuxta Andegavum. Capitulum committit Visitatori ut informet de commodo et incommodo dictae transactionis, et ad referendum Revmo D. Generali, qui si eam utilem compererit, authoritate Capituli Generalis confirmet.

[170] Item, proposuit R.D. Bucilliensis et petiit confirmari contractum inter D. Abbatem commendatarium Perrodii Novi, et D. Petrum Lamy, Dominum de Ponceau super domo dicta Perrodium Novum, sita in urbe Andegavensi in vico La Parchettinerie, die decima Februarii 1656, coram Notario Regio nomine Rousseau apud Praecignianum commorante et Petro Manga et Petro Poullet testibus. Capitulum, agnita contractus huiusmodi utilitate, eum censuit confirmandum et praesenti decreto confirmat.

[171] Item, Revmus Dominus Generalis proposuit Capitulo quod monasterium Praemonstratense sit obligatum ad duo milia florenorum occasione delicti in monasterio Camerae Fontis[275]) a tribus religiosis trium monasteriorum, Praemonstratensis, S. Martini Laudunensis et Branensis[276]), in persona cuiusdam apparitoris regii commissi et petiit

[273]) E. Sauvage.

[274]) Franciscus de Servient.

[275]) Abbatia de Chambrefontaine. Cfr. BACKMUND, II, 487-489.

[276]) Agitur de Samsone Dolé, professo archicoenobii Praemonstratensis, Joanne Petit, professo S. Martini Laudunensis et Joanne Mereau, professo Branensi (= Saint-Yved-de-Braine). Vide infra Acta nº 220.

dictam summam iudicio Capituli Generalis sic in monasteriis delinquentium dispergi, ut tota solutionis obligatio in Praemonstratensi coenobio non cadat et ad aliam sessionem delatum est decretum.

[172] Item, RR.DD. Abbates Windbergensis et Wilthinensis a Circaria Bavarica deputati exposuerunt Capitulo quod si comprovinciales praetendant quod quisque deputatorum debeat pro sua parte solvere 50 florenos solvendos de expensis itineris ad Capitulum Generale veniendo, vel ab eo recedendo, factis et faciendis, et supplicarunt desuper provideri; Capitulum diffinit quod dicti RR.DD. deputati et qui in posterum in qualibet Circaria ad Capitulum Generale deputabuntur sint et erunt liberi ab huiusmodi itineris omnibus expensis.

[173] Item, Capitulum diffinit Elocationes ubi est mensa communis, debere fieri conformiter ad Statuta.

[174] Item, inhibet Pastoribus Ordinis aliisque beneficiatis usum bireti et pileoli nigrorum; si quis tamen pileolis uti velint, ea sint et bireta vult et mandat esse alba.

[175] Item, omnibus Ordinis professoribus usum tabaci serio et stricte idque sub poena unius diei in pane et aqua ieiunii prohibendum censuit, et praesenti decreto inhibet.

[176] (743) Item, referente Revmo D. Generali, Capitulum committit Rev. Dom. Philippo Babeur, abbati Domnimartinensi, ut informet de causis incarcerationis, de vita, et moribus et conversatione, doctrina et excessibus f. Francisci Sanchez, religiosi S. Nicolai Furnensis, et authoritate Capituli Generalis condemnet vel absolvat.

[177] Item, mandat Capitulum R.D. Floreffiensem[277]), ut religiosum suum Guillielmum[278]) ad Conventum revocet, et secundum excessus iuxta praescriptum Statutorum corrigat, atque ad disciplinam Ordinis servandam compellat.

[178] Item, Capitulum decernit ut fiant litterae ad Serenissimum D. Archiepiscopum et Electorem Coloniensem[279]), ad recuperationem monasterii Urlarensis[280]).

[277]) Carolus de Severi regimen canoniae Floreffiensis tenuit annis 1641-1662. Cfr. V. BARBIER, *Histoire de l'abbaye de Floreffe*, Namur, 1892, 351-371.

[278]) Agitur verosimiliter de fr. Guillelmo Badot. Cfr. V. BARBIER, *op. cit.*, 269.

[279]) Maximilianus Henricus von Bayern.

[280]) Sermo est de praepositura sororum nobilium in Flaesheim (Haltern), antea in dioecesi Coloniensi. Cfr. BACKMUND, I, 203.

[179] Item, Circariae Pontivi monasteria Insulae Dei[281]), Bellosannae[282]), Lisquensis[283]) incorporavit et incorporat.

[180] Item, Capitulum Generale decrevit quod ius paternitatis in praeposituram S. Nicolai Hagenoensis[284]) sit penes monasterium Cellae Omnium Sanctorum usque ad Capituli Generalis revocationem.

[181] Item, decrevit Capitulum ut in commissione Vicariatus Bohemiae inseratur clausula quod in visitatione Coenobii Strahoviensis Rev. Dom. Vicarius generalis cognoscat causam f. Benedicti Kaer[285]), stallo suo et voce iam diu privati, et cum eo misericorditer agat, disponat aut dispenset.

[182] Item, pro emergentibus quae Capitulum Generale futurum exspectare commode non poterunt, Capitulum committit vices suas Reverendissimo Domino Praemonstratensi, Rev. admodum Cuissiacensi et Rev. Dom. Domnimartinensi et aliis Praelatis, si quos D. Praemonstratensis iudicarit advocandos ad diffiniendum, concludendum, et omni modo determinandum de singulis emergentibus, et si necesse fuerit, sigillo Capituli Generalis communiendum.

[183] *Vicarii Domini Praemonstratensis huius anni 1657, quos nominavit idem Reverendissimus et cum eo Capitulum.*

Franciae, Alverniae et Burgundiae: Reverendissimus Dominus Praemonstratensis reservat sibi.

Floreffiae et Flandriae: Rev. Dominus Floreffiensis[286]) exceptis monasteriis quae subsunt Regi Christianissimo, quae reservat sibi Revmus Dominus Praemonstratensis.

Pontivi: Rev. D. Abbas Sancti Andreae in Nemore[287]).

Brabantiae et Frisiae: Rev. Dom. Parchensis[288]).

[281]) Abbatia Insulae Dei (Isledieu), hucusque ad circariam Normanniae Borealis pertinuit. Cfr. BACKMUND, III, 43-48.

[282]) Abbatia Bellosannae (Bellosanne) antea circariae Normanniae Borealis adscripta erat. Cfr. BACKMUND, III, 39-41.

[283]) Abbatia Lisquensis antea circariae Flandriae incorporata erat. Cfr. BACKMUND, II, 413-417.

[284]) Hoc modo confirmatum fuit ius abbatiae Omnium Sanctorum (BACKMUND, I, 46-49), quae, anno 1643, praeposituram de Hagenau in Alsatia recuperaverat.

[285]) In ms. Nancy 994, fol. 219r° legitur *Cahier*.

[286]) Carolus de Severi.

[287]) Nicolaus Lédé.

[288]) Libertus de Paepe canoniam Parcensem, prope Lovanium, annis 1648-1682 rexit. Cfr. A. D'HAENENS, art. *Abbaye de Parc, à Heverlee*, in *Monasticon Belge*, t. IV, vol. III, 818-821.

Westphaliae et monasteriorum utriusque Cellae, Superioris scilicet et Inferioris, et utriusque Ilbenstadt, Circariarum videlicet Iveldiae et Vadegotiae: Rev. Dom. Steinfeldensis[289]).

In Lotharingia monasteria Regiae Vallis, Iovillaris et Septem Fontium adiunguntur Circariae Burgundiae.

(744) Angliae, Scotiae et Hiberniae: Rev. Prior Praemonstratensis[290]).

Normanniae utriusque, Borealis scilicet et Australis: Vener. Pater Franciscus Martin, prior Belli Portus[291]).

Vasconiae: Rev. Dom. Abbas Sancti Ioannis de Castella[292]).

Hispaniae: Rev. D. Abbas Furnensis[293]), cum substituendi potestate.

Sueviae: Rev. Dom. Abbas Rothensis[294]).

Bavariae: Rev. Dom. Steingadensis[295]).

Bohemiae, Moraviae, Poloniae, Livoniae, Hungariae, Daniae, Norwegiae et Saxoniae: R.D. Mathaeus Paul Abbas Lucensis ad Sanctum Vincentium electus.

Tusciae, Siciliae, Calabriae, Cypri et Terrae Jerosolimorum: Procurator Ordinis in Curia Romana, quibus omnibus potestas substituendi conceditur, ut supra diffinitum est[296]).

[193] *Visitatores a Rmo Dom. Praemonstratensi et a Capitulo Generali nominati, qui authoritate eiusdem Capituli Circarias sibi commissas etiam Vicariorum monasteria semel in anno visitent.*

Franciae: Abbas Domnimartinensis[297]).

Floreffiae et Flandriae: Abbas Bonae Spei[298])

[289]) N. Horrichem.

[290]) Adrianus Gosset.

[291]) Beauport prope Paimpol, Britannia. Cfr. BACKMUND, III, 14-18.

[292]) P. de Lompagieu.

[293]) Godefridus de Courteville, abbas Furnensis (= Veurne), (1654-1667) N. HUYGHEBAERT et H. ANECA, art. *Furnes*, in *Monasticon Belge*, t. III, vol. III, 622.

[294]) Ludovicus Lucher, abbas Rothensis (1630-1667). Cfr. BACKMUND, I, 72.

[295]) A. Bonenmayer.

[296]) Petrus Carrette, decretorum Doctor, Romae munus procuratoris generalis Ordinis Praemonstratensis egit. Ut hoc officium inchoaret, die 5 Maii 1658, Collegium S. Norberti de Urbe ingressus est (AAT, Coll. Rom., reg. 3, fol. 12v°-13r°). Munus suum explevit usque ad diem 22 Iunii 1667, quando, in decursu visitationis in archicoenobio Praemonstrati habitae, a Visitatoribus destitutus fuit quia renuit adiutricem manum praebere in promovendo abbate generali Michaele Colbert, cuius electio nulla declarata fuerat (ASV, Miscellanea, Armadio VIII, vol. 101, fol. 314r°).

[297]) Philippus Babeur.

[298]) Augustinus de Felleries, abbas Bonae Spei (= Bonne-Espérance) (1642-1671), vide U. BERLIERE, art. *Bonne-Espérance*, in *Monasticon Belge*, t. I, 406.

Pontivi: Abbas Vallis Serenae[299]).

Brabantiae et Frisiae: Abbas Ninovensis[300]).

Westphaliae, Iveldiae, Wadegotiae: Abbas Wedinghausanus[301]).

Lotharingiae et Communitatis antiqui rigoris: Abbas Stivagiensis, sine Capituli Generalis praeiudicio; mandatque Capitulum Vicario Communitatis antiqui rigoris, ut infra annum Reverendissimo Generali exhibeat originale, vel copiam authenticam Brevis Apostolici per dictam Communitatem praetensi, quo Capitulum Generale teneatur eidem Communitati deputare Visitatorem, de eiusdem Communitatis gremio[302]).

Normanniae utriusque: Prior Lucernae[303]).

Vasconiae et Hispaniae: Prior de Capella[304]).

Burgundiae et Alverniae: Prior Collegii Parisiensis[305]).

Sueviae: Rev. D. Sorethanus[306]), qui hoc anno authoritate Revmi Domini Praemonstratensis, visitabit monasterium Cellae Omnium Sanctorum.

Bavariae: Rev. Schefflariensis[307]).

Bohemiae et unitarum Provinciarum: Dominus Siloensis[308]).

Sessio vigesima. Die octava Maii 1657, post meridiem.

[184] Post fusas solitas preces et «*Benedicite*» a Revmo Generali pronuntiato, Secretarius Capituli dixit agendum de controversia Hinsbergensi[309]), et statim Revmus Dominus Generalis, commissis suis

[299]) D. de Lorris.

[300]) Christianus Roelofs, abbas Nivivensis (= Ninove), quem abbas generalis in nominatione Visitatorum prae oculos habuit, obiit paulo ante huiusmodi nominationem, die 4a Maii 1657. Successor regimen assumpsit die 7a Septembris 1657. Vide G. MERSCH et J. WAUTHOZ-GLADE, art. *Ninove*, in *Monasticon Belge*, t. VII, vol. III, 531.

[301]) H. Koch.

[302]) Agitur hic de brevi apostolico Urbani VIII, dato Romae die 29 Ianuarii 1631. Vide Laon, Bib. munic., ms 538, p. 643 (653).

[303]) I. Grelle.

[304]) Iosephus Rudelle, cfr. supra Acta n° 162.

[305]) N. Caullieu.

[306]) A. Arzet.

[307]) Annis 1653-1680, Anianus Mayr abbas erat Schäftlariensis (in dioecesi Frisingensi-Monacensi = München). Cfr. BACKMUND, I, 22.

[308]) V. Rösler.

[309]) De origine huius controversiae fuse disserit F. W. SAAL, *Die Abtei Knechtsteden im 17. Jahrhundert*..., p. 146-148, qui Ioannem Dillen, ex Hamont, nunc in provincia Limburgiae Belgicae, oriundum, uti agentem abbatum Brabanticorum Ordinis Praemonstratensis designat. Isti enim, spiritu Contrareformationis, uti dicitur, imbuti, operam navaverunt ut monasteria Ordinis in Germania, ratione Reformationis deperdita vel exigentiis observantiae regularis minus accomodata, recuperarent.

praesidendi vicibus R. admodum Domino Cuissiacensi[310]) (745) recessit a capitulari congregatione, et praesidente eodem D. Cuissiacensi, venerabilis pater Epiphanius Louys S. Mariae Mussipontanae, eiusdem Hinsbergensis controversiae deputatus referendarius, iussus est loqui et dicere; statum itaque controversiae habens prae manibus plures cartas, eas unam post aliam ostendens, Capitulo exposuit, legit relictum visitationis, legit et interrogationes et responsiones a R.D. Leonardo Teueren, Abbate Knechtstedendi, coram Revmo Domino Generali visitatore factas, de die 15 octobris anni 1653, subscriptas alias quam plurimas scripturas hoc negotium concernentes, quibus per Capitulum Generale perpensis et diu ventilatis, Capitulum diffinivit et diffinit R.D. Leonardum Teueren, abbatem Knechtstedensem, non fuisse per suspensionem exercitii iuris paternitatis castigatum propter excessus, scandala, abusus, inordinationes et attentata, sed fuisse per Reverendissimum Generalem ad cautelam pro futuro provisum, et deinceps eiusmodi excessus, scandala, abusus, inordinationes et attentata sisteret, et ideo eiusmodi suspensionem non vindicativam, sed provisionalem idem Capitulum approbavit et approbat, et R.D. Cuissiacensis, ut supra praesidens, hanc sessionem suo decreto conclusit, et aliam ad horam septimam matutinam diei sequentis indixit.

Sessio vigesima prima. Die Nona Maii 1657. Mane.

Absolutis precibus, dictoque a R.D. Cuissiacensi «*Benedicite*», venerabilis frater Petrus Teueren, procurator R.D. Leonardi Teueren, Abbatis Knechtstedensis, petiit a Capitulo Generali sibi communicari iuxta suum procurae mandatum, protocollum in quo habeantur rationes pro quibus suspensus sit dictus Pater suus principalis.

Capitulum inhaerens decreto, in proxime praeterita sessione a se facto, diffinivit non fuisse suspensionem vindicativam, sed provisionalem, et ad cautelam pro futuro. Decrevit etiam ut Revmus D. Generalis humiliter interrogetur num intentio eius fuerit alia quam quae dictis responsionibus diei 15ae Octobris 1653 comprehenduntur. Delicta a dicto Leonardo Abbate, ut asseritur, ad censuram Capituli Generalis remittere, et ad eum interrogandum deputavit Vener. P. Epiphanium Louys, ut supra referendarium; reversus etiam ad aulam capitularem dictus pater Epiphanius Louys, dixit Revmum P. Generalem respondisse delicta quidem esse plura quam quae continentur in dicto interrogatorio, et responsionibus,

[310]) I. Amour.

sed ea esse proponenda a R.D. Praeposito Hinsbergensi, si velit processum esse instructum et a Capitulo Generali pro censura delictorum remissum.

[185] (749) Hac responsione habita, Capitulum censuit vocandum Vener. f. Petrum Teueren, et vocatum atque praesentem organo secretarii interrogavit his verbis: Quaerit a te Capitulum Generale quid intelligas per protocollum, quod petistis; respondit se petere specificationem eorum excessuum, qui moverunt Rmum P. Generalem ad ferendam sententiam suspensionis exercitii iuris paternitatis contra R.D. Abbatem Knechtstedensem, suum principalem. 2° Quaerit a te Rmum Capitulum in quem finem petis eam specificationem? Respondit ideo petere ut possit R.D. Knechtstedensis, suus principalis, se coram Capitulo generali iustificare super praetensis excessibus, super quibus praetendit se non sufficienter interrogatum esse, aut non satis respondisse. 3° Quaerit a te Capitulum an habeas in mandatis procedere, litigare, et iustificare coram Revmo Capitulo generali R.D. Abbatem Knechtstedensem, tuum principalem? Respondit eiusmodi mandatum, si non explicite, saltem implicite, in suo procurae mandato, Revmo Capitulo generali exhibito, contineri. 4° Quaerit a te Capitulum generale, an ultra duos libellos impressos quos R.D. Leonardi abbatis Knechtstedensis, tui principalis, procuratorio nomine eidem Capitulo generali porrexisti, habeas aliquas alias Capitulo exhibendas scripturas? Respondit se praeter dictos duos libellos impressos non habere alias scripturas authenticas quas procuratorio nomine possit exhibere, sed pro rei natura et iustificatione sui R. principalis habere in mandatis ut scripturas necessarias formet. 5° Quaerit a te an in Capitulo generali aliquis compareat nomine Conventus Knechtstedensis citati a Revmo Generali? Respondit se nescire quicquam de priore citatione nec de posteriore, se non habere commissionem expressam comparendi procuratorio nomine pro conventu Knechtstedensi. Post cuius responsionem iussus est recedere, sicut et a Definitorio recessit R.D. Philippus Babeur, abbas Domnimartinensis.

Postmodum Capitulum, examinatis iam dictis f. Petri responsionibus, decrevit quod non deberet dicto Petro procuratori ostendi protocollum, eo quod in mandato suae procurae non habeat potestatem respondendi aut aliquid faciendi, quam petendi huiusmodi protocolli copiam, et ad suum principalem referendi, quid actum, responsum, aut obtentum fuerit, attento tamen quod eiusmodi protocollum in manu propria dicti Rev. Dom. Leonardi eius principalis subscriptum et in pluribus locis eadem manu apostillatum; deinde Capitulum processit ad examen

excessuum ab ipsomet Rev. Dom. Leonardo confessatorum et ipsa sua manu subsignatorum (de iis enim solum praesens Capitulum cognoscere et iudicare voluit) et incoeptum a primo articulo eiusdem Protocolli: *Die decima quinta Octobris anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi tertii*, in visitatione coenobii Knechtstedensis subscripti.

[186] **Inquisitio specialis a nobis facta ad praeviam clamositatem, et particulares excessus tam in quam extra visitationem cognitos**[311])

Die decima quinta Octobris anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi tertii comparuit coram nobis Rev. D. Leonardus Teueren, abbas Knechtstedensis, annorum sexaginta septem, qui praestito iuramento de dicenda veritate et servando secreto, interrogatus de origine turbarum Hinsbergensium, ac praecipue de translatione fratris Dillen a Praepositura Scheidensi[312]) *ad Praeposituram Hinsbergensem, et qua authoritate fuerit translatus? Respondit quod si rigor Statutorum inspiciatur, nec ipse sit legitime translatus, nec ipse Respondens eum potuerit transferre et uterque sit culpabilis in eo. Quod tamen eum desiderantem ad Praeposituram Hinsbergensem promoverit et sua bona voluntate.*

Interrogatus an reliquerit Monialibus liberam electionem? Respondit quod sic; quod tamen unica ipsum elegerit; reliquae tamen in alium inclinabant, sed sibi Respondenti relinquebant arbitrium talem constituendi quem iudicaret aptissimum. Quod quidem eum numquam confirmarit.

Interrogatus an non habeat ipsum pro Praelato quem debeat confirmare? Respondit non putare se obligari ad plura quam ad ea quae facta sunt citra ipsius Antecessorem.

Interrogatus an Praedecessor ipsius, Dominus Ioannes Commandeur, non fuerit agnitus verus Praelatus in Capitulo generali 1627 Praemonstrati, ipso deponente procurante et vidente neque contradicente?[313]) *Respondit quod sic; quod quidem habuerit ipsum ibi in Capitulo pro Praelato, sed non*

[311]) Sequentem animadversionem scriba du Crocq textui Actorum Capituli adiunxit, quia protocollum interrogatorii abbatis Leonardi Teveren, ab abbate generali Augustino le Scellier peracti, uti corrolarium Actis adnexum, hic inseruit. Huiusmodi insertio deest in ms. Nancy 994. «*Je prie icy le lecteur d'aggreer que comme par paranthese ie mette icy ledit interrogatoire, dont l'original est avec quantité de papiers séparés des Actes et Diffinitions Capitulaires*».

[312]) Canonia canonicorum de Scheda in Westphalia. Cfr. BACKMUND, I, 248-249.

[313]) Statuit Capitulum Generale anni 1627: «*Ex praepositis de illis consultum et conclusum fuit, quod qui Praelati essent ab Abbatibus independentibus ad oboedientiam praestandam admitterentur: Rev. Dom. Praepositus Scheidensis, Rev. Dom. Praepositus Heinsbergensis, Rev. Dom. Praepositus Langvadensis*». Acta Cap. Gen, IV, 120.

pro Praelato independente, sed voluntate Patris-Abbatis. Bene reminiscitur quod cum Praeposito Scheidensi transierit Praepositus Hinsbergensis pro Praelato; quod tamen postea non reclamaverit, patet autem errorem commissum esse in Capitulo isto generali; cessio ipsius fuit a se acceptata, et assignata pensio sicut Pastoribus solet, non autem in forma Praelati.

Interrogatus an non sciverit Dominum Dillen laborare infamia homicidii antequam eum promoveret ad Praeposituram? Respondit quod sciverit, non autem an certo commiserit homicidium; et quod male fecerit; et iuste punietur a Deo; hoc autem ad tegendam istam infamiam, sicut antea fecerat in promotione ipsius ad Pastoratum et Scheidensem Praeposituram.

(748) *Interrogatus an non abstulerit a cubiculo Domini Dillen multas chartas et pecunias quando fuit abreptus in captivitate? Respondit se abstulisse quinquaginta thaleros quos tradidit fratri Priorissae Gerlacensis*[314]*), per manus fratris Godefridi Haack, cuius esse dicebantur restituendos. De chartis autem nihil prorsus accepit de archivo, sed bene unam chartam ipsius manu exaratam, qua innotescit ipsum contra Statuta vendidisse Sororibus Scarnembergencibus*[314bis]*) vitalicias praebendas, et quosdam conceptus litterarum, nihil amplius.*

Interrogatus an non abstulerit simul sigillum Praepositurale argento incisum? Respondit non abstulisse nisi unum annulum, quem nobis exhibuit; sigillum Praepositurale non abstulisse, sed bene scire ubi sit, non putare se quod a tempore quo Abbates Knechtstedenses gerant superioritatem ipsius monasterii, Praepositi usi fuerint sigillo, propter abusus ab ipso commissos. Est autem paratus medio iuramento affirmare quod nihil prorsus ex ipsorum Archivo abstulerit, quod non reddiderit[315]*).*

Interrogatus super duabus Laicis Eva Vink et Maria Boimans, receptis a Deponente ad professionem, de quibus conqueruntur Virgines Hinsbergenses, quae contra sunt protestatae, et etiam ipse Praepositus. Respondit illas fuisse admissas et vestitas a Praeposito in ordine ad

[314]) Probabiliter agitur de canonia sororum praemonstratensium in St. Gerlach-Houthem, prope Maastricht. Cfr. BACKMUND, I, 216.

[314bis]) Nomen parthenonis de quo agitur deformatum invenitur in manuscripto Gregorii du Crocq. Forsan hic sermo est de sororibus in Oelinghausen prope Arnsberg de quarum regressu sub iurisdictione Ordinis abbas Knechtstedensis strenue egit. Cfr. BACKMUND, I, 237.

[315]) Nota scribae du Crocq: «*Et à la marge de l'original l'Abbé interrogé a escrit ces mots: Intelligendum est de sigillo Conventus quod hic ex adverso ponitur prout tunc apprehendi; sigillum alioquin Praepositi quod in archivo sub tribus clavibus asservari consueverit accepi, et in mea custodia est. Sigillum Conventuale Praepositus recepit, sed Conventus retinuit*».

professionem salva probatione, quia illis indigebant in Hinsberga; 2° erant probatae per duos integros annos, et ideo vel admittendae vel reiiciendae erant; 3° fuerant adhuc ibi post annos probationis, nulla reclamante. 4° Deponens tamquam Pater-Abbas ivit ad coenobium Hinsbergense ut sciret cur non reciperentur ad professionem, et an essent aptae vel ineptae, et illas examinatas et repertas idoneas, et habito etiam consensu Virginum, excepta Horchlen, mandavit Praeposito ad admittendas ad professionem, quod non fecit. 5° Dimisit illas cum habitu regulari extra monasterium cum maximo scandalo populi, et tandem evaserunt, donec Deponens illas reduxit ad monasterium. 6° Quando fuerunt receptae, Praepositus erat officians. 7° Fecit ut Pater-Abbas in Abbatiis commendatis. 8° Ut tolleretur tantum scandalum in Civitate, quandoquidem per tot annos probationis acquisiverant ius ad rem; et deinde non fuerat oppositio durante (749) probatione et post probationem per aliquot annos. 9° Concilium Tridentinum, sess. 25a, cap. 18. excommunicat omnes qui impediunt admissionem ad professionem earum personarum quae iam absolverint tempus probationis, etiamsi defuerit consensus illius cuius est incorporare; tamen superveniens Praepositi consensus validavit istas professiones quatenus opus et per transactionem videndam in Actis.

Rogatus an non receperit litteras inhibitorias a Domino Vicario paulo antequam reciperet earum professiones quas impositas saeculo non legit? Respondit quod talia videri possunt in protocollo ad Acta; formula professionis earum fuit conformis Statutis et Transactioni postea secutae.

Interrogatus an non per se et suos foverit divisionem tempore processuum? Respondit quod sic, non ut divisionem foveret, sed ut Virgines manuteneret in sua obedientia.

Interrogatus quare anno 1644 Dominum Dillen deposuit, postea statim reposuit? Respondit hoc se fecisse ut sciret se esse amovibilem et deinde quia nolebat eum agnoscere pro Patre-Abbate Hinsbergensi et Visitatore, et alia commiserat, eum deponere coactus fuit. Deposuit tamen sub spe emendationis quam promisit.

Ad aliud quod obiiciunt Respondentem fuisse per septimanas et menses integros in Coenobio suo Hinsbergensi, respondit se ibi fuisse semel sex septimanis ut iuvaret Moniales inclusas in uno cubiculo, tempore Boisslelvanae litis. Anno 1644 fuit etiam ibi diutius quia Dominus Praepositus non expediebat se. Deinde aliquando fuit ibi cum defuncto Praeposito, propter elocationes villarum, quibus cum fructus faciendis non inutilem operam collocarit. Si ibi adhaesit, semper cum fructu et sine otio.

Interrogatus quare permiserit Priorissae Blattenae[316]) *et Dominae Droëssin ut extra clausuram exirent ad hoc monasterium Knechtstedense? Respondit non fuisse fugam sed suam permissionem; si hoc peccatum sit, a se peccatum esse, et fatetur non debuisse hoc fieri. Fuisse tamen plures rationes quae ipsum ad hoc moverint isto tempore. Prima ut amoveret occasionem litium, quia sciebat illas Moniales non posse sibi ibi pacifice permanere cum aliis ex parte adversa. 2° Videns Respondens istam rebellionem, permisit ut nonnullae recederent, ne per Praepositum factiones orirentur. 3° Quod aliquoties Praepositus nominatus fuerit, depositionem illam timens, confusionem coram toto Conventu maluit fugere ex monasterio, quam exspectare tantum dedecus. 4° Quod impediretur scribere ad Superiores suos. 5° Quia Domina Blatten non poterat a suis consanguineis pecunias vitalitias ipsi debitas obtinere. 6° Ut impediantur occasiones plurium litium, scandalorum, odii et alia, necnon multa peccata. 7° Ut videret mundus Abbatem Knechtstedensem non consensisse, nec consentire in eiusmodi turbas, scandalum et damna*[317]).

Rogatus qua authoritate fuerint missae ab ipso Moniales ex Tremonia[318]) *Hinsbergam et Hinsberga Tremoniam, et aliis locis. Respondit id putare sibi liceri ex praxi ordinaria huius Circariae; alioquin bene sciebat id non permitti iure vel Statutis, nisi a Vicario aut Domino Generali. Transtulit (750) autem et alias Moniales ad Coenobium Hinsbergense, quia authoritate paterna debebat providere reformationi istius monasterii.*

Interrogatus an Irmengardis Harff, notoria apostatrix Hinsbergensis coenobii et plurium prolum mater, fecerit poenitentiam, qua authoritate fuerit ipsi redditum velum? A quo fuerit ipsi reddita vox activa et passiva, a quo absoluta ab excommunicatione? Respondit se eam misisse ad monasterium Tremoniense, ubi fecit poenitentiam; qua peracta, putat redditum ipsi velum ab Abbate Scheidense ex sua commissione quam dederat eidem omnimodam. Vox activa et passiva fuit ipsi reddita quando ivit in Ellen[319]). *Excommunicatio vero sublata fuit post poenitentiam. Dedit autem ipsi*

[316]) Agitur de priorissa Elisabeth Vlatten von Froitzheim (1639-1653). Cfr. BACKMUND, I, 216.

[317]) Nota scribae du Crocq: «*Les 6^e^ et 7^e^ raisons sont escriptes de la main du Respondant*».

[318]) Conventus Sanctae Catharinae in civitate Tremonia (= Dortmund). Cfr. *Das Dortmunder Katharinenkloster* (Beiträge zur Geschichte Dortmunds und der Grafschaft Mark, LX), 1963.

[319]) Ellen erat monasterium sororum Ordinis Praemonstratensis prope Arnoldsweiler in districtu Düren. Cfr. BACKMUND, I, 198-200.

semel licentiam eundi ad parentes pro pecuniis vitaliciis. Postea transivit authoritate deponentis ad monasterium Ellensi, ubi a fratre Michaele Imselradt[320]) *fuit instituta Cellaria; ante cuius Michaelis adventum, ipsa dudum habitaverat in Ellen. Ipse autem Michael ibi de Deponente institutus fuit ad instantiam Dominorum Steinfeldensis et Hambornensis. Praepositus autem Hinsbergensis per litteras diffamatorias Domini Cellarii Wedinghausen urgebat amotionem illius ut substitueretur frater Michael. Cum autem Dominus Vicarius ob strepitus et scandalum mandasset sibi Deponenti ut vel D. Michael vel Harfiam*[321]) *removeret, imo utrumque, non habuit illud mandatum per tres horas, et misit in Ellen expressum cum mandato revocatorio Michaelis, cui voluit parere.*

Circa id quod petitur a Priore Ellensi de litteris obligatoriis, est paratus crastino die nobis exhibere computum quomodo hoc ipse debeatur ex iustitia. Petit enim Deponens restitui pecunias in usum monasterii Ellensis, cum esset ibi Prior. Ad id autem quod postulatur circa libros computus a fratre Michaele ablatos ab Ellen, est paratus imperare ipsi ut restituat illos.

Rogatus cur adhibuit fratrem Michaelem in negotiis publicis Coloniae et alibi cum scandalo Saecularium et Conventualium? Respondit verum esse quod mundus fuerit scandalizatus de ipsius vivacitate; et quod ipsi valde displicuerint ipsius mores, tamen ut ipsum se non turbaret in Conventu, aut ne extra suos oculos alibi scandalum generaret sua lingua; deinde non potuit carere sua opera, praesertim tempore suae aegritudinis.

Rogatus cur D. Michael surripuerit litteras Domini Vicarii, eas aperuerit, nec reddiderit? Respondit se factum istud numquam probasse, et saepius dixisse ipsum fore puniendum a Superioribus.

Rogatus a quo sit absolutus a casu reservato de aperitione litterarum Superioris ad Inferiorem Praesidem Collegii Steinfeldensis? Respondit se illum non absolvisse, neque ipsum voluisse agnóscere peccatum suum, quantumcumque monitum, correptum et iussum.

Rogatus an non sciverit a D. Michaele apertam epistolam Domini Steinfeldensis ad se, Respondentem, cui epistolae privato suo nomine responsum fecerit, D. Michael? Respondit de illa epistola nihil se scivisse, nec probasse illud factum.

(751) Rogatus an approbavit sicut et Conventus inter causas recusationis nostrae personae Vicarii quae apparet in processu conservatoriali, qua ipse Michael velut constitutus procurator a Respondente et Conventu

[320]) Michaël Himselrath, uti prior, praefuit communitati sororum de Ellen ab anno 1645 usque ad annum 1652 quando depositus fuit. Cfr. BACKMUND, I, 200.

[321]) Irmengardis Harff de qua supra.

allegat nos fuisse et esse partiales ob acceptatas sordes a D. Dillenio? Respondit et se et Conventum de talibus nihil scivisse, et ipsum excessisse limites sibi constitutos, imo Conventum saepe de ipsius excessibus conquestum esse.

Interrogatus an D. Duren ex suo mandato fuerit captivatus? Respondit ex conniventia sua captivatum, et captivitatem ipsius post factum approbasse.

Interrogatus an in carcere Duren fecerit aliquam declarationem quam subscripsit, in qua tangitur honor quorumdam Consiliariorum Dusseldorpiensium et nostrae personae? Respondit se ostensurum declarationem in ipso originali ab ipso Dureno subscriptam, et crimina ipsius sit etiam declaraturus ad nutum nostrum. Ipsum autem relaxavit a carcere sua authoritate, qua authoritate fuerit incarceratus, nempe sua Abbatiali? Secundum mandatum suum fuit quadraginta diebus in pane et aqua. Fuit etiam in compedes iniectus ad hoc suo iussu factas, eo quod tentasset fugere, et de facto iam combusserat asserem ut faceret foramen quo posset se dimittere et fugere.

Interrogatus quare dictus Duren sit remissus ad suum pastoratum Praemonstratensem, si fuerit convictus de tot criminibus quibus infamatus fuit per scriptum missum ad Cancellarium Dusseldorpiensem? Respondit se eum remisisse ut sopiatur ista infamia eatenus, et pro decore Ordinis. Deinde promisit propria manu dictus Duren se ad minimum Respondentis nutum rediturum ad Monasterium.

Interrogatus cur saepe monitus ex parte nostra ut relaxaret D. Duren ..., non parens? Respondit se usum iure suo, et ut satisfaceret conscientiae.

Interrogatus cur contra sententiae restitutoriae Dillenii inhibitionem, eumdem intenderit turbare per recursum ad Archiepiscopum Coloniensem, petendo et impetrando ab eo commissionem? Respondit se alias per fratres missos Praemonstratum respondisse et allegasse rationes quas habemus.

Interrogatus cur voluit resuscitare Bullam «Inscrutabili» Gregorii XV[322]*), quae militat contra iurisdictionem Praepositorum et Privilegia Ordinis, et quam alias non acceptaverat cum caeteris Praelatis Provinciae? Respondit id se fecisse ex motu suae conscientiae, ut ista via averteret peccata quae fiunt per D. Praepositum tamquam fontem omnium peccatorum in Hinsberga.*

[322]) Per bullam *Inscrutabili* diei 5 Februarii 1622, in § 4a regulares subiiciebantur iurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi dioecesani tamquam S. Sedis Delegati. C. COQUELLINUS, *Bullarium* ..., Romae, 1756, tom. V, pars V, p. 1-2.

Interrogatus cur spernens ultimam nostram Commissionem cui se submiserat Respondens, recurrit ad Conservatorem Apostolicum cum tanto strepitu et scandalo? Respondit se putasse obligari ad quaerenda omnia media ad sistendum cursum peccatorum D. Dillen, et procurandam pacem monasterio Hinsbergensi.

Interrogatus cur sub initio huius anni denuntiaverit excommunicatum D. Dillen. Respondit quia fuerat ab ipso tractus (752) ad tribunal saeculare in causa regulari.

Interrogatus qua authoritate fuerit dimissus ad saecularia frater Adolphus Nothausen professus a pluribus annis. Respondit fuisse dimissum authoritate Ordinis, qui declarat esse dimittendos etsi nolentes, qui iudicio medici habent morbum quo aegrotaverant ab hora suae professionis.

Interrogatus cur ex Olinghausano extulit duo candelabra argentea, duo thuribula argentea, et capellam paramentorum? Respondit se authoritate propria id fecisse et ex conventione antea praemissa; et sibi deberi adhuc calicem aureum, qui a D. Topio abbate[323]*) Wedinghausano propter necessitatem venditus fuit*[324]*).*

Interrogatus cur in Relicto ipsius Rumbekano[325]*), 26 martii 1650, reliquerit Virginibus assuetis de nocte surgere matutinum persolvere hora quarta matutina? Respondit se id fecisse, quia tantum erant tres vel quattuor de nocte praesentes, mane autem omnes adesse poterant.*

Ad sextum articulum Relicti de qualitate Praepositi[326]*), dicit se fuisse in illa opinione, et sic tam ibi quam alibi in Provincia observatum semper fuisse.*

Ad articulum decimum tertium dicit se ita ordinasse pro bono pacis interioris.

Ad articulum decimum quartum. Debuisset reclamare Praepositus.

Ad articulum decimum quintum, quoad receptionem, vestitionem, professionem, etc., putavit hoc de more et iure Patris Abbatis. De exitu vero Monialium hoc tantum intelligi voluit in casu maximae necessitatis.

[323]) Agitur de Lamberto Topp, praeposito Arnsbergensi 1649-1655. Cfr. BACKMUND, I, 172.

[324]) Nota Gregorii du Crocq: «*L'Abbé respondant a mis à la marge ces parolles: non accepi nisi unum thuribulum, idque valde exiguum, exstat etiamnum in nostra ecclesia*».

[325]) Rumbeck erat praepositura prope Arnsberg in Westfalia sita, quae subiecta erat paternitati abbatum de Arnsberg. Cfr. BACKMUND, I, 244. «Relictum», de quo hic agitur, est instrumentum quo Visitator decreta sua, occasione Visitationis canonicae lata, promulgat.

[326]) Videtur Leonardus Teueren praeposituram Rumbeckanam considerasse uti officium manuale.

Interrogatus cur exclusive ad Praepositum et Conventum Hinsbergensem praesentavit ad beneficia ad ipsos pertinentia. Respondit nihil se fecisse nisi secundum Conventionem a se cum ipsis initam idque nomine, de scitu et consensu Conventus, ad obviandum multis abusibus et peccatis, quae alioquin per Praepositos in praeiudicium ipsius monasterii Hinsbergensis in subversionem fundationum, in divini cultus diminutionem, Ordinis despectum, et Ecclesiae scandalum commissa saepius, et committi de facto deprehendebantur peccata; nec agnovisse se fratrem Ioannem Dillen, praepositum post depositionem et subsecutam resignationem ipsi ex gratia magis quam ex debito concessam; proinde omnes eiusmodi factas, imo fuisse et esse omnes et singulas actiones fratris Ioannis Dillen per se declaratas nullas et irritas esse ut videre est in Bullis a Domino Praelato Belli-Reditus alias confirmatis[327]). *Signatum. Deposuit ut supra fr. Leonardus, Abbas Knechtstedensis. fr. Augustinus le Scellier, abbas Praemonstratensis et Generalis. fr. Philippus Babeur, secretarius*[328]).

[187] (753) Itaque in primo articulo, Capitulum diffinivit Rev. Dom. Leonardum Teueren, abbatem Knechtstedensem peccasse in Ordinis Statuta, Dist. 4ae, cap. 12, num. 33 et sq.[329]) et declarat ipsum ipso facto depositum, et subditos ab eius obedientia absolutos iuxta eadem Statuta, Dist. 2a, cap. 6. num. 9[330]). — Quartus articulus est contra veritatem Actorum Capituli generalis anni millesimi sexcentesimi vigesimi septimi, in quo Praepositus Hinsbergensis habitus est pro vero Praelato, et obedientiam uti Praelatus praestitit[331]). — Ad quintum articulum, Capitulum diffinit Rev. Dom. Leonardum peccasse in Statuta, Dist. 4ae, cap. 12, n. 22[332]) et eum graviter puniendum, et Rev. admodum

[327]) Nota scribae du Crocq: «*Depuis de l'Interrogé*?»

[328]) Nota scribae du Crocq: «*Suit le texte, cy-dessus interrompu, du Chapitre général*».

[329]) «Cum aliquae Abbatum translationes fuerint faciendae, eae fiant de consilio et assensu Domini Praemonstratensis ac aliter factae sint irritae et inanes: et Abbates qui sine dicto consilio et assensu se transferri permiserint, utriusque Ecclesiae Praelatura sint privati: verum caveat Dominus Praemonstratensis, ne utilium et honestarum personarum translationibus temere vel inique se opponat».

[330]) «Quicumque Praelati, sine Domini Praemonstratensis (ad quem hoc singulariter spectat) speciali licentia, Praelatorum cessiones acceptare praesumpserint, sint ipso facto depositi, et subditi ab eorum oboedientia absoluti, ac cessiones nullius sint róboris; sed sit in Domini Praemonstratensis potestate, eas vel improbare, vel probare».

[331]) Vide notam 313.

[332]) «Caveat autem Pater-Abbas, ne carnem sequens et sanguinem, mundano favore vel familiaritate devictus, magis idoneos a Capitulis electos reprobando, minus dignos promoveat; in qua culpa si per Visitatores (qui suborta suspicione hac de re sedulo inquirere debent) fuerit deprehensus, in proximo Capitulo Generali graviter puniatur».

Cuissiacensis[333]) sessionem suo decreto terminatam de more conclusit, et aliam ad secundam pomeridianam indixit negotio eidem impendendam.

Sessio vigesima secunda, die 9a Maii 1657, post meridiem.

[188] Fusis solitis precibus, et «*Benedicite*» per Rev. admodum D. Abbatem Cuissiacensem, deputatum Praesidem, pronuntiato, Rev. Abbas Cellae Omnium Sanctorum[334]) dixit se fuisse a Venerabili fr. Petro, procuratore Rev. Dom. Leonardi Teueren, abbatis Knechtstedensis, rogatum, exponere Capitulo quod ipse habeat ex mandatis verbotenus a suo Conventu sibi datis, ut petat a Capitulo generali pacem quae procurata fuerat per chartam concordiae, de die 15 Augusti anni 1653, Coloniae factam. — Capitulum respondit se etiam habere cogitationes pacis, et mandavit Venerab. P. Epiphanio Louïs, priori Mussipontano referendario, ut super articulis dicti protocolli, seu propriae confessionis R.D. Leonardi continuando examen diceret; quo dicente, et de 8. articulo disputante, et multas scripturas contrectante et Capitulo exhibente, Capitulum decrevit esse procedendum ad disquisitionem et resolutionem quaestionum duarum, videlicet, an Abbas Knechtstedensis sit Pater Abbas Monasterii S. Mariae et S. Ioannis Hinsbergensis, Ordinis Praemonstratensis. Item, utrum Abbas Praemonstratensis sit Pater Abbas monasterii iam dicti Hinsbergensis, Ordinis Praemonstratensis. Antequam tamen ad eiusmodi quaestiones, et ad earum solutionem procedat, decrevit discutere absentiam Conventus Knechtstedensis, peremptorie citati. Capitulum itaque, visis videndis, et examinatis examinandis, absentibusque Revmis Praemonstratensi et D. Domnimartinensi, et Venerabili Patre Adriano Gossetio, priore Praemonstratensi, declaravit et declarat Conventum Knechtstedensem esse contumacem; qua contumacia non obstante, idem (754) Capitulum Generale censuit, dixit et pronuntiavit, censet, dicit et pronuntiat Abbatem Praemonstratensem esse Patrem Abbatem eius monasterii et occasione petitionis et requisitionis dicti fr. Petri Teueren factae in praesentis Capituli sessione, eaque non obstante nec obstantibus contentis in libello impresso, tunc ab eodem Patre exhibitis, Capitulum declaravit et declarat dictum Monasterium Hinsbergense esse praeposituram electivam perpetuam et veri nominis in Ordine Praelaturam, non vero manualem et depositioni ad nutum obnoxiam.

[333]) I. Amour.
[334]) A. Schlecht.

[189] Item, Capitulum reservavit suam attentionem ad articulos saepe dicti protocolli seu propriae confessionis Rev. Dom. Leonardi Teueren, abbatis Knechtstedensis antea examinari et referri incoeptae;

Ad octavum articulum diffinit eumdem Rev. Dominum Leonardum peccasse et graves poenas meritum esse; Statuta Dist. 4, cap. 11, nº 3[335]).

Ad undecimum articulum diffinit peccasse et mereri poenam arbitrariam; Dist. 3, cap. 14, nº 3[336]).

Ad duodecimum diffinit peccasse et mereri poenam arbitrariam; Dist. 4, cap. 11, nº 2[337]).

Ad decimum quartum diffinit peccasse et mereri integro anno omni feria sexta in pane et aqua ieiunare; Dist. 2, cap. 25, nº 22[338]).

Ad decimum sextum diffinit peccasse et mereri poenam arbitrariam; Dist. 2, cap. 25, nº 27[339]).

Ad vigesimum quartum diffinit peccasse et mereri poenam arbitrariam; Dist. 2, cap. 23, nn. 2 et 5[340]).

Ad trigesimum septimum diffinit eum peccasse et mereri poenam arbitrariam; Dist. 4, cap. 27, n. 5[341]).

[335]) «Demum, ut Patres-Abbates, filiorum suorum Abbatum Monasteria visitantes, nullum eorum Canonicum, Laicum vel Novitium ad Obedientiam, vel ad Professionem recipiant; sed hoc, ad proprium Abbatem pertineat».

[336]) «[Per carcerem puniendi sunt] Illi etiam de quibus manifestum est, quod inter Caput et membra, vel inter Confratres dissensionem moverint, aut discordiam seminaverint».

[337]) «Deinde, ut Patres-Abbates filiabus Ecclesiis non sint onerosi, et molesti; nec immoderatis expensis, ullatenus eas exhauriant vel opprimant».

[338]) «Tempore vero bellorum, liceat cuilibet Abbati, Sorores sibi subditas, ad loca tutiora transferre, ita tamen, ut simul in eodem loco permaneant. Quod si absque tali necessitate, vel simili aeque urgente, eas egredi permiserit, omni feria sexta, integro anno, in pane et aqua ieiunet».

[339]) «Si vero aliquam Sororum, ad seculum evolare et impraegnari contigerit, sine aliqua dispensatione, praedictae incarcerationis poenis subiaceat, et griseam tunicam (ut supra) per triennium ferat, sed velo careat toto tempore vitae suae».

[340]) «Et quia regimen animarum, ars artium est, et scientia scientiarum, ideo Praelati ... eos provehant, de quorum pietate, sufficienti doctrina, et in virtute constantia, supremo illo die respondere possint; scientes, quod si indignos scienter provexerint, in provehentium caput refundendum sit, quidquid promoti deliquerint, et quod omne damnum, dominico gregi per tales illatum, sit ab eis repetendum». «... audito Priore, aliisque quos ad informandos se de promovendorum qualitatibus, ne errent, desuper iudicaverint audiendos, omni favore, ac quacumque affectione postpositis, solum Deum et Ecclesiae utilitatem eum promoveant, quem dictante conscientia, omnibus consideratis et aestimatis ad tale munus obeundum, maxime aptum censuerint ...».

[341]) «Quod si vero, aliquis Religiosorum, ad aliquam Abbatiam, jus praetendens, ad extraordinariam, et maxime Laicalem audientiam, Fratrem suum traxerit, omni jure, quod ad Abbatiam, vel contra Fratrem praetendebat, sit ipso facto privatus».

[190] Examinatis omnibus et singulis articulis protocolli saepedicti seu Interrogatorii, Responsionum et propriae Confessionis ab eodem Rev. Dom. Leonardo Teueren, abbate Knechtstedensi, coram Revmo Domino Praemonstratensi monasterium Knechtstedense actu visitante die decima quinta mensis Octobris anni millesimi sexcentisimi quinquagesimi tertii factae et ab eodem propria manu subscriptae et (755) apostillatae, Capitulum Generale, invocato Dei nomine, et solum Deum prae oculis habens, diffinivit et diffinit eumdem Rev. Dom. Leonardum Teueren poenam depositionis meruisse, et ipso facto in eam incidisse, aliasque graves poenas meriturum, ideoque Capitulum dictum R.D. Leonardum Teueren a sua dignitate abbatiali deposuit et deponit et depositum esse declaravit et declarat; declaravit et declarat praeterea Ecclesiam Knechtstedensem vacare, omnes dicti Leonardi subditos eius ab obedientia et subiectione absolutos esse, mandatque Conventui eiusdem Ecclesiae Knechtstedensis ut ad electionem novi Abbatis iuxta formam Ordinis procedat; quoad vero poenas per eumdem Leonardum meritas, Capitulum, attento eiusdem Leonardi senio et gravescente aetate, eas modificans, eumdem Leonardum condemnavit et condemnat ad unius anni ieiunium in pane et aqua omni sexta feria servandum, cum potestate infradicendis Commissariis et praesentis sententiae executoribus, relicta in dicti ieiunii parte cum eodem Leonardo, prout viderit eum esse contritum, dispensandi. Committit itaque Capitulum Revv. Dominis Andreae Meldart et Puteano, praepositis monasteriorum Langvadensis et Kaiserbosch[342]), Ordinis Praemonstratensis, ut praesentem contra dictum Leonardum latam sententian debitae executioni, invocato, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, demandent. Item, referente supra dicto Patre Epiphanio Louÿs, intellexit Capitulum quod supra memoratus libellus inscriptus *Humilis et extorta reformatio* a f. Petro Teueren praedicto procuratore dicti Leonardi porrectus, et ab eodem Leonardo subscriptus et eius sigillo munitus sit valde infamis, et Revmo Patri

[342]) De Andrea van Meldert, religioso abbatiae Heylissemensis, praeposito in Langwaden (1630-1664), vide L. HORSTKÖTTER, *Die Prämonstratenser der Belgischen Abtei Heylissem als Pröpste und Vikare in Langwaden und als Pfarrer in Wevelinghoven*, in *Beiträge zur Geschichte der Stadt Grevenbroich*, 3, p. 45. Martinus Puteanus, religiosus abbatiae Averbodiensis erat praepositus conventus sororum in Keizersbosch (1653-1681). Vide G. SLECHTEN, *Necrologium ... Averbode*, p. 145. Renuentibus religiosis canoniae Knechtstedensis, hi duo commissarii missionem suam, praeparandi nempe electionem novi abbatis, explere non potuerunt. Idcirco abbas Praemonstratensis Augustinus le Scellier, iure devolutivo, Joannem Fraisinne, religiosum Floreffiensem, canoniae Knechtstedensi praefecit. Vide Th. PAAS, *Der Kampf der Prämonstratenser ...*, 51, 90-96.

Generali totique Ordini insolenter iniuriosus, decrevit Capitulum libellum eiusmodi, in locis infamiam inferentibus sibi legi, cuius lectionem exhorrens distulit iudicium in aliam sessionem quam R.D. admodum D. Cuissiacensis praesidens indixit in sequentem diem hora nona matutina, praesentem, ut moris est, suo decreto terminans.

Sessio vigesima tertia. Die decima Maii 1657, de mane.

[191] Praesidente R. admodum D. Cuissiacensi, ad hoc praesidentiae munus deputato, iussus est Vener. Pater Epiphanius Loüys prior S. Mariae Mussipontanae, Hinsbergensis negotii Vicarius, referre quid amplius in libello ad calcem praecedentis sessionis examinari incoepto, continerentur tam multa etiam horrenda ex libelli lectione recensuit et ad oculum in pleno consessu (756) ostendit ut Capitulum perhorresceret, et in primis legit eam praetensam declaratoriam, declaratoriae excommunicationis per supradictum Leonardum Teueren, abbatem Knechtstedensem, contra Revmum Augustinum le Scellier Generalem, et R.D. a Dillen, praepositum Hinsbergensem latam et impressam pag. 39 eiusdem libri et manu et sigillo dicti Leonardi subscriptam et signatam; quam auditam doluit Capitulum non sibi prius innotuisse, ut eam digno anathemate et execratione feriret. Parcens tamen honori et festivitati Ascensionis Domini, noluit ut vindictam tantae in supremum Ordinis Caput commissae iniuriae, descendere; sed eam interim exsibilans, execrans, et nullam esse declarans, alia eiusdem libelli loca annotavit, et in aliam diem iudicium in libelli auctorem distulit. Haec etiam sequentia seditiosa et calumniosa Capitulum iussit notari, videlicet pagina 12 § 6; pag. 13 *continuatae. Hinc recusatur*; pag. 21 § 11 *continuatur et ex eo noster*. Et notate excommunicationem nn. 3, 4, pag. 25, aut commate ad primum *Reverendissimum*. Pag. 26, commate ad 3, p. 3; pag. 26 ad 3um; pag. 27 commate ad 5um; pag. 28 ad 14um commate ad 15um. Ad 1um pag. 31 § 21, commate *Novit*; pag. 32 commate *Respondet*; pag. 33, § 23 commate *Respondetur* et commate *Novit*; pag. 34 commate *De Iure naturali*; pag. 35 commate *Alia* et 4°; pag. 38 in fine commatis *RR. admodum* commate n° 2° et 4°; pag. 39 commate *Sexti quia*.

[192] Item, reproposita est quaestio alias sessione 13a moveri coepta et hactenus dilata, quaenam videlicet oboedientia et subiectio deberentur Patri Abbati ex parte Praepositorum Monialium. Capitulum dicit eam posse discuti in hac sessione, sed non velle eam resolvere, nisi in proxima sessione, in qua adfuturi essent Revmus Dominus Generalis et Rev.

Dom. Domnimartinensis et Venerabilis Prior Praemonstratensis, et ita post ventilatam quaestionem Rev. admodum Cuissiacensis suo decreto sessionem conclusit, et aliam pomeridianam, ut hactenus factum est, indixit.

Sessio vigesima quarta. Die decima Maii 1657, post meridiem.

Praesidente Domino D. Praemonstratensi, Capitulum ad quaestionem supra positam, quaenam obedientia et subiectio debeatur Patri Abbati, ex parte Praepositorum Monialium, diffinit Praepositos Monialium, vel esse manuales, vel esse perpetuos; si perpetui, non aliam obedientiam debere Patribus (757) Abbatibus, quam iisdem debeant filii-Abbates; si vero manuales sint, suis Abbatibus esse subiectos ita ut possint ad nutum et omni tempore amoveri sicut supra dictum est de Prioribus claustralibus. Diffinit etiam Capitulum eos Monialium Praepositos esse perpetuos, qui a Monialibus eliguntur, et a Patre-Abbate, vel ab alio potestatem habente, confirmantur.

[193] Item, Revmus Dominus Praemonstratensis proposuit Monasterium Monialium S. Margaritae de Urbe Rupellensi[343]) a Patribus Oratorii occupari, cum tamen sit Ordinis Praemonstratensis. Capitulum decrevit et mandat Procuratori Ordinis, ut omni via iuris dictum Monasterium repetat.

[194] Item, Rev. Dom. Vitus, abbas Siloënsis, porrexit libellum supplicem subsequentibus verbis: *Revme et Amplissime D. Pater generalis, totiusque candidi et canonici Ordinis Praemonstratensis, in Spiritu Sancto congregatum Capitulum generale. Inter alia quae catholicus Orbis declarat vastata Religiosorum Domicilia, et meum, proh dolor, coenobium Siloense erat, utpote infestantibus haeresum malis ad prima usque rudera dissipatum. Auspicante porro gratiarum rore coelesti et sensim reviviscente catholica Religione intra regnum Bohemiae, tandem et monasterium Siloënse primae fundationi suae et haereditati Sanctissimi Patris Norberti coepit restitui, augustissimis favoribus et gratiis Ferdinandi II gloriosae memoriae Imperatoris et Bohemiae Regis, sollicitante simul et redimente RR.DD. piae memoriae Gaspare a Questemberg, abbate Strahoviensi et Siloënsi. Cessit deinceps Siloënse cum suis redditibus in usumfructum et iustam recompensationem redemptionis monasterio Strahoviensi, ab anno 1623 ad annum 1643, inclusive, in quo anno demum, intra Conventum*

[343]) Agitur de monasterio sororum in civitate La Rochelle. Cfr. Backmund, III, 31-32.

provincialem Circariarum Caesaris in Praepositura Neoreschensi[344]) *in Moravia celebratum ultimo conventum est, impetrata desuper confirmatione Caesarea, ut in posterum memorato in Coenobio Siloënsi, intra quietam possessionem de proprio, eoque constanti Abbate et formali Conventu ibidem instituendo provideretur; praetendit tunc Rev. Dom. Crispinus, abbas Strahoviensis*[345]) *nonnulla circa iura paternitatis sibi tribuenda, sed quia decernere super translatione iuris paternitatis RR.DD. Comprovinciales suorum non esse virium compererunt memoratum Dominum Strahoviensem pro declaratione huius praetensionis ad proxime futurum Capitulum generale remiserunt. Cum igitur Deo Optimo vertente et favente haec sancta (?) conventio generalis effectum sortita est, meque aequitatis et dilectionis iure quo me, mihi a Deo concreditam sponsam et domum Siloënsem, cum ibidem Deo servientibus fratribus et filiis meis prosequi decet et oportet, ea qua par est reverentia supplex venio, quatenus pensatis utriusque causis tum (758) redemptionis factae a Strahoviensi, tum recognitionis praestitae ex tot annorum usu et aliis a Siloënsi, Revmus Dominus Pater Generalis totumque Amplissimum Capitulum cognoscere et iudicare dignetur, penes ac enixe rogans cum toto Venerabili meo Conventu, ut cum prima fundatione (docentibus hoc antiquissimis scripturis intra Archicoenobium Praemonstratense) se Siloënse filiam Steinfeldensem legat et profiteatur, ne pro nunc saltem allegatis quibuscumque in contrarium, a prima matre sua Steinfeldensi (cui iterato omnem filiationis subiectionem defero) cogatur recedere. Hoc gratiosae declarationis genus, ab Amplissimo Capitulo impetratum quod devote licuerit, demerebor. Datum 4a Maii, in archicoenobio Praemonstratensi, Rev. mi et Amplissimi Domini D. Patris Generalis totiusque generalis Capituli obsequentissimus*

[344]) Conventus qui uti 'provincialis' hic indicatur, non fuit capitulum provinciale sensu stricto, erat enim coadunatio praelatorum circariarum in territorio imperiali sitarum. Hoc patet ex *Notitia compendiosa celebratorum capitulorum praecedenti saeculo 1600 usque ad praesens 1700*, in archivo abbatiae Plagensis (Schlägl), *Schachtel* 13. HUGO, Annales, II, col. 816 loquitur de capitulo provinciali, quem secutus est BACKMUND, I (prima editio), 281. Haec adunatio locum habuit in canonia de Nova Říše, dioecesis Brunensis (= Brno) in Moravia. Cfr. BACKMUND, I, 367-368.

[345]) Crispinus Fuck a Hrad, professus canoniae Strahoviensis, uti praepositus rexit canoniam Plagensem (Schlägl) 1609-1622 (BACKMUND, I, 349), deinde eodem titulo conventum sororum in Doksany administravit, 1621-1637 (BACKMUND, I, 349), simul, inde ab anno 1630, abbatem Gasparum de Questemberg, Strahoviensem, uti coadjutor adiuvit. Abbas Strahoviensis et ipse factus, 1640-1653, inde ab anno 1644 ad dignitatem episcopalem evectus fuit titulo Trebizontino ac uti auxiliarius Ernesto cardinali von Harrach adiunctus (Cfr. A. ŽAK, *Episcopatus Ordinis Praemonstratensis*, in *An. Praem.*, IV, 1928, 183). Obiit 29a Augusti 1653. (Cfr. *Todesbuch des Stiftes Schlägl*, p. 124, nº 1631).

fr. Vitus Rösler, abbas Siloënsis. Capitulum considerato eiusmodi libello supplici, commisit et committit R.D. Vicarium Bohemiae[346]) et R.D. Godefridum, abbatem Zabrdovicensem[347]), qui coniunctim aut etiam divisim informent seu informet et quod iuris fuerit, decidant vel decidat.

[195] Item, Capitulum generale dat facultatem Venerabili Patri Basilio Liegault, priori S. Martini Laudunensis, professo in Communitate antiqui rigoris, ut gradum Doctoris accipere valeat. Respondit Vicarius Communitatis, quod non debeat admitti ad gradum, nisi conformet se articulis Reformationis, quos iuravit observare.

[196] Item, ad instantiam Venerabilis Patris Guillard, vicarii Communitatis antiqui rigoris, Capitulum decernit expediri R.D. Ioanni Gombervaux, abbati Salinae Vallis[348]), ut statim revocet reservationem suam abbatiae in Curia Romana in favorem saecularis factam, et interim reprobat illam, et Procuratori Ordinis mandat ut eius effectum omnino impediri studeat.

[197] Item, Venerabilis Pater Augustinus Guillard, vicarius Communitatis antiqui rigoris, eiusdem nomine petit a Reverendissimo Capitulo generali, ut Communitati restituerentur quicumque in Ordine extra Communitatem morantur et retinentur, et in posterum non admittantur, et post aliqualem discursum, devenit sermo de Venerabili Patre Basilio supradicto, et altercatio hinc inde facta est, patres antiqui rigoris dixerunt esse fugitivum, accepisse beneficium, sine licentia et contra proprium iuramentum, et cum falsificatis litteris Revmi Generalis componendo aliquas, quas velut ab eodem Reverendissimo emanatas, intimavit Vicario Communitatis; et tandem Revmus Pater Generalis coram Capitulo generali declaravit se neminem dictae Communitatis admisisse et recepisse nisi propter probabilem Superiorum saevitiam, et ipse Pater Basilius negavit se fugitivum esse aut falsificasse litteras, aut peccasse (759) occupando beneficium quod nunquam occupaverit aut beneficiatus fuerit. Et postquam haec dicta fuerunt, petiit dictus Vicarius Communitatis ut praefatus Basilius non permittatur ad gradum Doctoratus ascendere nisi prius faciat iuramentum in Communitate antiqui rigoris ante acceptum gradum fieri solitum, et quod erit rigidus

[346]) M. PAUL.

[347]) Godefridus Olenius (1650-1678). Cfr. BACKMUND, I, 390.

[348]) Abbatia de Salival, (Ardennes), communitati antiqui rigoris associata. BACKMUND, III, 104-107.

observator articulorum Reformationis. Ad quod respondit idem Basilius quod erit non tantum rigidus, sed etiam rigidissimus observator.

[198] Item, Venerabilis Pater Guillard supradictus dixit emanasse tres sententias rotales iustificativas Pauli V et Gregorii XV contra Capitulum generale et quod fuerit condemnatus ad expensas[349]), quae ad summam centum viginti ducatorum aureorum de Camera ascendunt, et dictam summam repetit a Capitulo generali. Respondit P. Gregorius du Crocq, nuper Procurator Ordinis in Curia Romana[350]), non probari Capitulo generali praetensas sententias emanasse, et se scire eas nondum fuisse pronuntiatas pro eo tempore quo asserit Rev. Domino Gossetio Generali significatas fuisse. Deinde R.D. Domnimartinensis prae manibus habens chartas, dixit quod Communitatis antiqui rigoris monasteria debeant Ordini de talliis in totum singulis annis 183 libras Turonenses et 14 asses, quae summa debet multiplicari vigesies novies, eo quod a 29 annis non fuerit soluta, et eam Capitulum repetit a dicta Communitate antiqui rigoris. Ad quod replicavit R.D. Abbas Stivagiensis[351]), eiusdem Communitatis professor, se et quosdam alios professionis Abbates pro hoc anno solvisse, ideoque unum annum defalcandum.

[199] Item, R.D. Abbas Guinet S. Mariae Mussipontanae, eiusdem Communitatis, dixit quod ante duos annos Capitulum Communitatis diffinivit quod in negotiis Monasteriorum, vocem deliberativam non habeant, sed tantum consultivam iuniores sacerdotes, et quod petunt aboleri decretum huiusmodi et restitui iura pristina. Capitulum commisit scripturas ab eodem R.D. Abbate Sanctae Mariae exhibitas Abbati Dominimartinensi examinandas, et in proxima sessione referendas.

[200] Item, petiit idem R.D. Guinet abbas, an absente Abbate et prohibente, Prior claustralis in Communitate antiqui rigoris possit valide recipere professionem et communitati incorporare, et dixit se id petere, eo quod factum esset nuper in suo Mussipontano monasterio. Et cum

[349]) Capitulum generale anni 1627 (Cfr. Acta Cap. Gen. IV, 123-124) bullam Pauli V, *Exigit pastoralis*, diei 28 Iulii 1617 (ed. LE PAIGE, BPO, 749-751) et bullam Gregorii XV *Ad sacram*, diei 17 Aprilis 1621, (LE PAIGE, BPO, 751-756) «tamquam subreptitie et obreptitie impetratas» reiecit earumque revocationem coram tribunali Sacrae Romanae Rotae prosequendam esse decrevit. Sententiae rotales coram Amato Dunozeto annis 1628-1631 latae roborem praedictarum litterarum pontificalium confirmaverunt. Cfr. *Litterae executoriales trium sententiarum rotalium conformium in favorem communitatis antiqui rigoris concessae*, s.l., s.d. in-4°. Vide etiam E. DELCAMBRE, *Servais de Lairuelz* ..., 192-195. Sententia conclusiva diei 7 Iulii 1631 edita fuit in LE PAIGE, BPO, 757-759.

[350]) Vide notam 25.

[351]) H. Rampant.

procuratores Communitatis altercarentur in contrarium, idem Abbas petiit ab eis, an se opponant resolutioni quaestionis a se propositae? Responderunt se non habere mandatum ad opponendum et ipse prosequendo discursum incoeptum dixit, quod quaestio sit meri iuris, ideoque petiit resolvi etiam parte absente, de (760) cuius moribus non agitur. Et cum dicti procuratores Communitatis dicerent, quod in nupero Capitulo provinciali Communitatis eorum fuissent deputati Abbates qui casum examinarent, Revmus Pater Generalis dixit se huiusmodi examen ad Capitulum praesens evocare. Capitulum igitur, egresso ab aula Capitulari R.D. Guinet, abbate Mussipontano, diffinivit et diffinit professionem eiusmodi esse illicitam, et ex parte Ordinis vota esse nulla, et strictissime inhibet non tantum Prioribus dictae Communitatis antiqui rigoris, sed et omnibus Ordinis Prioribus monasteriorum non commendatorum, ne deinceps absque speciali Praelatorum suorum regularium mandato, cuiusque professionem recipere praesumant, sed Statuta, Dist. 1, cap. 17, nº 21[352]), exacte observent.

[201] Item, ad capitularem aulam reversus dictus Abbas petiit decerni a Capitulo ut novitius, ut supra, contra suam inhibitionem ad professionem admissus, remittatur ad monasterium S. Mariae maioris Mussipontanae ut in eo professionem valide emittat. Capitulum decrevit et decernit dictum novitium ad dictum Monasterium remitti debere, ut in manibus eiusdem R.D. Abbatis professionem et vota religionis emittat.

[202] Item, pro visitatione Monasterii Praemonstratensis, Capitulum deputat cum R.D. Cuissiacensi[353]), RR.DD. Domnimartinensem et Vallis Serenae[354]).

[203] Item, ad quaestionem propositam a R.D. Abbate Vallis Secretae[355]), an praeses Capituli provincialis, antequam priores assumat in diffinitores, debeat omnes Praelatos in Diffinitores assumpsisse? Capitulum diffinit debere Praelatos in Diffinitores assumere antequam Priores in diffinitores assumantur.

[204] Item, Capitulum deputavit RR.DD.Abbates Domni Martini,

[352]) «In monasteriis commendatis, Professio fiat vel in manibus Domini Generalis, vel Patris-Abbatis non commendatarij, ac in eorum absentia, peragatur in manibus Prioris loci, tamquam istius monasterii abbatem regularem repraesentantis, ac professuri in professionis forma, obedientiam spondeant his verbis; *Tibi Patri Priori, Abbatem regularem repraesentanti et successoribis tuis & c.*»

[353]) I. Amour

[354]) Ph. Babeur et D. de Lorris.

[355]) Cl. Lestendart.

Lucensem et Sancti Vincentii electum[356]), et Siloënsem[357]), et Venerab. Praesidem Collegii Coloniensis[358]), ad acta praesentis Capituli cum Secretario revidenda et limanda et Revmus Dominus Praemonstratensis de more sessionem conclusit et aliam indixit.

Sessio vigesima quinta, die undecima Maii 1657, De mane.

[205] Fusis precibus solitis, praesidente R.admodum D. Cuissiacensi et absentibus Revmo D. Generali et R.D. Domnimartinensi et Vener. P. Priore Praemonstratensi, Capitulum iterum discutiens et examinans saepe dictum libellum, cui titulus: *Humilis et extorta informatio, seu Vera Relatio, etc.* manu Patris Leonardi Teueren eiusque sigillo subscriptum, et respective munitum, a Venerabili fr. Petro Teueren procuratorio eiusdem Leonardi nomine sibi porrectum, et ab illa praetensa declaratoriae excommunicationis per saepe dictum Leonardum contra Revmum (760) P. Augustinum le Scellier, suum et totius Ordinis Superiorem, atque in R.D. Ioannem a Dillen, praepositum Hinsbergensem lata et attentata, et pag. 39 eiusdem libelli comprehensa exordium faciens, et eam pro meritis qualificare volens, eandem declaratoriam declaratoriae excommunicationis declaravit et declarat esse nullam, scandalosam, temerariam, iniuriosam, malitiosam, indebite, incompetenter, impudenter, et sine ulla iuris apparentia attentatam, esseque inauditum a saeculis scelus; improbat, reprobat, annullat, irritat, damnat et execratur.

[206] Itemque, examinans, alia eiusdem libelli loca in Sessione 23, superius annotata, Capitulum declaravit et declarat eadem loca esse diffamantia, probrosa, seditiosa et calumniosa, adeoque eundem Leonardum Teueren eidem libello subscriptum declaravit et declarat incidisse in poenas infamatoribus Praelatorum constitutas, Statutis dist. 4.c. 19. num. 7. et Dist. 3. cap. 9. num. 5.6. ac 7. expressas, eumque mereri ad decennium emitti, carceri ad triennium mancipari, poenam gravioris culpae 40 diebus subire, stallo, voce activa et passiva, excepta in accusatione sui, toto tempore vitae suae privari, nullam obedientiam nominatam obtinere, nisi per Capitulum generale fuerit cum eo misericorditer dispensatum, et eundem Leonardum ad praedictas poenas, decennalis videlicet ad monasterium Wedinghausanum emissionis, triennalis incarcerationis, 40 diebus gravioris culpae poenae, privationis vocis

[356]) M. Paul.
[357]) V. Rösler.
[358]) I. Luckenrath.

activae et passivae, excepta in accusatione sui, et stallo, ad obedientiam nominatam inhabilitatis, nisi per Capitulum generale cum eo fuerit misericorditer dispensatum, condemnavit et condemnat, relicta potestate nominandis praesentis sententiae executoribus, ut attenta eius aetate si se humiliaverit et emendaverit, in carceris et gravioris culpae poenis pro aliqua parte dispensare valeant, mandans R.D. Abbati Wedinghausano, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena ut dictum Leonardum Teueren emissum in suo Wedinghausano monasterio recipiat, et toto decennio iuxta Statuta retineat, et ne ulla possit esse pro parte eiusdem R.D. Abbatis Wedinghausani, quasi gravaretur, tergiversatio, Capitulum eidem Leonardo Teueren emisso pensionem annuam a R.D. Abbate Steinfeldensi, in Circaria Westphaliae Vicario generali, taxandam et assignandam de trimestri in trimestre anticipata solutione in manibus eiusdem R.D. Abbatis Wedinghausani aut provisoris illius (761) et non alterius, a monasterio Knechtstedensi solvendam assignavit et assignat; huius etiam praesentis sententiae cautionem committit et mandat Capitulum R.D. Andreae Meldart, praeposito monasterii Langwadensis, ordinis Praemonstratensis, et R. D. Puteano, praeposito in Kaisersbosch[359]), coniunctim aut divisim, cum facultate per censuras ecclesiasticas et brachii saecularis imploratum auxilium quoscumque contradictores aut rebelles compellendi.

[207] Item, decrevit Capitulum et mandavit omnibus Capitulantibus, necnon monasterii Praemonstratensis Conventualibus ut quicumque saepe dictum libellum, cui titulus: *Humilis et extorta, etc.* haberet, statim ad aulam Capitularem referret, et inventi, sunt relati.

[208] Item, Capitulum mandavit ad se vocari Venerabilem fr. Petrum Teueren, et quaesivit ab eo quot dicti libelli exemplaria attulisset? Et medio iuramento respondit se non assere, sed credere se attulisse circiter quatuordecim vel quindecim, et sibi unicum superesse, quod et iussus retulit ad manus R.D. Cuissiacensis praesidentis.

[209] Item, petita dicendi licentia et obtenta dixit idem Petrus Teueren vereri se excessisse terminos procuratorii sui, et referre se ad protestationem quae habetur in fine libelli, cui titulus est: *Humilis et exorta Informatio, etc.* eo quod non credat suum principalem velle renunciare sententiis, decretis et appellationibus Apostolicis; consequenter esse Revmi Capituli generalis videre super quo possit iudicare, et cum

[359]) De Andrea van Meldert, ac de Martino Puteano, (sive Puttemans vel Putmans), vide notam 342.

interrogaretur ad quod ergo attulisset, nomine sui Praelati principalis, libellum iam a se citatum in quo suus principalis petiit a Capitulo generali ut castiget et puniat extorres excessus Revmi Domini Generalis, si suus principalis declinet iudicium Capituli? Respondit se non intelligere quod opus fuerat illum afferre.

[210] Item, Capitulum interrogavit fr. Petrum Teueren, an approbet dictum libellum, cui titulus: *Humilis et extorta, etc.*, respondit se rogare Capitulum ut ponderet rationes in eo contentas, si quod tamen iudicio Reverendissimi Capituli generalis sit calumniosum, dicit se iudicio eiusdem Capituli stare; et cum interrogaretur an non eiusmodi calumniosa improbaret? Respondit quod improbat quod Capitulum generale improbarit. Interrogatus dictus Petrus Teueren quis sit auctor eiusdem libelli? Respondit se nescire praecise, putat plures ad eius compositionem concurisse, et esse vehementem suspicionem principalem eius compilatorem esse fratrem Michaelem Himselrath, canonicum Knechtstedensem, procuratorem causae, prout videntur innuere sex litterae (763) capitales dictum libellum claudentes; quo dicto, iussus est recedere.

[211] Item, Venerabilis P. Epiphanius Louïs, prior Mussipontanus, proposuit Capitulo pro Reverendissimo D. Generali a sessione absente, quod quidam Canonicus Knechtstedensis, nomine fr. Michael Himselrath, fuerit a Revmo Generali ad certas poenas condemnatus per sententiam tenoris sequentis: *Visis actis visitationis nostrae, et expositis scripturis a fr. Michaele Himselrath aliisque certis iisdem adiunctis eidem exhibitis et ab eodem recognitis necnon eiusdem ad interrogata nostra responsionibus ex quibus constat dictum fr. Michaelem multas calumnias privatim et publice cum gravi detrimento famae Superiorum Ordinis et aliorum Religiosorum protulisse, litteras quoque Superioris ad inferiorem destinatas clanculum aperuisse, et adhuc retinere, ex quibus omnibus apud viros tam regulares quam saeculares grave et publicum scandalum exortum est, nos declaramus et pronuntiamus eundem fr. Michaelem Himselrath in poenas infamatoribus debitas incurisse, quae in Statutis Ordinis, Dist. 3. c. 9. num. 5 contra tales infamatores debitas decernuntur, et proinde ipsum condemnamus ad poenas gravioris culpae 40 diebus in hoc coenobio subeundas. Item, ad poenas carceris quam ex misericordia designamus esse dormitorium, templum et claustrum, quae loca per annum integrum non egredietur. Praeterea toto tempore vitae suae extremum ordinis sui locum teneat, et nullam vocem activam neque passivam habeat, nisi in accusatione sui, nullam obtineat obedientiam nominatam, donec ad Domini Abbatis,*

confratrum, et aliorum proborum virorum, qui de ipsius contritione, humilitate, et emendatione fidele praebeant testimonium, intercessionem, per Capitulum generale aut per nos fuerit misericorditer dispensatum. Toto etiam tempore quo permanebit in ea poenitentia carceris, nullus fratrum, nisi designatus a D. Praelato, loquendi habeat licentiam, nec ullus se adiungere audeat, sine praefata licentia, sub poena triduani in pane et aqua ieiunii; si tamen, quod absit, huic nostrae sententiae rebellem se et refractarium exhibeat, arctiori carceri mancipetur, neque quidquid de poenis superius in loco Statutorum memorato decretis relaxetur, huius nostrae sententiae executionem sine mora faciendam Rev. Domino Praelato et Priori strictissime demandamus sub poena inobedientiae et culpabilis cum fr. Michaële conniventiae; non obstantibus oppositionibus et appellationibus quibuscumque et sine illarum praeiudicio. Litterae autem subreptae Reverendo Domino (764) Abbati Steinfeldensi aut Rectori Collegii Steinfeldensis Coloniae infra octiduum reddentur, et post factam earum restitutionem, Rev. Dom. Praelatus a casu reservato absolvere possit. A qua sententia, die 21.Octobris anni 1653, lata idem fr. Michael appellavit ad Sedem Apostolicam, cuius iudex commissarius eumdem fr. Michaelem appellantem condemnavit ad praedictae sententiae obtemperandum, et ab huius etiam iudicio decreto die 29. Aprilis anni 1654, mandato et signato: Abbas Reussing, officialis et commissarius apostolicus, idem fr. Michael denuo appellavit, et litem non est prosecutus, dicens se non obligari ad eius prosecutionem, nisi a Reverendissimo P. Generali eidem appellanti subministrentur sumptus usque ad tres conformes sententias faciendi. Item dictus Epiphanius, causae huius referendarius, exhibuit litteras originales die 21.Aprilis anni 1654, Coloniae, in domo Knechtstedensi datas et signatas, fr. Michael ab Himselrath, Priori Ellensi, mandatarius ad praemissa, uti emergentia, specialiter ab Abbate et Conventu Knechtstedensi deputatus, cum parapho ad Revmum D. Generalem missas, et a Venerabilibus ff. Joanne Luckenrath, praeside Collegii Coloniensis et Petro Teveren supradicto procuratore, medio iuramento recognitas et esse ipsa manu fr. Michaelis supradicti bene nota subsignatas, affirmatas, impudentibus in ipsum Revmum D. Generalem opprobriis et calumniis refertas. Quibus omnibus consideratis, Capitulum diffinivit et diffinit Reverendissimum Dominum Generalem non obligari, nec obligatum fuisse supradicto fr. Michaeli appellanti, ad prosequendam litem sumptus administrare, et dictam appellationem a decreto Domini Reussing officialis et commissarii apostolici supracitati esse desertam, atque, per insertam Revmi

Dom. Generalis contra fr. Michaelem, condemnat eum ad omnes et singulas poenas in ea contentas et expressas. Praeterea, quia idem fr. Michael litteris supra allegatis Revmo Domino Generali atque adeo isti sacro Ordini iniuriosus fuit, committit Capitulum generale Rev. Dominum Abbatem Steinfeldensem, Circariae Westphaliae vicarium generalem, ut contra eumdem fr. Michaelem, secundum iuris et Statutorum Ordinis formam, usque ad sententiam diffinitivam inclusive procedat.

[212] Item, quia Capitulum advertit Rdum D. Joannem a Dillen, praepositum Hinsbergensem, in quibusdam quae correctionem merebantur deliquisse, et sine debita licentia Abbatis sui Scheidensis alias cessisse, et scivit (765) cum eodem Dillen per Reverendissimum D. Generalem, iustis rationibus motum, fuisse dispensatum, ut Praeposituram Hinsbergensem obtinere possit, attentis tamen eiusdem Reverendissimi Dom. Generalis iustis rationibus, et poenis et afflictionibus a dicto Ioanne toleratis, attenta etiam eiusdem humilitate et subiectione constanti, et reverentia, declarat dictum Ioannem a Dillen legitime absolutum, dispensatum, et in Praepositura Hinsbergensi confirmatum, nihilominus gravi reprehensione praevia in aliorum exemplum monuit, ne deinceps simile quid in cessionibus attentaret, nisi debito modo, debitaque ad hoc licentia.

Sessio vigesima sexta. Die 11a Maii, post meridiem.

[213] Fusis ad Deum solitis precibus, et praesidente Reverendissimo Domino Generali, Rev. Dominus Domnimartinensis, deputatus referendarius, proposuit quaestionem, an decretum Capituli provincialis Communitatis antiqui rigoris celebrati anno 1655, debeat confirmari aut infirmari? Decretum erat eiusmodi tenoris: *Cum erit de rebus monasterii praesertim magni momenti gerendum, advocentur etiam iuniores professi tum clerici, tum sacerdotes, qui habeant vocem consultivam, non vero deliberativam, omnesque publicum, si quod faciendum est, instrumentum iuxta dictamen et sensum sanioris partis maiorum domus subsignare teneantur, nisi Superiori pro ratione materiae aliter videbitur.* Capitulum, audito desuper Revmo D. Generali qui in eodem Capitulo provinciali praesederat, diffinivit esse servandum decretum uti iacet, non excludi tamen iuniores eiusmodi in casibus per Statuta expressis.

[214] Item, R.D. Abbas Vallis Serenae (360) quaestionem proposuit,

[360]) D. de Lorris.

an dum Revmus D. Praemonstratensis abbates seniores assumit in consilium ad nominandos Diffinitores, debeat assumere eos qui antiquitate monasterii aut promotione sunt seniores? Capitulum diffinivit quod Reverendissimus Dom. Generalis non debeat attendere antiquitatem monasterii, aut promotionis, sed prudentiam.

[215] Item, an Praelati non diffinitores possint concurrere cum Diffinitoribus in dandis suffragiis, ita ut non debeat recurri ad Diffinitorium, nisi quando sit vocum aequalitas, sed debeat superare vocum pluralitatem. Capitulum diffinivit non attendendam vocum multitudinem aut aequalitatem, sed pondus rationum, et si in materiis tractandis oriatur qualiscumque opinionum varietas, eam posse ad Diffinitorium evocari et decidi, quod si etiam in Diffinitorio fuerit vocum aequalitas, standum esse illi parti cui adhaeret Diffinitorii praeses.

[216] Item, diffinit Capitulum decreta (766) Capituli generalis, quae generalem Ordinis statum concernunt debere omnibus communicari, particularia vero particularibus communicanda.

[217] Item, Capitulum pro trecentis libris Turonensibus ab eodem Capitulo generali Abbati Belli Loci[361]) debitis, assignat eidem arreragia talliarum sui monasterii Belli Loci, Capellae ad Plancas[362]), et de Moncellis[363]) quae arreragia sunt 29 annorum.

[218] Item, pro solutione cuiusdam debiti pecuniarii quod f. Jacobo Regnault, priori hospitali Domni Martinensi debet monasterium Camerae Fontis, Capitulum committit R.D. Cuissiacensem qui informet, et si casus occurrat ad solutionem compellat.

[219] Item, interrogati Patres Communitatis antiqui rigoris deputati, an consentiant ut quaestio in sessione decima sexta proposita super iure visitandi Patribus Abbatibus[364]) competenti, deferatur ad arbitrium Eminentissimi Domini Cardinalis Carpinei, Ordinis in Curia Romana protectoris? responderunt se consentire; et Capitulum decernit ut nec Patres Abbates Ordinis visitent sua filialia Coenobia quae Communitati

[361]) J.P. Cuénat.

[362]) Chapelle-aux-Planches, abbatia circariae Franciae, antea in dioecesi Trecensi = Troyes, nunc vero Lingonensi = Langres. Cfr. BACKMUND, II, 490.

[363]) Moncetz, abbatia circariae Franciae, iuxta fluvium Marne, in dioecesi Catalaunensi = Châlons. Cfr. BACKMUND, II, 516.

[364]) Vide supra Acta n° 137.

[365]) Samson Dolé, religiosus archicoenobii Praemonstratensis, die 17 aprilis 1665 obiit, dum, prior abbatiae Dei Loci (= Dilo, dioecesis Senonensis, cfr. BACKMUND, II, 499) constitutus, curam egit de reaedificatione huius monasterii. R. VAN WAEFELGHEM, *L'obituaire de l'abbaye de Prémontré*, Louvain, 1913, p. 91.

antiqui rigoris accesserunt, nec Patres Abbates Communitatis eiusdem visitent Monasteria quae communem vivendi formam retinuerunt, quod utrimque servabitur ad annum a praesentis decreti die computandum.

[220] Item, aequum non est ut monasterium Praemonstratense solum patiatur ex delicto per fr. Samsonem Dolé, Praemonstratensem, Ioannem Petit, S. Martini Laudunensis, et Ioannem Mereau, Branensem religiosum, in personam cuiusdam apparitoris Meldensis commisso[366]). Ideo in praesentia Capituli generalis Prior S. Martini Laudunensis, suo et sui Conventus procuratorio nomine, et Prior S. Evodii Branensis suo et sui Conventus procuratorio nomine, consentiunt quisque in quartam partem summae debitae ex mutuo per Reverendissimum Dominum Generalem, et Conventum Praemonstratensem per transactionem cum eodem apparitore acceptae, et in interesse annuum tam solutum quam solvendum, quamdiu obligatio dictae summae et interesse solvenda manebit, et donec principalis summa fuerit refusa et extincta. Capitulum approbat et mandat ut pro securitate domus Praemonstratensis fiat instrumentum publicum, quo dicti Priores Conventus Laudunensis et Branensis, sese ad quartam quisque partem eiusmodi summae et interesse, eiusque solutionem obligent.

Sessio vigesima septima. Die duodecima Maii 1657, de mane.

[221] Praesidente Reverendissimo Domino Generali, et proponente Rev. Domino Abbate (767) Domnimartinensi, Capitulum deputat RR. DD. Abbates Parcensem et Grimbergensem[367]), ad examinandos et ad proximo Capitulo generali referendos cumputus expensarum a R.D. Ioanne David, abbate Ninoviensi, uti procuratore generali Ordinis, Romae, annis 1627 et aliquot sequentibus, assertarum[368]).

[366]) Natura huius delicti contra apparitorem regium Meldensem (Meldae = Meaux) nescitur. Occurrit in abbatia Camerae Fontis (Chambrefontaine). Vide supra Acta n° 171.

[367]) Libertus de Pape (vide notam 288) et Carolus Fernandez de Velasco, qui abbatiam Grimbergensem a 1647 ad 1665 rexit (Vide N.J. WEYNS, art. *Abbaye de Grimbergen*, in *Monasticon Belge*, t. IV, vol. III, p. 740-741).

[368]) Ioannes David, a capitulo generali anni 1627 procurator generalis apud curiam romanam constitutus (cfr. Acta Cap. Gen., IV, 125; Copia authentica litterarum abbatis generalis Petri Gosset diei 18 septembris 1627 in ms. *Fundatio et Statuta Collegii S. Norberti de Urbe Ordinis Praemonstratensis*, AAT, Coll. Rom., reg. 2), iter versus Urbem, comitante Carolo Monincx, vices procuratoris acturo, mense septembri 1627 arripuit, ibique usque ad festa paschalia 1628 permansit ut coram tribunali Sacrae Romanae Rotae, causam contra Communitatem antiqui rigoris Ordinis Praemonstratensis instrueret, nullitatem bullarum *Exigit pastoralis* Pauli V diei 28 Iulii 1617 et *Ad sacram* Gregorii XV diei 17 aprilis 1621

[222] Item, quaesivit R.D. Cuissiacensis, an Vicarius Communitatis antiqui rigoris aut eius Capitulum provinciale possit dare licentiam alienandi, permutandi, et oppignorandi bona immobilia et alia eiusmodi faciendi quae sunt Patris Abbatis? Capitulum respondit non posse, sed servanda esse Statuta Ordinis, Dist. 4. cap. 30. n. 2.[369]), et Capitulum declarat praesens decretum esse conforme constitutionibus apostolicis eidem Communitati concessis. Patres vero eiusdem Communitatis deputati protestati sunt contra eiusmodi decretum. Capitulum nihilominus decrevit quod, non obstante protestatione, decretum vim suam haberet, et mandat omnibus et singulis Ordinis professoribus ut illud inviolabiliter observent, et declarat esse nullas et irritas, omnes alienationes et permutationes, aut oppignorationes contra praesens decretum deinceps faciendas.

[223] Item, R.D. Guinet, abbas Mussipontanus, antiqui rigoris pariter professor, proposuit quaestionem an Vicarius Communitatis antiqui rigoris, aut eius provinciale Capitulum possit mittere ad ordines religiosos Communitatis eiusmodi, cum Statuta Ordinis[370]) dicant a solo Abbate mitti debere, constitutio vero Gregorii XV[371]) Communitati

asserens utpote subreptitie ac obreptitie a fautoribus reformationis Lairuelianae impetratarum. Expensa, hac occasione facta, anno 1630 ascendebant «ad summam duorum millium septingentorum sex scutorum quadraginta baijoccorum et dimidii, scutos sexaginta solidos Turonenses valentes» (Acta Cap. Gen., IV, p. 154). Ad cuius extinctionem ordinavit capitulum generale praedicti anni (Acta Cap. Gen., IV, 155) ut praeter talliam iam anno 1627 impositam, singula monasteria solverent adhuc quattuor tallias extraordinarias.
Ex actis capituli generalis anno 1738 celebrati constat huiusmodi debitum nondum abbatiae Ninoviensi solutum fuisse, nam abbas Ferdinandus Vander Haghen, in sessione 8a, solutionem repetiit summae triginta trium milium centum et quadraginta septem librarum Turonensium (J.B. VALVEKENS, *Capitulum generale anni 1738*, in *An. Praem.*, L, 1974, 37).
Iter romanum abbatis Ioannis David in Annalibus abbatiae Ninoviensis tamquam damnosum describitur «ob non refusas expensas nec ob causam tam speciosam» (J..J. DE SMET, *Corpus Chronicorum Flandriae*, Bruxellis, 1841, II, 742-743).

[369]) «Nullus Praelatorum Ordinis nostri, aliqua immobilia bona, primae fundationis, vel quae sunt amortizata, vel quae ad Ecclesias suas, longo tempore spectaverunt, sine Domini Praemonstratensis, vel Capituli Generalis, vel Patris-Abbatis cum consilio duorum vicinorum Abbatum, vel si is sit nimis longe dissitus, Vicarij, sive Visitatoris, ad hoc specialem potestatem habentis, consensu, in scriptis obtento, vendat aliquatenus vel alienet».

[370]) «Morum et honestatis censura, a cuiuscumque Praelati discretione, iudicioque dependeat, qui suos, quando ita visum fuerit, iuxta privilegia Ordinis, ad quemcumque Episcopum, ut ab eodem ordinentur, mittere valeat». Statuta Ord. Praem., Dist. 1, cap. 21, n° 8.

[371]) Constitutio *Ad sacram*, Gregorii XV, diei 17ae Aprilis 1621 (LE PAIGE, BPO, 753): «... ut dictae Communitatis religiosi neutiquam ad alia monasteria eidem non subiecta neque ad sacros Ordines sine Capituli [annui] consensu mittantur».

concessa dicat non mittendos ad Ordines, nisi de consensu Capituli, ex quibus ipse Abbas fatetur se non posse mittere, sine dicto consensu, sed petiit decerni cuius nomine et authoritate expediri debeant litterae dimissoriales. Respondet Capitulum et declarat, quod Prior, etiam consensu Capituli provincialis Communitatis antiqui rigoris munitus, non posse mittere ad ordines, sine speciali sui regularis Abbatis licentia, quam pro vitando abusu, in scriptis deinceps obtineri debet, et eandem esse rationem de Suppriore respectu Prioris, in Abbatiis commendatis. Item, Capitulum generale Patri Augustino Guillard, dicenti quod Capitulum generale evertat omnia iura Communitatis, mandavit ut impraesentiarum doceat quod ius evertatur a Capitulo generali? Respondit se revocare quod dixit, se honorare Capitulum et velle obedire, et petere veniam et pacem.

[224] (768) Item, Capitulum generale obtulit et offert specialem suffragiorum et precum totius Ordinis Revmo et Eminentissimo S.R.E. Cardinali Carpineo protectori participationem. Eandem offert Eminentissimo ac Reverendissimo Cardinali de Harrach, archiepiscopo Pragensi[372]), ad instantiam Abbatis Siloensis.

Item, Excellentissimo Domino Annibali d'Estrées, coniugi, et liberis eorum, instante Rev. Domino Abbate Vallis Serenae[373]).

Item, gloriosissimo D. Anselmo Maraire, curiae praesidialis Bellovaci senatori, eiusque conthorali ad instantiam Rev. Domini Domnimartinensis.

Item, eodem instante, clarissimae D. Catharinae, viduae clarissimi D. Joannis le Scellier, fratris Revmi Domini Generalis.

Item, Illustrissimo et Revmo Domino D. Francisco a Lotharingia,

[372]) Ernestus cardinalis von Harrach archidioecesim Pragensem annis 1624-1664 rexit (GAMS, 303). De religione catholica in Bohemia instauranda summopere meruit. Jesuitarum agendi rationi minime favens, partes non minimas egit in erigendo collegio S. Norberti in urbe Pragensi (HUGO, *Annales*, I, col. 436 ss.). Eius praecipue influxui debetur quod Innocentius X provisionem sedis abbatialis archicoenobii Praemonstratensis in favorem Simonis Raguet, sodalis Communitatis antiqui rigoris, ab Urbano VIII factam, causa iterum examinata, cassavit. Cfr. L.C. VAN DIJCK, *L'affaire Raguet* ..., in *An. Praem.*, LI, 1975, 57-58, nota 194.

[373]) Ex absentia nobilitatis vel alius tituli deducendum videtur hic agi de Francisco Annibale d'Estrées iuniore, filio Francisci Annibalis senioris, marescalci (1626), ex marchione de Cœuvres dux d'Estrées facti, quondam oratoris Ludovici XIII apud romanum pontificem (1618-1621 et 1636) et ab anno 1654 gubernatoris regionis quae 'Ile-De-France' dicitur.

principi et episcopo Virdunensi[374]), instante Vener. Patre Petro Thienville, seniore abbate Mussipontano.

Item, Serenissimo Principi D. Gastoni, christianissimi Regis Francorum patruo, duci Aurelianensi, et Serenissimae eius Coniugi[375]), instante R.D. Vallis Serenae.

Item, Illustrissimo Domino Nicolao Foucquet, procuratori generali Parlamenti Parisiensis[376]), instante Revmo Domino Generali.

Item, Illustrissimo D. Joanni Guillelmo S.R. Imperii Comiti de Kenigsen in Auterdorf, eiusque Illustrissimae coniugi Waldeburgae Comitissae in Scheer, instante R.D. Sorethano[377]).

Item, Illustrissimae et Reverendissimae Franciscae Principissae et Abbatissae in Buchau S.R.I. Comitissae de Montfort eodem R.D. Sorethano instante[378]).

Item, Illustrissimo Domino Ottoni sacri Imperii Dapifero et Comiti de Scheer, eiusque Illustrissimae Dominae coniugi Comitissae de Schlick, atque liberis eorum[379]).

Item, honoratae Dominae Ioannae de Ratinville, Dominae de Querael, benefactrici monasterii Belli Portus, instante Vener. P. Francisco Martin, priore.

Item, Serenissimis Archiducibus Austriae Ferdinando Carolo et Serenissimae suae Coniugi Annae, magnae Ducissae Toscanae, et

[374]) Franciscus de Lotharingia praefuit dioecesi Virdunensi annis 1623-1661 (GAMS, 653).

[375]) Parum historia de hoc fratre regis Ludovici XIII, filio tertiogenito Henrici IV et Mariae dei Medici laudandum retinuit, qui, instabili indole fidelitatem minime coluit, nunc contra ipsum regem, tunc contra Richelium eiusque successorem Mazarinum conspirans. Anno 1634, post obitum primae uxoris, Dominae de Montpensier, Margaritam e domo Lotharingiae in matrimonium duxit.

[376]) Nicolaus Fouquet (1615-1680), iurisconcultus, anno 1650, utpote qui cardinalem Mazarinum fideliter coluit, procurator generalis Parlamenti Parisiensis factus est. Postea, fisco praefectus, ob inordinatum regimen anno 1664 ad perpetuam reclusionem condemnatus fuit.

[377]) Joannes Gulielmus comes de Königsegg-Aulendorf, anno 1629 comes Sacri Romani Imperii factus, dominium territorii de Aulendorf, 6 tantum km. ab abbatia Sorethana distans, tenuit. Obiit 30a aprilis 1663. Inde a 24a novembris 1618 matrionio iunctus erat Walburgae, Eusebiae von Waldburg-Friedberg-Scheer (1595-1671).

[378]) Buchau, ad lacum qui Federsee dicitur, ex monasterio monialium ordinis S. Benedicti capitulum canonissarum saecularium factum est, cuius abbatissa, titulo et iuribus principissae Sacri Romani Imperii adaucta fuit. Cfr. H. VOLK, art. *Buchau* in *Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastiques*, X, col. 1022.

[379]) Otto comes von Waldburg-Friedberg-Scheer (1615-1663) et coniux, quam 5a maii 1642 duxit, Maria Sidonia von Schlick, filia comitis Henrici von Schlick. Scheer non longe distans a Sigmaringen in vicinitate canoniae Sorethanae invenitur.

Serenissimo Domino Sigismundo Francisco Archiduci Austriae, instante R.D. Wiltinensi[380]).

Item, Illustrissimo et Revmo D. Francisco Guillelmo, comiti in Wirtenberg, episcopo Ratisbonensi,[381]), Osnabrucensi, Mindensi, Verdensi, et Principi Sacri Romani Imperii, instante Rev. Domino Windbergensi.

Item, Excellentissimo et Illustrissimo Arnoldo Wolfgango, Comite de Huyn et Gelein, et Coniugi cum liberis, instante Rev. Dom. Ioanne, praeposito Hinsbergensi[382]).

Item, Illustrissimo Dom. Godefrido, Comite de Huyn et Gelein,[769]), instante per litteras Rev. Patre Ioanne Fraisinne, praeposito Sancti Gerlaci[383]).

Sessio vigesima octava. Die 12 Maii 1657, post meridiem.

[225] Praesidente Revmo Domino Praemonstratensi, tota sessio in audiendis quaestionibus super rituali et statutis a diversis, et praesertim a Suppriore Praemonstratensi, propositis, occupata est.

[380]) Ferdinandus Carolus (1628-1662) filius Leopoldi V et Claudiae de' Medici, ab anno 1646 matrimonio iunctus Annae de' Medici (1616-1676).
Abbas Wiltinensis capellanus erat Archiducum Austriae. Cfr. Acta n° 111.

[381]) Franciscus Wilhelmus von Wartemberg annis 1649-1661 episcopus Ratisbonensis (= Regensburg) factus, dioeceses Osnabrucensem, Mindensem et Verdensem in titulum retinuit utpote quae sedes ob Reformationem protestanticam occupari nequibant. (GAMS, 294, 299, 305).

[382]) Arnoldus Wolfgangus Huyn, dominus de Geleen (hodie in Limburgio neerlandico), filius Arnoldi IV et Margaritae Wilhelminae van Wittenhorst, inde a 26 februarii 1654 comes de Geleen, obiit Aquisgranae (= Aachen) 10 septembris 1668. Coniux erat Maria Margarita, filia Werneri Huyn van Amsterade et Lyfart van Lerode. A. FAHNE, *Geschichte der kölnischen, jülischen und bergischen Geschlechter in Stammtafeln, Wappen, Siegeln und Urkunden*, I, 1848, p. 182; J. VERZIJL, art. *Huyn van Geleen, Arnold Wolfgang*, in *Nieuw Nederlandsch Biografisch Woordenboek*, VII, Leiden, 1927, col. 631.

[383]) Godefridus Huyn van Geleen, filius Arnoldi III comitis de Geleen, Ordini Teutonico adscriptus, excercitus Unionis Catholicae tempore belli tricenarii praefectus, copias imperiales in Rhenania inferiori et Westphalia adduxit, sedem Ordinis Teutonici primo in Ürdingen dein in Alden-Biesen (hodie in oppido Beliseno = Bilzen, Belgio) sitam rexit ubi die 27 augusti 1657 obiit. A. FAHNE, *l.c.*; A. SCHRIJNENMAKERS, in *Nationaal Biografisch Woordenboek*, III, Brussel, 1968, col. 429-432; Ch. RAHLENBEEK, in *Biographie nationale*, VII, 1880/1883, col. 568-571 et IX, Bruxelles, 1886/1887, col. 753-756.
Ioannes Fraisinne, professus Floreffiensis (cfr. V. BARBIER, *Histoire de l'abbaye de Floreffe*, I, p. 349) partes non minimas egit in regendis communitatibus Rhenaniae quae, post edictum Restitutionis, denuo variis in monasteriis antea derelictis exsurgebant. Anno 1658, die 2 februarii uti abbas Knechtstedensis vi introductus, mox eiectus Coloniis carcere detentus fuit. Cfr. F.W. SAAL, *Die Abtei Knechtsteden* ... , p. 76 ss, 80.

Item, decernit Capitulum ut in Quadragesima possint legi deinceps in Choro septem Psalmi post Sextam, a quattuor Canonicis per Superiorem deputandis. Similiter decernit quod Vigiliae Defunctorum in eadem Quadragesima a quattuor in Choro recitari poterunt, et utrobique omnes interesse debebunt, ubi deputatio facta non fuerit a Superiore.

Similiter decernit quod quando cantanda conventualiter Missa defunctorum supervenerit, ea cantetur loco Maioris Missae, quae privatim ipsa die legatur.

Sessio vigesima nona. Die 13 Maii 1657. De mane.

[226] Precibus de more completis, Reverendissimus Dom. Praemonstratensis Capitulum generale ad diem 25.Aprilis, in Dominica «Cantate», anni 1660 in hoc ipso Praemonstratensi Archicoenobio indixit et praesenti decreto indicit.

[227] Item, Capitulum committit et deputat Revv.Dominos Abbates Domnimartinensem et Vallis Serenae ad cognoscendum et diffinitive iudicandum super accusatione qua in Capitulo generali Vener. fr. Petrus Thienville, senior abbas Mussipontanus accusavit Vener. f. Basilium Liegault, Communitatis antiqui rigoris professorem, Priorem Sancti Martini Laudunensis, et petens contra eum iustitiam, dixit eum fecisse libellum supplicem, seu requestam famosam contra dictum Thienville, et sub dicta requesta fecisse decretum, et sub hoc decreto falsificasse signaturam Revmi Domini Generalis, et ad utrique parti plenam iustitiam administrandum.

[228] Item, Capitulum acceptavit taxam singulis Circariis et earum Monasteriis, pro sustentatione Procuratoris generalis in Curia Romana a Revmo Domino Praemonstratensi, Capituli generalis authoritate nominandi et mittendi impositam.

[229] Item, pro impressione Breviarii, Missalis, Diurnalium, Processionalium Ordinis et eorum correctione deputant Priores Collegii Parisiensis et Coenobii Hermeriarum[384]).

Item, Rev. Domini Abbates Domnimartini, Lucensis, (770) et Siloensis retulerunt Capitulo generali se cum Patre Secretario revidisse et limasse Acta, Diffinitiones, Decreta et Sententias Praesentis Capituli generalis, et nihil esse in eis, ita limatis, quod ab intentione eiusdem Capituli deflectat.

Item, Revmus Dominus Praemonstratensis hanc sessionem suo decre-

[384] Norbertus Caillieu et Petrus Patissier.

to conclusit, et aliam hora prima pomeridiana in loco Capitulari Conventus Praemonstratensis ad publicationem eorumdem actorum, diffinitionum, decretorum et sententiarum indixit.

Sessio trigesima, die 13a Maii 1657. Post meridiem.

[230] Ad locum capitularem Conventus Praemonstratensis congregatis Patribus, Reverendissimus D. Generalis oratiunculam habuit, qua demonstravit nullam Capituli generalis fore utilitatem seu fructum, si decreta illius a viris tam doctis, piis, prudentibus, et rerum experientia cautis, discussa et edita, temerario et praesumptuoso privatorum hominum sensu violentur mandavitque supra nominato praesentis Capituli Secretario, ut omnia eius acta, decreta, diffinitiones, commissiones, mandata, atque sententias publicaret, quod et factum est. Et quia actorum eiusmodi tanta fuit prolixitas, ut in una sessione omnia legi nequiverint, cum ad secundam sessionem publice legendum deventum sit, Revmus Dominus Generalis suo decreto sessionem conclusit et aliam ad diei sequentis septimam horam matutinam in qua actorum coeterorum publicatio absolveretur, indixit.

Sessio trigesima prima. Die 14a Maii 1657. De mane.

Reverendissimis Patribus in loco Capitulari Conventus Praemonstratensis ad pulsum maioris campanae congregatis, Capituli generalis Secretarius, iubente Revmo D. Generali praesidente, reliqua acta incipiendo a 2a sessione publicavit, praemissa publicatione infra scriptorum duorum decretorum a Diffinitoribus iamiam factorum videlicet:

[231] Revv. Domini Diffinitores capitulariter congregati, ad supplicationem Vener. P. Basilii Liegault[385]), decreverunt et decernunt quod idem p. Basilius, non obstante accusatione per Vener. P. Petrum Thienville facta, sit religiosus, probus, bonus, honoratus, ab omni infamia liber, et pro tali volunt ipsum haberi, donec per accusatorem probatum fuerit contrarium, et per iudices deputatos declaratum, et silentium partibus et omnibus aliis usque ad tempus (771) diffinitivae sententiae imposuerunt et imponunt.

[232] Item, audito et consentiente Rev. D. Vallis Serenae, permiserunt et permittunt, ut f. Ioannes de Versoriis recipiatur ad professionem in Conventu Vallis Serenae, si consensus eiusdem Conventus accesserit.

[385]) Accusationes a deputatis Communitatis antiqui rigoris contra Basilium prolatae inveniuntur supra Acta n. 195,197.

[233] Et post publicationem Actorum, R.D. Abbas Vallis Serenae[386]), tenens chartam, eam, non petita loquendi venia, legit tenoris sequentis, videlicet: *quia Abbates et caeteri tam Praelati, quam Priores, et Canonici S. nostri Praemonstratensis Ordinis, ad quos pertinet notitiam habere facile nequeunt diffinitionum, ac decretorum Capitulorum generalium, aut provincialium, pristinorum, modernorum et futurorum vel aliorum quorumcumque documentorum Ordinis, quibus unusquisque pro sua qualitate vel dignitate indiget, et maxime pro sententia in eiusmodi Capitulis sapienter et iuridice ferenda, nisi ipsis ad supradicta documenta habenda, legenda, eruenda, describenda facile pateat aditus, et de modo provideatur quo procedi debeat, ut eorum copia conveniens et authentica, cum opus erit, haberi possit, si quidem in solo Praemonstratensi coenobio, et sub solius Revmi D. Generalis potestate reservantur; et quia quando illud ego, praesenti Capitulo et cum ea qua potui humilitate exposui, et postulavi ut dignetur Revmus D. Generalis, et RR. admodum Patres Capituli diffinire et decernere quod super hac mea petitione ipsis videretur statuendum, non modo decretum ea de re fieri noluit Revmus. D. Generalis, sed et prohibuit, ne mea haec requisitio, quae quidem aequa et iusta censeri debet; aequum enim est et nos de iis edoceri quae sine crimine non possumus ignorare, inter Acta praesentis Capituli inseretur; idcirco, tam de hac mea supradicta petitione quam de illius a Revmo Generali denegatione, coram ipso nunc, et RR. DD. Abbatibus, Praelatis, Prioribus, et Canonicis hic praesentibus, actum mihi tradi iterum humiliter et rogo et peto.* Revmus D. Generalis petiit calumniam a Diffinitoribus iudicari, et utroque recedente a loco Capitulari Diffinitores declarant quod Revmus Generalis non vetuerit communicari decreta, immo esse decretum expressum in Actis Sess. 26[387]), et quod R.D. Abbas Vallis Serenae sit iniuriosus Revmo D. Generali, et mandat ut ipse R.D. Abbas Vallis Serenae in praesentia totius Capituli generalis et publice veniam a Revmo D. Generali petat, et quod dictum sess. 26. decretum non debuit amplius declarari, cum modus conquerendi communicationem Actuum, sit ex omnium tribunalium voce notissimum, et veniam petiit genuflexus.

[234] Acta, lecta et publicata in loco Capitulari Conventus Praemonstratensis, praesidente Reverendissimo Domino Domino Augustino le Scellier, Abbate Praemonstratensi et totius Ordinis Generali (772),

[386]) D. de Lorris.

[387]) Vide supra Acta nº 216 ubi tamen generali tantum modo statuitur omnibus communicanda esse decreta quae generalem statum ordinis concernunt, particularibus particularia.

coeterisque Reverendis admodum Patribus Diffinitoribus, Rev. Dominis Abbatibus, Venerabilibus Patribus Prioribus, caeterisque Capitulum generale Ordinis Praemonstratensis facientibus, die decima quarta mensis Maii anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi septimi et subsignata, ut sequitur:

fr. Augustinus le Scellier, Abbas Praemonstratensis et Generalis.

fr. Is. Amour, abbas Cuissiacensis; fr. Philippus Babeur, abbas Dompni-Martini; fr. Dionysius de Lorris, abbas Vallis Serenae; fr. Matthaeus Paul, abbas Lucensis, Circariarum Bohemiae, Poloniae, Hungariae Vicarius generalis, sacrae theologiae doctor; fr. Nicolaus Guinet, abbas Sanctae Mariae Mussipontanae, diffinitor Capituli generalis; fr. Augustinus Arzet, abbas Sorethanus, nomine Circariae Sueviae; fr. Dominicus Loer, abbas Wilthinensis, nomine Circariae Bavariae; fr. Vitus Rosseler, abbas Siloënsis, deputatus Circariae Bohemiae; fr. Bonaventura Messin, abbas Rengisvallis; fr. Hylarion Rampant, abbas Stivagii; fr. Damasus Perrin, abbas Bonifageti; fr. Servatius Regnault, abbas Iustimontis; fr. Perpetuus Noyzet, abbas Leffiensis; fr. Michael Fuchs, abbas Windbergensis; fr. Anastasius Schlecht, abbas Omnium Sanctorum; fr. Edmundus Sauvage, abbas Buciliensis; fr. Adrianus Gosset, prior Praemonstratensis; fr. Ioannes Luckenrath, S. Th. Licentiatus, praeses Collegii Coloniensis; fr. Philippus Gretsch, Sanctae Mariae Virginis in Wadegotia abbas; fr. Ioannes a Dillen, praepositus Hinsbergensis; fr. de Lompagieu, coadiutor abbatiae Gratiae Dei.

Et tandem pronuntiata a Reverendissimo Patre Generali excommunicatione in omnes canonicos et conversos, sibi et Capitulo generali subditos, proprietatem habentes, incendiarios et falsarios Ordinis nostri, conspiratores, lusores deciorum, et portantes cultellos acutos ad nocendum, apostatas, et eos qui ad suorum mandata Praelatorum ecclesias parochiales quas tenent nolunt resignare, acceptaque stola et pedo pontificali omnes generali confessione humiliatos solemni ritu capitulantes benedixit.

Signatum: fr. Gregorius du Crocq, Capituli generalis iuratus Secretarius, cum parafo.

Praesens transsumptum hac die decima Martii anni millesimi sexcentesimi sexagesimi secundi cum suo originali concordat. Et in fidem hac eadem die Praemonstrati subscribo:

frater Gregorius du Crocq, iuratus secretarius.

Valvedrens. J.B.

1660

Statuit capitulum generale anni 1657 decreta quae generalem Ordinis statum respiciunt omnibus communicari debere, decreta vero particularia iis tantum quorum interest (Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 216). Sedente postea capitulo generali anni 1660, ad petitionem R.D. Petri Thienville, Communitatis antiqui rigoris ablegati, definierunt patres capitulares secretario capituli generalis adiungendum esse amanuensem «qui decreta describet et a secretario subscripta transmittet» (Acta Cap. Gen., V, 1660, n° 196).

Hinc est quod series integrae actorum ac decretorum capituli generalis paucae exstant. Pro editione actorum et decretorum huius capituli generalis prae manibus habuimus imprimis Transcriptum copiae originalis actorum capituli ab ipso secretario capitulari, Gregorio du Crocq, confectum (Laon, Bib. mun., ms. n° 538, I, pp. 775-841). Alterum transcriptum sodalibus Communitatis antiqui rigoris Ordinis Praemonstratensis destinatum et maiori quondam cum acribia quam manuscriptum Laudunense confectum, invenitur in manuscripto Nancy, Bib. mun., n° 994, fol. 228v°-250r°. Quod primum manuscriptum, cum secundo collatum, tanquam fundamentum huius editionis adhibetur.

Varia insuper variis in locis asservantur Excerpta ex actis huius capituli deprompta, quorum sequentia regiones vel causas particulares tangentia hic recenseri possunt:

AAA, liasse 1, farde 3; reg. 221, fol. 25v°-33, 38v°-40r°.

Archivum Abbatiae Grimbergensis: cl. V, fasc. 8A.

Archivum Abbatiae Parcensis, ms. VII, 47, p. 134-145; 147-161; 177-179; 202-208; 209-213; 221-226.

AAT, IV, 53, nn. 41,48,49,50,52,54: *Transsumpta summaria ex actis capituli generalis anni 1660*; 55.

Archivum Abbatiae Siloënsis (Bohemia), I B 2, p. 28-34; 35-41.

Archivum Abbatiae Strahoviensis (in Archivo Status Pragae), in capsa n° 21: Excerpta cap. gen. 1660: Extractus decretorum in sess. 18a promulgatorum relate ad paternitatem abbatis Strahoviensis in canoniam Siloënsem;

in capsa n° 289: Excerpta decretorum quatenus circariam Westphaliae contingunt.

Prostant insuper collectaria:

AAT, V, ms. 18: Joseph VAN DER ACHTER, *Capitula generalia et provincialia Ordinis Praemonstratensis*, 1726.

Extractus alphabeticus capitulorum generalium et provincialium ab anno 1641 ad observandum compilatus et a ... Praelatis Circariae Bohemiae in Provinciali diaeta Lucensi congregatis et pro observantia toti inclytae circariae commendatus (cfr. Milo NENTWICH, *Verzeichnis der Handschriften in der Bibliothek des Stiftes Tepl*, s.d., s.l., codex 142,)

Praeter negotia ad Ordinis universi vel singularum abbatiarum seu circariarum disciplinam et regimen spectantia, capitulares disserte egerunt de sopiendis litibus et difficultatibus inter capitulum generale et communitatem antiqui rigoris Ordinis Praemonstratensis existentibus. Decreta hanc causam tangentia inveniuntur etiam in elencho separato actis capituli adnexo: vide ms. Laon 538, I, p. 672-678 et ms. Nancy, 994, fol. 316r°-320v°.

Tandem, cum sedente capitulo tota materia controversa de cohabitatione communitatis strictioris rigoris cum communitatibus qui huiusmodi arctiorem disciplinam non sequeban-

7A 246

tur in plenariis sessionibus definiri non potuisset, statutum fuerat ut deputati ex utroque coetu selecti ad colloquium fraternum in abbatia Bonae Spei in Hannonia convenirent (vide Acta Cap. Gen., V, 1660, nn. 125, 194). Acta et decreta huiusmodi colloquii habiti die 11 Iulii et sequentibus anni 1660, ad calcem actorum capituli generalis anni 1660 adiicimus prout, typis impressa, in ms. Nancy 994, fol. 253v°-256v° inserta inveniuntur.

* * *

Acta et Diffinitiones Capituli Generalis Praemonstrati celebrato anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo, die vigesima quarta Aprilis et sequentibus.

(775) Interfuerunt[1]):

Reverendissimus Dominus D. Augustinus le Scellier, Praemonstratensis Abbas Generalis.

Reverendus admodum Dominus Carolus de Severy abbas Floreffiae, in circaria Floreffiensis Reverendissimi Domini Generalis vicarius et tertius Ordinis Pater[2]).

Reverendus admodum Dominus Isidorus Amour, abbas Cuissiaci, de Communitate antiqui rigoris et quartus Ordinis Pater[3]).

Rev. Dom. Nicolaus le Dé, S. Andreae in Nemore abbas et Pontivi Vicarius[4]).

[1]) Recensentur in praesenti elencho etiam religiosi qui, etsi stricto sensu capitulares non fuerint, Praemonstrato tamen aderant vel quia causas a capitulo generali solvendas patribus capitularibus submiserant vel quia adiuvandi gratia convocati fuerant.

Praelati ex circariis Bohemiae, Moraviae, Austriae ac Silesiae aberant quia capitulum provinciale Bohemiae, etc., anno 1659 Plagae celebratum, in sessione 9a decrevit: «Visum est capitulo pro hac vice mitti non posse aliquos deputatos ad illud [capitulum generale], nam praeterquam quod monasteria non sufficiant ad exsolvendas expensas tantorum periculosorum itinerum, difficulter quoque Aula Caesarea licentiam impertiretur.» Cap. Prov. Bohem., p. 94.

[2]) Carolus de Severi, annis 1641-1662 canoniam Floreffiensem rexit atque vi iuris paternitatis partes non minimas egit in reformandis canoniis tam virorum quam mulierum intra fines circariae Westphaliae. Cfr. V. BARBIER, *Histoire de l'abbaye de Floreffe*, I², Namur, 1892, p. 351-371; U. BERLIERE, in *Monasticon Belge*, t. I, 1890-1897, p. 122; D.D. BROUWERS, in *Biographie Nationale*, XXII, 1914-1918, col. 342-345.

Secundus pater primarius Ordinis, abbas nempe S. Martini Laudunensis, abfuerat quia sedes abbatialis, post obitum ultimi abbatis regularis Nicolai le Saige, iterum in commendam data fuerat et quidem cardinali Iulio Mazarino. Cfr. BACKMUND, II, 512.

[3]) Vide supra p. 10, notam 2.

[4]) Vide supra p. 15, notam 39. Cfr. A. DE CALONNE, *Histoire des abbayes de Dommartin et de Saint-André-au-Bois, Ordre de Prémontré au diocèse d'Amiens*, Arras, 1875 t. II, p. 176-186; GOOVAERTS, I, 496.

Rev. D. Libertus de Pape, abbas Parcensis et Brabantiae Vicarius[5]).

Rev. D. Philippus Babeur, abbas Dommartinensis et Franciae Visitator seu a Capitulo Generali creatus circator[6]).

R.D. Augustinus de Felleries, abbas Bonae Spei et circariae Floreffiae Visitator seu Circator[7]).

R.D. Dionysius de Lorris, abbas Vallis Serenae et Pontivi Visitator seu Circator[8]).

R.D. Godefridus de Courteville, Hispaniae Visitator seu Circator, abbas Furnensis[9]).

R.D. Augustinus Arzet, abbas Sorethanus et Sueviae Visitator seu Circator et a Suevia deputatus[10]).

R.D. Norbertus van Couwerven, abbas Sancti Michaelis Antwerpiensis[11]).

R.D. Philippus Gretsch, abbas Wadegotiae[12]).

R.D. Dominicus Loer, abbas Wilthinensis, a Bavaria deputatus[13]), et hi omnes locum et ordinem qui supra ibi datum tenuerunt.

[5]) Praeside vicario abbatis generalis pro circaria Brabantica, Liberto de Pape, abbate Parcensi, praelati illius circariae diebus 8-10 martii 1660 Bruxellis convenerunt ut deliberarent de materia in proximo capitulo generali tractanda. Cfr. P. LENAERTS, *Le journal de Libert de Pape, abbé du Parc*, in *Analectes de l'Ordre de Prémontré*, VII, 1911, 124-125. Iter versus Praemonstratum arripuit die 15 aprilis una cum lectore Parcensi Carolo Coghen, comitantibus abbate S. Michaelis Antwerpiensis, Norberto van Couwerven cum socio lectore Macario Simeono, ac Ioanne Dillen, praeposito Heinsbergensi et Ioanne Luckenrath, priore in parthenone nobili de Meer. Cfr. P. LENAERTS, *op. cit.*, p. 128-129.

[6]) Vide supra p. 10, notam 3; p. 43, notam 211. Cfr. A. DE CALONNE, *op. cit.*, I, p. 69-70. Quondam secretarius abbatis generalis le Scellier, nunc autem consiliarius principalis Domini Praemonstratensis, fuit unus ex capitularibus quibus nonnullae quaestiones dirimendae commissae fuerunt.

[7]) Augustinus de Felleries, canoniam Bonae Spei (Bonne-Espérance), nunc in dioecesi Tornacensi in Hanonia, annis 1643-1671 rexit. Cfr. A. VANDERMEERSCH, in *Biographie nationale*, VII, Bruxelles, 1880-1883, col. 8-9; U. BERLIERE in *Monasticon Belge*, t. II, 1929, p. 233; BACKMUND, II, 364; E. BROUETTE, *Obituaire de l'abbaye de Bonne-Espérance*, Louvain, 1964, p. 69.

[8]) Vide supra p. 10, notam 7.

[9]) Vide supra p. 67, notam 293.

[10]) Vide supra p. 11, notam 13.

[11]) Norbertus van Couwerven institutus fuit abbas S. Michaëlis Antwerpiae die 21 decembris 1652 ac obiit die 9a septembris 1661 aetatis suae anno 64. Cfr. *Obituarium Ecclesiae S. Michaelis Antwerpiae*, in *Inscriptions funéraires et monumentales de la Province d'Anvers, Arrondissement d'Anvers*, 4me vol., le partie, Anvers, 1859, p. 153; GOOVAERTS, I, 143-145.

[12]) Vide supra p. 11, notam 18.

[13]) Vide supra p. 11, notam 10. Dominicus Löhr vices tenuit Augustini Bonenmayer, abbatis Steingadensis et vicarii abbatis generalis pro circaria Bavarica, eo quod iste infirmitate impar factus fuit iter versus capitulum generale aggrediendi. Circa problemata quae obviam habuit durante periodo vicariatus sui suum vicem gerentem per litteras plane

R.D. Claudius L'Etendart, abbas Vallis Secretae[14]).

R.D. Ioannes Fraisinne, abbas Wesaliae et Knechtstedii et Sancti Gerlaci praepositus[15]).

instruxit (Archivum abbatiae Wiltinensis, *Lade* 7, G. 1). Cfr. J.B. VALVEKENS, *Litterae Abbatis Steingadensis Augustini Bonenmayer, abbati Wiltinensi, Dominico Löhr, relate ad capitulum generale anni 1660*, in *An. Praem.*, XLVI, 1970, p. 143-147.

[14]) Vide supra p. 11, notam 9.

[15]) Scriba Gregorius du Crocq sequentem glossam hic inseruit: «c'est ny estoit chassé du premier par les hérétiques et n'estoit pas paisible possesseur du second et ne residoit point dans le troisième lieu et mourut a Premonstré peu après le chapitre et y repose.»

Breviter hic in memoriam revocatur prioratum virorum, sororum conventu suppresso, in Vesaliensi oppido a Ioanne Roberti, abbate Floreffiensi ac circariae Westphaliae visitatore, erectum fuisse cui sodalem canoniae Floreffiensis, Ioannem Fraisinne, praefecit approbante abbate generali Petro Gosset (cfr. *Mandatum abbatis generalis pro immutatione parthenonsis Vesaliae in virile monasterium*, 1626, 7 octobris, HUGO, Probationes, II, col. DCLXXIV-DCLXXV). Ardens ac immaturus zelus prioris Fraisinne in tuenda vel instauranda doctrina catholica praelatis circariae Westphaliae minime placuit et contra Fraisinne ad capitulum generale recursum fecerunt. Capitulum vero generale anni 1627 actionem abbatis Roberti et prioris Fraisinne laudavit dum praelatos Westphaliae reprobavit (Acta cap. gen., IV, 133-134). Imo, per decretum diei 7 decembris 1627, abbas generalis prioratum Vesaliensem ad gradum abbatiae ac priorem Fraisinne ad dignitatem abbatialem evexit (HUGO, Probationes, II, col. DCLXXVIII-DCLXXX), qui et benedictionem abbatialem a nuntio apostolico Petro Aloysio Caraffa accepit. Anno 1629 ab irruentibus militibus Hollandicis monasterium Vesaliense dirutum ac Ioannes Fraisinne captus et in carcere detentus est. Cfr. HUGO, Annales, II, col. 1068-1072; V. BARBIER, *Histoire de l'abbaye de Floreffe*, p. 334-338; F.W. SAAL, *Die Abtei Knechtsteden*, p. 46-50. Capitulum generale anni 1630 contra praelatos Westphaliae asseruit erectionem abbatiae Vesaliensis valide factam fuisse ac proinde abbatem non sine sua culpa destitui posse (Acta cap. gen., IV, 149, 152-153).

E carcere ereptus, Fraisinne 16 martii 1632, rogante abbate generali Gosset, in praepositum monasterii sororum S. Gerlaci in Houthem electus fuit.

Demum post depositionem abbatis Knechtstedensis, Leonardi Teveren, (Acta cap. gen., V, 1657, nº 206) cum conventus Knechtstedensis ad novam electionem procedere renuisset, Ioannes Fraisinne, auctoritate abbatis generalis le Scellier abbas nominatus, die 2 februarii 1658 vi introductus fuit, Leonardo Teveren contra sententiam capituli generalis coram tribunali S. Sedis appellante. Interim, iura abbatialia sibi vindicans, Leonardus Teveren ad capitulum provinciale Westphaliae anni 1659 recursum instituit contra Fraisinne qui, tamquam abbas Knechtstedensis, ad praedictum capitulum convocatus fuerat (Cap. prov. Westphaliae, p. 58).

Per sententiam Romanam diei 14 martii 1660 tam Teveren quam Fraisinne usque ad sententiam definitivam iurisdictione abbatiali orbati sunt ac regimen canoniae Knechtstedensis interim nuntio apostolico Coloniensi tamquam administratori commissum est. Ioannes Fraisinne insuper censura excommunicationis punitus, fugaciter abbatiam Knechtstedensem reliquit ac in monasterio S. Gerlaci breviter regressus Praemonstratum petiit ut capitulo generali anni 1660 interesset. Cfr. F.W. SAAL, *Die Abtei Knechtsteden* ..., p. 82.

Ex aerumnis passis et praesertim ex censura Romana correptus, Praemonstrati aegrotavit ac die 17a maii 1660 ibidem obiit ubi et sepultus fuit. Cfr. R. VAN WAEFELGHEM, *L'obituaire de l'Abbaye de Prémontré*, Louvain, 1913, p. 111.

Affirmat F.W. SAAL (*Die Abtei Knechtsteden* ..., p. 84) Ioannem Fraisinne titulo

R.D. Ioannes Raulet, abbas Heylissemensis[16]).

R.D. Perpetuus Noizet, abbas Iveldiae et Leffiae[17]).

R.D. Antonius Jamart, abbas Belli Reditus in Leodio[18]).

R.D. Aegidius Janssen, abbas Postellanus[19]).

R.D. Carolus de Velasco, abbas Grimbergensis[20]).

R.D. Ioannes de Neve, abbas Ninivensis[21]).

R.D. Nicolaus Guinet, abbas S. Mariae Mussipontanae, de Communitate antiqui rigoris[22]).

R.D. Edmundus Sauvage, abbas Bucillii, de eadem antiqui rigoris Communitate[23]).

R.D. Franciscus de la Fosse, abbas Corneoli[24]).

praepositi S. Gerlaci ad capitulum generale admissum fuisse. Attamen non tantum in hoc elencho capitulantium praesentium sed et in actis (infra n° 153) a capitulo generali ut legitimus abbas Knechtstedensis habitus est «donec et quousque aliter per Sedem Apostolicam fuerit ordinatum». In necrologio abbatiae Floreffiensis Ioannes Fraisinne inscribitur uti abbas Wesaliensis ac praepositus S. Gerlaci, non vero uti abbas Knechtstedensis. J. BARBIER, *Nécrologe de l'abbaye de Floreffe* (Analectes pour servir à l'histoire ecclésiastique de Belgique, XIII), 1876, p. 198-201. Nomen suum etiam deest in elencho abbatum canoniae Knechtstedensis apud HUGO, Annales, II, col. 12 et BACKMUND, I, 223.

[16]) Jean Rawletz (Rauweletz, Rauletz) abbatiam Heylissemensem rexit ab anno 1646 usque ad obitum suum anno 1661. M. KOYEN, *Abbaye de Heylissem à Opheylissem*, in *Monasticon belge*, tom. IV, vol. III, p. 765.

[17]) Vide supra p. 15, notam 51. Post suppressionem nonnullorum monasteriorum ordinis Praemonstratensis in Germania, hisce temporibus mos invaluit titulum abbatialem concedendi, cum privilegiis annexis, cuidam abbati qui domum relictam recuperaret vel, si hoc impossibile evaderet, tantum ius ad pontificalia adipisceretur. Abbas Leffiensis, sedente capitulo generali anni 1657, iura abbatialia in canonia Iveldiae (= Ilfeld, monasterium in montibus Harz situm) acquisivit. BACKMUND, I, 138.

[18]) Antonius Jamart, S. Theologiae doctor, canoniae Belli Reditus (= Beaurepart, Liège) annis 1657-1663 praefuit. U. BERLIERE, *Monasticon belge*, t. II, 1929, p. 233.

[19]) Aegidius Janssen regimen abbatiale canoniae Postulanae (= Postel prope Retie in Belgio) assumpsit 24 Iulii 1650, quod demisit anno 1679. Th.I. WELVAARTS, *Postel's Biografisch Woordenboek*, Brussel, 1892, p. 141-145.

[20]) Carolus Fernandez de Velasco abbas electus exeunte 1647 canoniam Grimbergensem laudabiliter rexit usque ad obitum suum die 13 octobris 1665. N. WEYNS, *Abbaye de Grimbergen* in *Monasticon belge*, tom. IV, vol III, p. 740-741.

[21]) Ioannes de Neve, abbas Ninivensis (= Ninove, Belgium) factus est die 7a septembris 1657. Obiit die 4 martii 1685. G. MERSCH et I. WAUTHEZ-GLADE, *Abbaye de Ninove*, in *Monasticon belge*, tom. VII, vol. III, 1980, p. 531.

[22]) Vide supra p. 10, notam 5.

[23]) Vide supra notam 11, p. 11.

[24]) Franciscus de la Fosse, abbas Corneolensis (= Corneux), in Burgundia (départ. de la Haute Saône), dioecesis Bisuntinensis (= Besançon), ab anno 1641 canoniae praefuit de cuius aggregatione Communitati antiqui rigoris O. Praem. cum antesignanis huiusmodi Communitatis iamiam convenerat. In decursu praesentis capituli generalis munus abbatiale resignavit.

R.D. Ioannes a Dillen, praepositus Hinsbergensis[25]).

R.D. Ioannes Luckenrath, prior Marensis, Circariae Westphaliae, a Westphalia deputatus[26]).

R.D. Ludovicus Soppite, abbas Albae Curiae[27]).

R. Pater Norbertus Caillieu, prior Praemonstratensis et Collegii Parisiensis, Vicarius Angliae[28]).

R.P. Franciscus Martin, prior Belli Portus, Vicarius Normanniae[29]).

R.P. Iosephus Rudelle, prior Capellae juxta Tolosam, Vicarius Gasconiae[30]).

R.P. Nicolaus le Mixte, prior Montis Sancti Martini[31]).

R.P. Claudius Faure, S.T. Baccalaureus, prior Branensis[32]).

R.P. Antonius la Faux, Baccalaureus, prior Perrodii Novi[33]).

R.P. Macarius Simeomo, Vicarius Virginum Antwerpiensium[34]).

[25]) Ioannes Dillen, professus Knechtstedensis, ex abbate Schedensi (= Scheda) praepositus Hinsbergensis (= Heinsberg) factus est (1639-1675). Curriculum vitae fuse exponitur apud F.W. SAAL, *Die Abtei Knechtsteden* ..., p. 69-74.

[26]) Postquam praeses scholarium in Collegio Praemonstratensi Coloniae Agrippinae (= Köln) fuerat, et breviter, annis nempe 1660-1661, parthenoni nobili de Meer (Neuss-Grevenbroich) praefuit, demum in abbatem Steinfeldensem electus est. Cfr. N. REINARTZ, *Johann Luckenrath, abt von Steinfeld 1661-1680*, Euskirchen, 1941.

[27]) Ludovicus Soppite, abbas Albae Curiae (= Abbecourt), 1617-1661, BACKMUND, II, 543, in capitulo generali anni 1633 syndicus et procurator generalis Ordinis in Franciae ditionibus et locis Christianissimo Regi subiectis apud Parlamentum Parisiense (Acta Cap. Gen., IV, p. 198), uti moris erat hoc officium demisit sedente capitulo generali 1657 (Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 2).

[28]) Norbertus Caillieu seniori priori Adriano Gosset tamquam prior Praemonstratensis archicoenobii successit, postquam antea Collegio Praemonstratensi Parisiensi praefuit. Vide supra notam 26, p. 12.

[29]) Iam aderat hic prior Belli portus (= Beauport) in adunatione Capituli generalis anni 1657. Vide supra p. 13. In praesenti Capitulo vicarius Normanniae constitutus fuit. Acta Cap. Gen. V, 1657, n. 182.

[30]) Vide supra Acta Cap. Gen., V, 1657, numeros 162 et 183.

[31]) Mont-St. Martin, départ. de l'Aisne, dioecesis Suessionensis (= Soissons), BACKMUND, II, 417-420.

[32]) Commemoratio prioris Claudii Faure non inserta invenitur in obituario ecclesiae Sancti Evodii Branensis (= Saint Yved de Braine), sed nomen eius ad diem 6 Iunii 1671 citatur quando pius obitus patris praedicti prioris inscribitur. Cfr. E. BROUETTE, *Obituaire de l'abbaye de Saint-Yved de Braine*, in An. Praem., 34, 1958, 299. In indice huius editionis (*An. Praem.*, 35, 1959, 85) erronee remittitur ad diem 5 Ianuarii.

[33]) Antonius de la Faux, professus archicoenobii Praemonstratensis, prior Abbatiae Perrodii Novi (= Le Perray Neuf), cuius sedes abbatialis in commenda detinebatur ab Augustino de Servient (BACKMUND, III, 28-30). Obiit Antonius de la Faux die 5 octobris 1678 (R. VAN WAEFELGHEM, *L'obituaire de prémontré*, p. 193).

[34]) Macarius Simeomo, ex genitoribus italicis anno 1616 Antverpiae natus, abbatiam S. Michaëlis eiusdem civitatis ingressus est, ubi, post adeptam Lovanio S. Theologiae Licentiam, huius disciplinae lector constitutus fuit dum pari tempore curam egit de «domo SSmi Sacramenti». Ibi sorores praemonstratenses ex Oosterhout (Brabantia septentrionali,

R.P. Georgius van Wemmele, nuper prior in Neustift prope Frisingam[35]).

R.P. Paulus van Dale, prior Grimbergensis[36]).

R.P. Carolus Cogen, lector Parcensis[37]).

R.P. Samson Dolé, prior Dei Loci[38]).

R.P. Antonius Hardy, prior Vallis Gaudii[39]).

R.P. Bernardus Simonet, prior Septem Fontium[40]).

BACKMUND, II, 326-329) refugium invenerunt, dum abbas S. Michaëlis, Norbertus van Couwerven, agente praesertim Macario Simeomo, adlaboraret ut iurisdictioni eius, tamquam patris-abbatis, subicerentur. Cfr. A. ERENS, *De stichting van het Allerheiligste-Sacramentshuis, norbertinessenklooster te Antwerpen*, in *An. Praem.* 6, 1960, 102-143. Titulus qui Macario Simeomo datur — vicarii — figuram iuridicam Macarii exprimit qui vices gerebat praepositi Vallis Sanctae Catharinae qui in Oosterhout remanserat. Quandoque titulus ei dabatur 'primi confessarii' (P. GENARD, *Inschriften*, p. 174) et 'praepositi monialium' (*Obituarium S. Michaelis*, ibidem, p. 142).

Anno 1663 Simeomo regimen abbatiale S. Michaëlis Antverpiensis assumpsit. Cfr. GOOVAERTS, I, 182-184; P. BERGMANS, *Simeomo* in *Biographie Nationale*, tom. 22, col. 517-518.

[35]) Georgius van Wemmel, professus Grimbergensis, anno 1659 auctoritate abbatis generalis ad subsidium regularis disciplinae ad canoniam Novae Cellae (= Neustift propre Freising in Bavaria) missus, pauco post ad propria remissus fuit ab abbate Urspergensi (= Ursperg), Matthaeo Höchenrieder, quia uti explorator abbatis generalis proprio Bavarico vivendi modo minari videbatur. Contra talem agendi modum ad capitulum generale recursum habuit. Vide infra Acta numeros 93, 131, 251-252.

Cfr. GOOVAERTS, II, 329; N. BACKMUND, *Professbücher Oberbayerischer Prämonstratensern*, 1. Teil: Neustift, in: *Deutingers Beiträgen*, 33, 1981, p. 88; J.B. VALVEKENS, *Litterae abbatis Steingadensis Augustini Bonenmayer abbati Wiltinensi relate ad capitulum generale anni 1660*, in *An. Praem.*, 46, 1970, p. 146, nota 8.

[36]) Paulus Fredericus Van den Daele (1624-1673), professus Grimbergensis, socius Georgii van Wemmel. *Necrologium Grimbergense*, Archivum abbatiae Grimbergensis cl. II, 26 et 27.

[37]) Carolus Coghen, professus Parcensis, praeses Collegii Praemonstratensis Lovanio, S. Theologiae licentiatus (1663), provisor canoniae, parochus in Werchter (1675), obiit 1678. Cfr. *Nécrologe de l'abbaye du Parc*, ed. Raphaël VAN WAEFELGHEM, Bruxellis, s.d. p. 393.

[38]) Samson Dolé, professus archicoenobii Praemonstratensis, prior claustralis in Dilot, vide supra Acta Cap. Gen., V, 1657, notam 365.

[39]) Antonius Hardy, professus Praemonstratensis, vide supra p. 17 notam 84. Orationem inauguralem huius capituli generalis anni 1660 pronuntiavit de unitate in ordine servanda. Cfr. Acta n° 1.

[40]) Bernardus Simonet, professus archicoenobii Praemonstratensis, prior claustralis abbatiae Septem Fontium. Obituarium archicoenobii tantum refert officium quod Simonet tempore obitus sui exercuit: inde a die 9 novembris 1675, prior claustralis erat Thenoliensis (= Thenailles, propre Vervins, Aisne, BACKMUND, II, 400-401), Cfr. *L'obituaire de l'abbaye de Prémontré*, p. 217. Deest hucusque elenchus priorum claustralium canoniae Septem-Fontium in Therascia (Septfontaine en Thiérache, BACKMUND, II, 398-399). In elencho priorum canoniae Septem-Fontium in Burgundia, adest lacuna pro anno 1660. Cfr. ROUSSEL, *L'abbaye de Septfontaine en Bassigny*, in *An. Praem.*, 20, 1944, 71. Inde non patet cuiusnam canoniae Bernardus Simonet erat prior.

R.P. Ioannes Baptista Serrier, prior Blanchelandae[41]).

R.P. Stephanus Binet, prior Stellae[42]).

R.P. Ludovicus Dupuys, prior Sancti Petri Selincurtensis[43]).

R.P. Martinus Ganneron, prior Camerae Fontis[44]).

R.P. Ioannes Freture, prior Heylissemensis[45]).

R.P. Maternus Clairbois, supprior et magister novitiorum monasterii Grimbergensis[46]).

R.P. Gerardus Channe, prior Loci Restaurati[47]).

R.P. Claudius Mitenne, prior Corneolensis[48]).

R.P. Godefridus de Heest, lector Floreffiensis[49]).

R.P. Petrus du Jardin, prior Castri Mauretaniae a Praelato deputatus[50]).

R.P. Petrus Gallot, prior Thenoliensis[51]).

[41]) Abbatia Blanchelandae (= Blanchelande) in dioecesi Cosediae (= Coutances). BACKMUND, II, 18-20.

[42]) Stephanus Binet, prior Stellae (= L'Étoile) départ. Loir-et-Cher, dioecesis Carnotensis (= Chartres). BACKMUND, III, 20-23.

[43]) Ludovicus Dupuis, prior claustralis Sancti Petri Selincurtensis (= Sélincourt) départ. Somme, dioecesis Ambianensis (= Amiens). BACKMUND, II, 566-567.

[44]) Martinus Canneron, prior claustralis abbatiae commendatae Camerae Fontis (= Chambrefontaine), départ. Seine-et-Marne, dioecesis Meldensis (= Meaux). BACKMUND, II, 487-489.

[45]) Personalia huius prioris hucusque nos latent. Abbatia Heylissemensis (= Opheylissem vel gallice Hélécine) sita erat in confinibus Brabantiae. Cfr. M. KOYEN, *Abbaye de Heylissem à Opheylissem* in Monasticon belge, tom. IV, vol. III, p. 747 et ss.

[46]) Maternus Clerbois (Clairbois), natus Namurci 4 Iunii 1619, professus Grimbergensis, per tres annos Romae studiis incumbebat degens in collegio S. Norberti (AAT, Coll. Rom., reg. n°, fol. 14r°), dein Lovanio S. Theologiae licentiatus factus est. Fuit supprior, lector, magister novitiorum et tandem prior. Obiit 15 maii 1676. Archivum Abbatiae Grimbergensis, cl. II, 26 et 27 et VI, 104.

[47]) Lieu-Restauré, départ. Oise, dioecesis Bellovacensis (= Beauvais) BACKMUND, II, 513.

[48]) Claudius Mitaine, post cessionem abbatis Francisci de la Fosse, regimen abbatiae Corneolensis (= Corneux) assumpsit eamque rexit usque ad annum 1662. BACKMUND, I, 456-458.

[49]) Christophorus de Heest, ex Montibus Hannoniae (Mons, Hainaut) professus Floreffiensis, baccalaureus S. Theologiae 22 novembris 1656, abbas Floreffiensis 1677-1686. Cfr. V. BARBIER, *Histoire de l'abbaye de Floreffe, de l'ordre de Prémontré*, I², Namur, 1892, p. 370, 382-390. Praenomen in Actis recensitum erronee refertur.

[50]) Prior Castri Mauritaniae (= Chateaudieu, prope St. Amand-les-Eaux, départ. Nord, dioecesis Cameracensis) deputatus fuit ab abbate Michaele Roguet (1656-1675). BACKMUND, II, 408.

[51]) Prior claustralis abbatiae Thenoliae (= Thenailles, départ. Aisne, dioecesis Suessionensis = Soissons) quae in commendam data erat Clementi Boucher (1624-1661). BACKMUND, II, 402.

R.P. Siardus Smets, provisor Tongerloensis[52]).

R.P. Ambrosius Tielens, lector Collegii Lovaniensis[53]).

R.P. Godefridus du Hasé, cellarius Postellanus[54]).

R.P. Jacobus de la Tour, supprior Belli Reditus et S. Theol. lector[55]).

R.P. Bernardus Maillot, Casae Dei religiosus, pastor de Tabaux[56]).

R.P. Philippus Champagne, religiosus Ninivensis[57]).

R.P. Nicolaus Serval, prior Sancti Gilberti[58]).

R.P. Simon Aneline, prior curatus de Cortery.

(777) R.P. Claudius Lesquier, Decretorum Doctor et prior S. Ioannis Ambianensis[59]).

R.P. Ioannes de Villers, S. Iusti prior[60]).

R.P. Petrus Patissier, prior Hermeriarum[61]).

[52]) Augustinus Wichmans, abbas Tongerloënsis, in litteris excusationis datis Mechliniae 14a Aprilis 1660, suos deputatos, Siardum de Smet et Ambrosium Tilens, per viam compromissi a sodalibus canoniae electos (AAT, IV, 53, n° 40), praesentat (AAT, IV, 86, n° 52). Ipse ob provectiorem aetatem et infirmam valetudinem iter arripere non potuit.

Siardus de Smet, quem Acta erronee SMETS appellant, 1634-1641 Romae provisor Collegii S. Norberti, postea provisor in Tongerlo (1642-1644), Roma tamquam visitator regressus, ibidem, post inopinatum decessum praesidis Ioannis Coomans, et ipse, anno 1644, praeses Collegii factus est (AAT. Coll. Rom., reg. n° 3, fol. 7v°). Anno 1646 iterum provisor Tongerloae factus, hoc officium usque ad obitum anno 1662 laudabiliter explevit. Cfr. W. VAN SPILBEECK, *Necrologium Abbatiae B.M.V. de Tongerlo*, Lier, 1902, p. 77; GOOVAERTS, I, 180.

[53]) Ambrosius Tielens, (ipse semper scribit Tilens) professus Tongerloënsis, lector in Collegio Praemonstratensi Lovanio, S. Theologiae licentiatus, pastor in Waalwijk (1663-1669), praeses Collegii Praemonstratensis Lovanio (1670-1687), obiit 14 februarii 1697. *Necrologium ... Tongerlo*, p. 31-32; GOOVAERTS, II, 247.

[54]) Godefridus de Haze (Acta erronee scribunt du Hazé), professus Postellensis, cellarius et supprior (1650), parochus in Postel (1660). Cfr. Th.Ign. WELVAARTS, *Postel's Biographische Woordenboek*, Brussel, 1892, p. 118.

[55]) Socius abbatis Antonii Jamart, Belli Reditus in Leodio (= Liège) praelati.

[56]) Tabaux fuit paroecia incorporata prioratui Vic-Fezensac ab abbatia Casae Dei (La Casedieu) dependenti, BACKMUND, III, 172-203. Cfr. Acta n° 155.

[57]) Socius abbatis Ninovensis (= Ninove) Ioannis de Neve.

[58]) Prior claustralis abbatiae de Neuffontaines quam Jacobus du Croc in commenda detenuit. Cfr. BACKMUND, III, 153.

[59]) Claudius Lesquier (Lesquiere, Lesguire, Lesquiers) professus abbatiae S. Ioannis Ambianensis (= Amiens), anno 1631 fuit magister novitiorum in canonia S. Martini Laudunensis (cfr. *Annales de l'abbaye de Saint-Jean d'Amiens réunies et classées par le R.P. Maurice du Pré* ... publiées avec additions par A. JANVIER et Ch. BREARD, Amiens, 1899, p. 190), anno 1634 fuit supprior in canonia professionis suae (AAT, Arch. S. Michaëlis Antverpiae, reg. n° 3, fol. 58r°), demum prior factus, licentiatus S. Theologiae (Acta Cap. Gen., V, 1657, p. 13).

[60]) Prior claustralis abbatiae S. Justi (= Saint-Just-en-Chaussée) dioecesis Bellovacensis (= Beauvais), sub abbate commendatario Antonio de Neuville. BACKMUND, II, 564-565.

[61]) Petrus Patissier, professus abbatiae Branensis (= St.-Yved de Braine) (cfr.

R.P. Ioannes Mereau, S. Th. Baccalaureus et prior Sancti Pauli Senonensis[62]).

R.P. Basilius Liegault, Communitatis antiqui rigoris, S. Th. Licentiatus, prior Sancti Martini Laudunensis[63]).

R.P. Petrus Thienville, prior Sancti Pauli Virdunensis, de Communitate antiqui rigoris, ab eadem deputatus[64]).

R.P. Gregorius du Crocq, prior Dei Loci in Iardo[65]).

R.P. Claudius Caillieu, Carthovorensis prior[66]).

R.P. Franciscus Tronel, supprior et provisor Insulae Dei[67]).

R.P. Ioannes Fossier, deputatus a priore et Conventu S. Mariani[68]).

GOOVAERTS, II, 19) prior Hermeriarum (= Hermières) dioecesis Meldensis (= Meaux) sub commendatario Iacobo Carolo Amelot. BACKMUND, II, 506-507.

[62]) Ioannes Mereau prior claustralis S. Pauli Senonensis (= Sens) sub abbate regulari Claudio Duchat (cfr. BACKMUND, II, 531, III, 629). Ioannes Mereau ex gratia remissionem obtinuit poenae ei ab abbate generali iniunctae ob delictum commissum in apparitorem regalem Meldensem. Vide Acta Cap. Gen., V, 1657, nn. 167, 171, 220.

[63]) Basilius Liégault, professus Communitatis Antiqui Rigoris, prior claustralis abbatiae commendatae S. Martini Laudunensis, iam aderat capitulo generali anni 1657 (cfr. supra p. 12, notam 28.) Sedente illo capitulo, Augustinus Guillard, vicarius praedictae Communitatis, sese opposuit promotioni Liégault ad gradum doctoratus in S. Theologia, eo quod de eius fidelitate in observandis articulis Reformationis dubitavit. Acta Cap. Gen. V, 1657, nn. 195-198.

[64]) Petrus Thienville partes non minimas egit in constituenda Communitate Antiqui Rigoris. Abbas factus Mussipontanus (= Pont-à-Mousson) anno 1643, postea, anno 1653, deposita abbatiali dignitate, variis in abbatiis Reformationi Lairuelianae adscriptis varia officia exercuit. Anno 1657 uti prior claustralis ad canoniam Stagni (= L'Etanche) regressus est (DUMONT, *Histoire des monastères de l'Etanche et de Benoiteveau*, Nancy, 1853, p. 204). Anno sequenti 1658 in capitulo Communitatis Antiqui Rigoris electus est prior abbatiae S. Pauli Virdunensis (= Verdun). Nancy, Bib. mun., ms. 994, fol. 295r°. Vide etiam supra p. 12, notam 29.

[65]) Gregorius du Crocq, professus archicoenobii, bene notus secretarius huius capituli generalis, prior claustralis abbatiae commendatae Dei-Loci-in-Iardo (= Lieu-Dieu-en-Jard) dioecesis Pictaviensis (Poitiers) factus est postquam ibi anno 1659 visitandi ac reformandi causa visitationem canonicam peregit, modo potius violenti, quem HUGO, *Annales*, *II*, col. 68-72, improbat.

In editione obituarii abbatiae Praemonstratensis, R. Van Waefelghem (*Obituaire de l'abbaye de Prémontré*, p. 273) erronee asserit du Crocq priorem fuisse abbatiae Dei-Loci (= Dilot).

[66]) Claude Caillieu, professus archicoenobii Praemonstratensis, iam aderat capitulo generali anni 1657 uti prior claustralis abbatiae Carthovorensis (= La Chartreuve), dioecesis Suessionensis (= Soissons) in commendam datae Carolo de Bourbon. BACKMUND, II, 493. Obiit 8 Aprilis 1668, *Obituaire de l'abbaye de Prémontré*, p. 85.

[67]) Insula Dei (= Isledieu), dioecesis Ebroicensis (= Evreux) BACKMUND, III, 43-44.

[68]) Ioannes Fossier, prior claustralis abbatiae S. Mariani Altissiodorensis (= Auxerre), dioecesis Senonensis (= Sens) in commendam datae Henrico Jannin de Castille. BACKMUND, II, 475.

R.P. Dominicus Butor, prior Lisquensis[69]).
R.P. Claudius de la Rüe, a conventu Viconiensi deputatus[70]).
R.fr. Raphael, Nicodemus et Matthias Navant, Viconienses[71]).

[1] Die vigesima quinta mensis Aprilis anni millesimi sexcentesimi sexagesimi, cum Reverendissimus Dominus Praemonstratensis pararet se ad solemne Sacrum pro Capitulo Generali inchoando celebrandum incidit in morbum[72]) quo impeditus commisit Rev. admodum D. Cuissiacensi vices suas. Missa autem solemni absoluta, itum est ad aulam Capituli Generalis, et dicto per R.D. Floreffiensem Veni Creator, et finito per Capitulares hymno, orationem latinam de servanda Ordinis unitate habuit R. Pater Antonius Hardy, prior Gaudii Vallis.

[2] Post prandium, hora circiter secunda, Revmo Domino Generali suis doloribus adhuc retento, et ad aulam capitularem ascendere nequeunte, RR. DD. Abbates et alii omnes capitulares philosophicis disputationibus Capitulo Generali inscriptis interfuerunt, et scholares suis doctis argumentationibus ad studia animare non detrectaverunt.

Die vero vigesima sexta Aprilis celebrato summo atque capitulari sacro, per Revmum Dom. Praemonstratensem praemonitum, datum est initium capitulo Generali per Revmum Dom. Praemonstratensem et facta est 2a sessio (sic!).

Sessio prima. Die 26 Aprilis 1660. De Mane

[3] Reverendissimus Dom. Praemonstratensis et generalis in Capella

[69]) Dominicus Butor, prior abbatiae Lisquensis (= Licques) dioecesis Bononiensis (= Boulogne) in commendam datae Gilberto de Clérembault de Palluau. BACKMUND, II, 413-416.

[70]) Claudius de la Rue postea factus est abbas canoniae Viconiensis (= Vicogne, dioecesis Cameracensis = Cambrai) quam rexit ab anno 1660 usque ad annum 1677. BACKMUND, II, 437.

Ad praesens capitulum generale deputatus fuit a conventu Viconiensi ut ageret contra Matthiam Navante, nepotem abbatis Christophori Labbe defuncti, cui abbas, ante mortem, promotionem ad dignitatem prioris promiserat. Vide infra Acta n° 76.

[71]) Matthias Navante, nepos abbatis Christophori Labbe defuncti, a commissariis, idoneitatem exquirentibus, indignus iudicatus fuit quominus officium prioris, quod abbas Christophorus ei promiserat, assumeret. Vide infra Acta n° 76.

[72]) Aegritudo abbatis generalis Augustini le Scellier probabiliter ex podagra proveniebat. Vide *Summarium actorum in capitulo generali anno 1657*, conscriptum a Ioanne Luckenrath, tunc temporis praeses Scholarium in collegio Praemonstratensi Coloniae. Nancy, Bib. mun. ms. 994, fol. 282r°.

Definitorii incepti: *Veni Creator*, et eo per Capitulares in genua provolutos absoluto sedit, et ad obedientiam admisit admodum R.D. Carolum de Severy, abbatem Floreffiensem[73]) et tertium Ordinis patrem; R.D. Nicolaum Ledé, abbatem St. Andreae in Nemore; R.D. Libertum de Pape, abbatem Parcensem; R.D. Augustinum de Felleries, abbatem Bonae Spei; R.D. Godefridum de Courteville, abbatem S. Nicolai Furnensis; R.D. Norbertum van Couwerven, abbatem S. Michaelis Antverpiensis; R.D. Ioannem Raulet, abbatem Heylissemensem; R.D. Antonium Jamart, abbatem Belli Reditus; R.D. Carolum de Velasco, abbatem Grimbergensem; R.D. Ioannem de Neve, abbatem Ninivensem; R.D. Aegidium Janssen, abbatem Postellensem; Vener. P. Ioannem Luckenrath, priorem Marensem, qui, uti a Circaria Westphaliae, Iveldiae et Wadegotiae deputatus, promisit, uti suprascripti, Revmo P. Generali et Capitulo Generali obedientiam et reverentiam; Ven. P. Iosephum Rudelle, qui uti a Circaria Gasconiae deputatus, similiter promisit obedientiam et reverentiam.

Caeteri RR. DD. Abbates et praelati hac vice non promiserunt obedientiam et reverentiam, utpote qui alias eam promiserant. R. autem D. Franciscum de la Fosse, abbatem Corneolensem, ad obedientiam sese offerentem et accedentem Revmus D. Generalis non admisit[74]).

[4] Item, quia Capitulo Generali non intererat abbas Sancti Martini Laudunensis, secundus Ordinis Pater,[75]) Revmus Dom. Generalis pro prudenter a se assumendis Diffinitoribus elegit consiliarios, videlicet RR. DD. Abbates Sancti Michaelis Antverpiensis, Parcensem, Sancti Andreae in Nemore, Furnensem, Sorethanum, Dommartinensem, Vallis Serenae et Bonae Spei et de consilio RR. admodum DD. Floreffiensis et Cuissiacensis, et aliorum praedictorum assumpsit et assumptos declaravit in Diffinitores Capituli Generalis praeter RR. DD. Floreffiensem et Cuissiacensem Abbates S. Andreae in Nemore, Parcensem, Bonae Spei, Dominimartinensem, Vallis Serenae, S. Michaelis Antwerpiensis, Furnensem, Sorethanum, Wilthinensem, S. Mariae Mussipontanae,

[73]) Abbates circariarum Floreffiae, Flandriae ac Brabantiae sub dominatione Regis Hispaniae existentes, a gubernio anno 1657 impediti fuerant quominus capitulo generali Praemonstrati interessent. Idcirco nunc prima vice coram capitulo generali oboedientiam promiserunt. Vide Acta Cap. Gen., V, 1657, p. 15, notam 51.

[74]) Franciscus La Fosse, abbas Corneolensis antea cum Communitate Antiqui Rigoris pactum iniit de cedendo regimine canoniae. Hinc abbas generalis La Fosse ad oboedientiam recipere renuit. Vide infra Acta nn. 166, 188.

[75]) Glossa secretarii du Crocq: *l'abbaye estoit tenuë en commende par le cardinal Mazarin.*

Heylissemensem et Ven. Patrem Norbertum Callieu S. Theologiae Doctorem, Ecclesiae Praemonstratensis Priorem.

Qui omnes et singuli ante altare provoluti, Revmo Domino Generali et ordini promiserunt et iurarunt fidelitatem et vitae regularis pro suo posse incrementum spoponderunt; et e cappela egressi, mensae Capitulari primi assiderunt et post eos reliqui Abbates et Praelati.

Postmodum in talliarum collectores nominavit: Venerabiles Priores Branensem et sancti Petri Selincurtensis, quibus etiam data est potestas computum expensarum praesentis Capituli Provisori Praemonstratensi faciendi, quemlibet taxandi, et dicto Provisori satisfaciendi et fidelitatem iurarunt.

Excusationes absentium examinaturi et indicaturi nominati sunt RR. DD. Sorethanus, Vallis Serenae, et Ninivensis, qui fidelitatem iurarunt.

Orationum participationes concedendi, benemeritis data est potestas R.D. Abbati S. Mariae Mussipontanae et vener. Patri Adriano Gossetio, priori seniori Praemonstratensi[76]).

In secretarium Capituli nominatus est Fr. Gregorius du Crocq, prior Loci Dei in Iardo, qui fidelitatem et secretum promisit et iuravit. In notarios Capituli: Vener. P. Maternus Clairbois, supprior Grimbergensis, Vener. P. Alexius Bellecocq[77]) et vener. P. Ioannes Fostier, canonici Praemonstratensis[78]).

In examinatores sigillandorum RR. DD. Abbates Grimbergensis et Dommartinensis. In Sigillatorem: Ven. Pater Franciscus Buyrette, canonicus Praemonstratensis[79]).

In circatorem: Vener. Pater Antonius Lafaux, prior Perrodii novi.

In aulae capitularis portarios: Vener. P. Gerardus Channe, prior Loci Restaurati et Nicolaus Serval, prior S. Gilberti.

[5] Item, resignatae sunt commissiones Vicariatuum, Circatoratuum,

[76]) Adrianus Gosset, nepos abbatis Petri Gosset, quondam prior Praemonstratensis. Vide Acta Cap. Gen. V, 1657, p. 12, notam 23. Obiit 14 Ianuarii 1670, *Obituaire de Prémontré*, p. 29.

[77]) Alexius Bilcoq, pastor Genliacus (= Genly), *Oblituaire de Prémontré*, p. 58.

[78]) Nomen Ioannis Fostier, non invenitur in obituario archicoenobii Praemonstratensis.

[79]) Franciscus Buyrette, professus archicoenobii, anno 1662 secretarius abbatis generalis Augustini le Scellier ac a secretis capitulorum generalium annorum 1666 et 1670. Postea Romae tamquam procurator generalis egit, dein, ex provisione apostolica abbas Gendoriae (= Jandeures) dioecesis Virdunensis (BACKMUND, III, 78). Demum, annis 1681-1685, insimul abbas canoniarum S. Ioannis de Castella (= St. Jean-de-la-Castelle) (BACKMUND, III, 196) et Saranciae (= Sarance) (Ibidem, 196. Cfr. GOOVAERTS, I, 96).

et aliorum quorumcumque officiorum, et Revmus D. Generalis eas acceptavit, et absolvit, omnes suos et Capituli Generalis officiarios, vicarios, circatores, visitatores, procuratores, syndicos, commissarios, et quoscumque id genus obedientiarios et absolutos omnes et singulos in genere et in specie, nemine excepto absolutos ab officiis et obedientiis declaravit.

[6] Item, Capitulum a Secretario admonitum, quod Rev. Dominus Ludovicus Sopitte, abbas Albae Curiae, adhuc affirmat nomen Syndici Ordinis, etiamsi anno 1657 Capitulum Generale[80]) dicunt (780) Sopitte cum aliis Officiariis absolverit; declaravit eundem Soppite praesumere, nec eum Syndicum Ordinis esse; inhibens eidem sub poena Statutorum ne deinceps nomen Syndici Praemonstratensis Ordinis usurpare praetendat.

[7] Item, examinatae sunt deputationes, et ad deputationem Westphalicam et Sueviae dictum est, eas pro hac vice in ea qua sunt forma admitti, alias fieri debere capitulariter vel ab omnibus deputantibus subsignari.

[8] Item, quando ventum est ad examen deputationis ex parte Communitatis antiqui rigoris in persona RR. DD. Nicolai Guinet abbatis et Petri Thienville, senioris abbatis S. Mariae Mussipontanae, atque Edmundi Sauvage, abbatis Buciliensis factae, Capitulum in primis improbat nomen «Congegrationis» in deputatione positum, cum debeat vocari «communitas», et cum Revmus Dominus Generalis paucis exposuisset quomodo Patres dictae Communitatis non obstantibus decretis pontificiis, non desinant litibus vexare Ordinem et patres Capituli dixissent in eiusmodi deputationibus non inseri procuratoribus seu deputatis potestatem praestandi obedientiam Capitulo Generali, et decreta illius nomine Communitatis acceptandi, seu responsa Capituli ad suos principales referendi, diffinitum fuit, ut alia sessione, suo ordine, dicta deputatio a Secretario repraesentaretur examinanda.

[9] Item, Venerabilis Pater Thienville proposuit an non sit inconveniens quod Prior Praemonstratensis sit diffinitor, cum sit de eodem loco ac Reverendissimus Generalis et alias in Capitulo Generali diffinitum fuit, quod stabit sententia in ea parte in qua, in paritate suffragiorum erit dictus Reverendissimus; quod aequivalet ac si diceretur Reverendissimus in eo casu duo suffragia habiturus, et ita ex una et eadem domo

[80]) Deest hoc decretum relate ad usurpationem tituli syndici ex parte abbatis Soppite in Nancy, Bib. Mun., ms. 994, fol. 229v°.

Praemonstratensi erunt tria suffragia; et haec quaestio ad aliam sessionem, suo tempore, remissa est discutienda.

[10] Item, Rev. D. Parcensis rogavit diffiniri quinam ex praesentibus religiosis debeant remanere in aula Capitulari ut, ea diffinitione facta, excludantur caeteri, secundum Statuta, Dist. 4, cap. 1, n. 1,[81]) et maneant inter Capitulares secreta, quae in Capitulo Generali fuerit proposita. Capitulum diffinivit et diffinit quod in Capitulis Generalibus omnes Priores claustrales et deputati a Praelatis regularibus et Conventibus, non habentibus Abbatem regularem, quorum Prior non sit capitulo generali praesens, atque doctores et licentiati sedere debeant post Abbates et praelatos, alios vero religiosos particulariter excludendos (781), qui tamen per Capituli portarios, cum agitur de negotiis eorum, ad aulam capitularem accersentur. Item, decreto Revmi D. Generalis conclusa est prima sessio et indicta est alia ad horam secundam pomeridianam.

Sessio secunda pomeridiani diei vigesimae sextae Aprilis.

[11] Fusis precibus, et dicto per Revmum P. Generalem: *Benedicite*, et responso a Capitularibus: *Dominus*, ad propositionem Rev. Dom. Parcensis diffinivit Capitulum secreta tenenda quaecumque in Capitulis Generalibus tractantur donec ea capitulariter publicentur.

[12] Item, lecta est excusatio Patrum Bohemiae, in calce Capituli provincialis ipsorum posita[82]), et admissa est, sicut excusatio Patris Eligii Sorel, prioris S. Andrea Claromontensis[83]) et Alverniae vicarii generalis: admissa est etiam excusation Rev. Dom. Hylarionis Rampant,

[81]) Ad normam Statutorum (Dist. IV, cap. 1, n. 1) ad omnes sessiones capituli generalis admittebantur, praeter abbates et praelatos, etiam priores claustrales, deputati abbatum regularium ac deputati conventuum abbatem regularem non habentium, dummodo prior claustralis non esset praesens in capitulo generali. Vide Acta Cap. Gen., V, 1657, nn. 6,7.

Interpretando Statutum Dist. IV, cap. 4, n. 30 quo tantum abbati generali ac definitoribus vox decisiva tribuebatur, hoc suffragium deliberativum ad omnes abbates, coeteris capitularibus exclusis, extenditur. Attamen si duae tertiae partes suffragiorum non emissae fuerint in favorem decreti propositi, ad abbatem generalem cum definitoribus remittebatur solutio definitiva ut mentem suam aperiant cum maioritate absoluta votorum. Vide infra Acta nn. 15, 16. Cfr. etiam Acta Cap. Gen., V, 1657, nº 215.

[82]) Vide Cap. Prov. Bohemiae, anni 1659 Plagae (= Schlägl) celebratum, ubi in sessione 9a decretum fuit: «Visum capitulo pro hac vice mitti non posse aliquos deputatos ad illud, nam praeterquam quod monasteria non sufficiant ad exsolvendas expensas tantorum periculosorum itinerum, difficulter quoque Aula Caesarea licentiam impertiretur.»

[83]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, p. 11, notam 17.

abbatis Stivagiensis[84]), de Communitate antiqui rigoris, qui pro eadem Communitate authoritate Capituli Generalis visitanda in ultimo Capitulo Generali Circator nominatus est et factus.

Item, proponente R.D. Vallis Serenae, reiecta est excusatio fr. Francisci Broizet, superioris commissarii in monasterio Bellosannae[85]).

Item, eoden, R.D. Abbate et R.D. Sorethano proponentibus, reiecta est excusatio R.D. Ioannis Petri[86]), abbatis Bellelagiae; admissa autem R.D. Cellae Omnium Sanctorum[87]) excusatio.

[13] Item, proponente R.D. Domnimartinensi an postquam Vicarii, Visitatores et alii officiarii Ordinis fuerunt in Capitulo Generali ab officiis absoluti, debeant iuniores, qui ratione sui officii alios praecedebant, post huiusmodi factam absolutionem, dare locum honoratiorem senioribus, secundum ordinem fundationis Monasteriorum? Capitulum post longum quaestionis, tum coram omnibus Capitulantibus tum in Diffinitorio, eaque etiam postea coram iisdem Capitulantibus agitationem, censuit ad aliud tempus differendam.

[14] Item, secretario agente de contumacia eorum qui a postremo Capitulo abfuerunt, R.P. Petrus Gallot dixit se tunc per litteras excusasse, sed serius propter belli tumultus suas Praemonstratum advenisse litteras, et quod attinet ad Patres Hispaniae R.D. Furnensis dixit se notorio bello impeditum ne visitaret circariam Hyspaniae; et deductis aliquibus per R.D. Parcensem et per Capituli secretarium de lite in Curia Romana contra Circariam Hyspaniae obedire Capitulo Generali totius Ordinis reluctantem[88]), Capitulum diffinivit et diffinit et mandavit

[84]) Eligius Sorel, professus archicoenobii Praemonstratensis († 5 augusti 1684, *Obituaire de prémontré*, p. 156), prior Claustralis abbatiae Sancti Andreae Claromontensis (= Clermont, St. André), dioecesis Claromontensis (= Clermont-Ferrand), in commendam datae Henrico Ardier. BACKMUND, III, 148.

[85]) Abbatiae Bellosannae (= Bellosanne), départ. Seine-Maritime, dioecesis Rothomagensis (= Rouen), BACKMUND, III, 39-40.

[86]) Ioannes, Petrus Cuénat, abbas Bellelagiae (= Bellelay), 1637-1666 dioecesis Basiliensis in Helvetia. (BACKMUND, I, 456) cuius dexteritas in regendis possessionibus abbatiae laudatur in P.S. SAUCY, *Histoire de l'ancienne abbaye de Bellelay*, (Bibliothèque Jurassienne), 1958, p. 165-191.

[87]) Anastasius Schlecht, 1653 prior, anno 1657 abbas canoniae Cellae Omnium Sanctorum (= Allerheiligen) dioecesis Argentoratensis (=Strasbourg). BACKMUND, I, 49.

[88]) Causa *Toletana. Iuris visitandi* coram S. Congregatione Episcoporum et Regularium intentata fuit contra circariam Hispanicam eo quod auctoritatem Visitatoris capituli generalis ordinis Praemonstratensis, nempe Ioannis Drusii, abbatis Parcensis, agnoscere renuerat. Anno 1654 Gregorius du Crocq, nomine abbatis generalis Romae in defendenda causa huiusmodi egit. Cfr. J.B. VALVEKENS, *De visitatione canonica abbatis Parcensis Drusii in Hispania*, in *An. Praem..*, 57, 1981, 47-75.

Procuratori Generali totius Ordinis[89]) ut litem prosequatur, et curet dictos Patres Roman citari, ne currat praescriptio; interea quaerenda via qua ipsi facilius ab obedientiam redeant.

[15] Item, proponente Rev. Patre Bernardo Simonet, priore Septem Fontium in Therascia, qualem vocem habeant Priores claustrales in Capitulo Generali? Capitulum ventilatam diu quaestionem ad proximam sessionem remisit resolvendam, et Revmus Generalis suo decreto eandem secundam sessionem terminavit et tertiam indixit ad diem crastinum hora octava matutina incipiendam.

Sessio tertia, die 27 Aprilis 1660. De Mane.

[16] Post solitas Deo factas preces, Secretarius, iussu Revmi D. Generalis alta voce legit constitutionem Alexandri tertii, de anno Christi 1177, quae incipit: *Dilectis filiis, Hugoni Abbati Praemonstratensi et caeteris Abbatibus et Canonicis, etc. In Apostolicae Sedis specula*, etc.[90]) praecipue haec verba: *Porro de omnibus quaestionibus et quaerelis tam spiritualibus quam temporalibus, quae in Capitulo Generali propositae fuerint, illud teneatur irrefragibiliter et observetur quod Abbas Praemonstratensis cum his qui sanioris consilii et magis idonei apparuerint iuste et provide iudicabit*, etc., et Lucii tertii de anno 1184 eadem verba continentem constitutionem[91]), et R.D. Ninivensis ex Statutis Ordinis legit Dist. 4 cap. 4, n. 19, ubi habetur: «*Si in tractandis materiis oriatur opinionum qualiscumque varietas, utraque pars rationes suas cum religiosa modestia proponat, vel si ita Dominus Praemonstratensis visum fuerit, scripto tradat, et a Diffinitoribus seorsim in Diffinitorio discutiatur, et quod ipsi resolverint pro diffinitiva sententia ob omnibus sine ulla contradictione teneatur.* Et omnibus consideratis, Capitulum diffinivit quod omnes Abbates habeant vocem decisivam et explicando Statutum praedictum non censeri ortam opinionum varietatem quando duae tertiae partes Praelatorum in unum concordant, et in eventu quod duae tertiae partes non conveniunt, sic ut res trahenda (783) sit ad Diffinitorium, vocum pluralitas ibidem praevalebit, et si utrimque sit vocum aequalitas,

[89]) Petrus Carrette, professus archicoenobii Praemonstratensis. *Obituaire de prémontré*, p. 146.

[90]) Alexander III, *In Apostolicae sedis specula*, 1177, 27 Aprilis, Jaffé-Loewenfeld, 12.183, ed. J. Le Paige, BPO, 632 ss.

[91]) Lucius III, *In eminenti Apostolicae sedis specula*, 1184, 10 martii, Jaffé-Loewenfeld, 15.000, ed. J. Le Paige, BPO, 635 ss.

stabit sententia a qua parte fuerit Dominus Praemonstratensis, prout in ultimo Capitulo Generali diffinitum fuit[92]).

[17] Item, proposuit Vener. Pater Antonius de la Faux, prior Perrodii novi, quod omnes Priores sese proxime facto decreto opponant, et petant diffiniri quod soli Diffinitores censeantur habere vocem decisivam, vel diffiniatur quod etiam Priores monasteriorum commendatorum habeant etiam idem quod Praelati non diffinitores habent suffragium. Et Revmus Dominus Generalis dixit, ut si quid Priores velint a Capitulo impetrare, scripta supplicatione id petant.

[18] Item, Secretario dicente quod experientia constat quaestiones in Capitulo Generali vel provinciali sine ordine et delectu propositas multum temporis, parva cum utilitate absumere, et petente ut placeat Capitulum decernere ut quaestiones illae primo proponantur, quas Revmus D. Generalis vel provincialis Capituli praeses praeparavit et suo secretario proponenda dedit, Capitulum annuens decrevit fieri ut petitum est.

[19] Item, Secretario proponente examinandum esse an omnia Monasteria fuerint singulis annis visitata juxta ultimi Capituli Generalis decretum in sessione 4a[93]), Revmus D. Generalis dicit se et R.D. Domnimartinensem fuisse partim morbo, partim bello praepeditus quominus possent visitare, Priorem vero Praemonstratensem[94]) in actu, cursu et exercitio suae visitationis fuisse correptum gravi morbo, et eam non potuisse consummare; R. autem admodum D. Floreffiensis[95]) ait omnia Monasterio sibi commissa visitasse, dempto Furnensi, ad quod propter exercitum non licuit accedere; R.D. Sorethanus dixit se omnia sibi concredita visitasse[96]).

[92]) cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, nn. 6,7, 215.

[93]) cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n. 8. Notandum quod, ad normam Statutorum (Dist. IV, cap. 4, n. 26), decreta capitulorum generalium in duobus subsequentibus capitulis corroborari debent ut firmitatem iuridicam plenam ac valorem legis particularis acquirant.

[94]) Norberto Caillieu, tunc praesidi Collegii Praemonstratensis Parisiis in capitulo generali anni 1657 commissa fuit visitatio canonica domuum Ordinis in circariis Burgundiae et Alverniae. Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, nº 183.

[95]) In capitulo generali anni 1657 abbati Bonae-Spei, Augustino de Felleries visitatio circariae Floreffiae et Flandriae, uti circatori capituli generalis commissa fuit. Abbati Floreffiensi, Carolo de Severy, officium Vicarii abbatis generalis in iisdem circariis concreditum fuit. Ex hoc capite ei quoque utpote visitatori permanenti, ius tribuebatur visitandi monasteria suae circumscriptionis (Stat. IV, cap. 15, nn. 2,3). cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, nn. 182,183.

[96]) Circariam Suevicae et abbatiam Cella Omnium Sanctorum visitare debeat abbas Soretanus. cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n. 183.

[20] Item, proponente Secretario ad eandem sessionem quartam quod R.D. Steingadensis[97]), vicarius Bavariae, scripserit novitiatum communem in sua Circaria esse necessarium et erigi in sua Ecclesia facile posse, petatque mandari ut non obstante dispensatione ab ultimo Capitulo Generali facta[98]), exigatur novitiatus communis in Bavariae Circaria; Capitulum annuens mandavit et mandat ut pro Circaria Bavariae communis novitiatus erigatur; in alius Circariis si iam erectus est, conservetur.

[21] Item, proposuit R.D. Abbas Vallis Serenae miserabilem statum Marchasii Radulphi[99]) et petiit applicari remedium; Capitulum mandavit R.D. Domnimartinensi, uti Patri Abbati et (784) Visitatoribus, ut efficaciter provideant, seu alter eorum provideat.

[22] Item, referente R. admodum Cuissiacensi per se aut per canonicos Praemonstratenses vel per Rmum D. Generalem non stetisse quominus Ecclesia Praemonstratensis visitaretur in praeterito triennio. Sed Convisitatores non potuisse convenire in unum; facta est quaestio de visitatione eiusdem Ecclesiae et Capitulum diffinivit standum esse constitutioni Innocentii quarti, anno 1246, continenti factam per Odonem concordiam[100]).

Item quaesitum est an prior Praemonstratensis, procurator generalis Ordinis in Curia Romana et prior collegii Parisiensis possint deputari ad visitandos abbates regulares et debeat infirmari decretum ultimi capituli generalis sess. 5a[101]) in favorem trium praefatorum editum? Et cum capitulum audisset rationes prioris Praemonstratensis qui iura sua tuebatur, nec tamen eidem concorditer omnes patres condescenderent, dictus prior dixit se nolle desuper in hoc capitulo generali iudicari tum propterea quod Abbates sint in hoc negotio partes, tum propter alias rationes coram Summo Pontifice deducendas[102]).

Item, quaesitum est, an deficiente aliquo ex tribus primis Abbatibus,

[97]) Augustinus Bonenmayer.

[98]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 11.

[99]) Agitur de abbatia Marcheroux, départ. de l'Oise, dioecesis Bellovacensis (= Beauvais), cuius ecclesia anno 1615 corruit. BACKMUND, II, 557.

[100]) Concordia per Odonem, episcopum cardinalem Tusculanum (= Tivoli), conclusa post peractam visitationem archicoenobii Praemonstratensis, die 26 Ianuarii 1245, corroborata fuit ab Innocentio IV per litteras apostolicas diei 17 martii 1246 *Rei quam* (ed. LE PAIGE, BPO, 668). Ibi legitur: «Per hoc tamen non derogabitur Sancti Martini Laudunensis, Floreffiensis et Cuissiacensis abbatibus qui idem monasterium prout consueverunt tempore retroacto valeant visitare.»

[101]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 21.

[102]) Hoc insertum deest in ms. Laon 538, sed invenitur in ms. Nancy 994, fol. 231r°.

Laudunensi, Floreffiensi et Cuissiacensi, possit Praemonstratum visitari a duobus patribus Abbatibus aut etiam deficientibus duobus possit visitari a tertio? Capitulum elegit in visitatores monasterii Praemonstratensis RR. admodum DD. Abbates Floreffiensem, Cuissiacensem et R.D. Abbatem Bonae Spei.

[23] Item, proponente R.D. Domnimartinensi, Capitulum diffinivit dividendum esse Novitiatum Pontivi, et ex Ecclesiis Domnimartinensi, S. Andreae[103]), Lisquensi et S. Augustini[104]) mittendos esse novitios ad Ecclesiam S. Andreae in Nemore a Magistro communi, secundum Statuta, in novitiatu instruendos; ex caeteris vero Ecclesiis eiusdem Circariae ad Ecclesiam S. Ioannis Ambianensis mittendos ut antehac novitios, nisi Capitulum provinciale aliam designaverit; praesenti decreto ad sexennium dumtaxat valituro.

Sessio quarta eaque pomeridiana, diei 27 Aprilis 1660.

[24] (785) Fusis solitis precibus et dicto: *Benedicite*, Rev. P. Norbertus Caillieu, prior Praemonstratensis, exposuit Capitulo Conventum Praemonstratensem capitulariter congregatum consultasse super quaestiones in postrema sessione super visitatione suae Ecclesiae propositae[105]), et rogare humiliter ut Capitulum dignetur considerare visitatinem Ecclesiae Praemonstratensis competere tribus Patribus Ordinis ex privilegio, atque adeo non videri dictam Ecclesiam posse visitari nisi a tribus illis Patribus, quorum si unus defuerit, esse deputandum alium a Capitulo qui locum suppleat tertii deficientis: qua supplicatione audita, Capitulum annuens decernit deputandum esse pro duobus annis sequentibus Rev. D. Augustinum de Felleries, abbatem Bonae Spei, qui cum RR. admodum Abbatibus Floreffiae et Cuissiacensi Ecclesiam Praemonstratensem visitet, prout praesenti decreto deputat, et hoc lecto decreto Rev. admodum DD. Floreffiensis et Cuissiacensis protestati sunt esse sui iuris, tertium qui convisitet deputare et eligere. Et Capitulum diffinit deputationem stare, sine dictorum Revv. Dominorum, et Conventus Praemonstratensis et cuiusquam alterius praeiudicio.

[25] Item, quaestionem iterum propositam an confirmandum esset

[103]) Circaria Pontivi, nomen sumpsit a comitatu Pontivi (= Ponthieu). BACKMUND, II, 541-571. Delineatio circariae ibidem, 590.

Abbatia Sancti Andreae (= Saint-André-au-Bois) non longe a Dommartin. BACKMUND, II, 562.

[104]) Agitur de abbatia S. Augustini Tervanensi (Thérouanne). BACKMUND, II, 421.

[105]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1660, n° 22.

decretum postremi Capituli Generalis sess. 5 sub. his terminis: *Ad facilitandas Ordinis visitationes, Capitulum decernit atque diffinit quod Prior Ecclesiae Praemonstratensis, procurator item Ordinis in Curia Romana et prior Collegii Praemonstratensis Parisiis siti possint deputari ad canonice visitanda etiam monasteria quibus praesunt Abbates regulares, sicut ab antiquo visitasse leguntur*; et post longam discussionem, cum vota Praelatorum irent in diversas sententias, et vota eorum qui stabant pro facienda confirmatione excederent, sed tamen non ad duas tertias pervenirent, petitum est a Prioribus quid sentirent, et omnes professi sunt se stare pro confirmatione dicti decreti et dixerunt etiam esse extendendum ad omnes Priores, itum est ad Diffinitionem, ubi diffinitum fuit quod Capitulum se dicto decreto opponat, salvo tamen iure Prioris Praemonstratensis quos ante habuit.

[26] Item, Secretario dicente quod Collegium Parisiense gaudeat privilegiis quae non videntur negligenda, quia tamen non est dotatum difficulter in eo possunt ali Scholares, estque in eo aedificiorum penuria, et quae extant sunt ruinosa; posset per aedes quae ibi construi possent acquiri annuus (786) trium milium librarum seu florenorum proventus, quo plures scholares vivere possent. Quaerit itaque Revmus Dominus Praemonstratensis an totius Franciae monasteria velint ad eismodi novas aedes contribuere? Sin minus, petit dictum Collegium suae Praemonstratensis Ecclesiae proprium relinqui usque ad plenam expensarum refusionem, et ipsi statim manum admovebit operi, et proventu ex suo opere nato, sola firmetur Ecclesia Praemonstratensis; aliarum Franciae Ecclesiarum religiosis inibi commoraturis pensionem competentem, tam pro victu et elocatione domus, quam pro cubiculo soluturis. Patres capitulares de Francia petierunt ad respondendum dilationem et concessa est.

[27] Item, secretario pergente, quod Sess. 6a, postremum Capitulum Generale[106]), confirmavit decretum Capituli provincialis in Valle Serena anno 1656 editum, in quo diffinitum fuit, quod quotiescumque pro bono reformationis contingat aliquando religiosos a legitima auctoritate in aliud ordinis coenobium diversum a suae professionis monasterio submitti, sive ut sint Officiales, sive Conventuales, sint gavisuri omnibus iuribus et causis, voce activa et passiva, sicut et stallo seu loco suae professionis ac si essent in monasterio ad quod mittuntur expresse professi, excepta electione Praelatorum, ad quam non habent vocem

[106]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, nº 24.

activam. Hoc decretum a nonnullis creditur non extendi ad omnes Ordinis Circarias, sed contineri Franciae et Pontivi limitibus, videri itaque postea declarandum illud ubique vim habere, et ad totum ordinem extendi. Capitulum dixit et declaravit et diffinit dictum decretum uti utilissimum et plane necessarium, esse extensum ad omnes omnino Ordinis Circarias, et quatenus opus est, adhuc extendere, et extendit.

[28] Item, secretario quaestiones a se praeparatas continuante ad Sess. 7 dicti Capituli[107]) dixit: videntur examinandae articulorum Communitatis antiqui rigoris interpretationes[108]) numquam hactenus ad Capitulum Generale deportatae, de quibus in ultimo Capitulo Generali ordinatum est et mandatum R.P. Augustino Guillard, Revmi D. Praemonstratensis in dicta Communitate Vicario, ut infra annum exhiberet authenticum seu figurativum interpretationis articulorum Reformationis exemplar, et eodem Secretario repraesentante Capitulo dictum a praefato Guillard, in Capitulo provinciali habito Viroduni anno 1658 Revmo. D. Generali exhibitum exemplar. (787) Dixit Rev. Dom. Nicolaus Guinet, abbas Mussipontanus, dictae Communitatis professus, quod dictum exemplar fuerit exhibitum ut ostenderet dicta antiqui rigoris Communitas se obedire Capitulo Generali, et adiecit dictus D. Guinet, uti ab eadem Communitate deputatus, se quaerere a Capitulo Generali an velit dictas interpretationes examinare, ad probandum illas vel improbandum? Replicavit Revmus. Dominus Generalis ut ipse R.D. Guinet diceret an aliae interpretationes fuerint iussu Capituli Generalis a Communitate datae, ut ipsa Capitulo Generali eas probanti vel improbanti obtemperet vel obediat? R. autem Patre Thienville a dicta Communitate similiter deputato allegante plurima ut ostenderet articulos reformationis antiqui rigoris in Constitutionibus apostolicis comprehensos per tres sententias rotales conformes fuisse confirmatos, proinde non posse illos tangi a Capitulo, Capitulum respondit se nullo modo praetendere violare dictas Constitutiones, sed nunc non agi de articulis in eis insertis sed de dictorum articulorum interpretationibus dicto exemplari comprehensis, quae longe diversae sunt res a dictis Constitutionibus et articulis. Et cum Rev. Dom. abbas Mussipontanus praedictus assereret dictas interpretationes esse etiam in dictis Constitutionibus comprehensas atque adeo approbatas, eo quid illae sint scripturae de quibus ibi

[107]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 24.

[108]) Secretarius alludit ad *Annotationes in articulos supradictos quibus Articuli Reformationis in ordine ad Articulorum praxim latius enucleantur*. Inveniuntur in Bib. mun. Laon, ms. 538, pp. 568-597.

dicitur, ac alias prout in scripturis desuper confectis; tum Ven. p. Basilius Liegault dictae Communitatis professus et prior S. Martini Laudunensis, obtenta a Revmo Generali loquendi venia, dixit se esse professum in dicta Communitate et se valde diu credidisse, in fide referentium, dictas articulorum reformationis Interpretationes esse confirmatas et in dictis Constitutionibus contineri, nunc autem sibi videri magnum esse dubium eo quod scripturae de quibus in Constitutionibus est sermo, asserantur esse per bonae memoriae Petrum Gossetium, Generalem, subscriptae; hae vero Interpretationes a notariis publicis et apostolicis collationatae et legalisatae per Protonotarium, dicantur esse omnino originali suo conformes, et tamen nullo fit mentio subscriptionis per dictum Gossetium Generalem factae, sed dicantur subscriptae a solis religiosis Monasterii Sanctae Mariae Mussipontanae[109]). Tum organo Rev. Domini Abbatis Parcensis, petiit a Rev. Domino Mussipontano an originale dictarum interpretationum, quarum exemplar sibi repraesentatur, esset subscriptum a bonae memoriae Petro Gossetio Generali et Abbati Mussipontano respondere tergiversanti, idem Dominus Parcensis dixit quod Capitulum Generale protestaretur se nolle impugnare Bullas Pontificias, sed petere et interrogare an (788) dictae Interpretationes fuerint, ut praefertur, a

[109]) *Articuli Reformationis monasterii Sanctae Mariae Maioris Mussipontanae* anno 1613 sub abbate Servatio Lairuelz in praedicto monasterio introducti, valde summarie proposita reformationis vitae religiosae continent. Die 4 Iunii 1616, in decursu visitationis per plures hebdomadas protractae, abbas generalis Petrus Gosset praedictos articulos approbavit (Actum approbationis in Laon, Bib. mun., ms. 538, II, p. 605-606). Hisce articulis rite approbatis adiectae fuerunt *Annotationes in articulos supradictos* quibus minutius disciplinam internam et regimen monasteriorum reformatorum ordinabatur (cfr. Laon, Bib. mun., ms. 538, II, p. 584-597). Asserit capitulum generale Petrum Gosset primum documentum, nempe *Articuli*, manu propria subscripsisse, sed non secundum, i.e. *Annotationes*. Deputatus Communitatis Antiqui Rigoris nunc explicite veritatem huius assertionis admittit, quamvis bullae pontificiae a fautoribus reformationis Lairuelianae impetratae insinuare videntur totum contentum constitutionum apostolicarum in antecessu ab abbate generali non tantum approbatum sed et desideratum fuisse. Constat Petrum Gosset ad pacem tuendam regimen centralizatum, uti dicitur, Communitatis antiquae rigoris approbravisse hac tamen sub conditione ut omnes et singuli sodales Communitatis abbatem generalem uti proprium ac immediatum superiorem agnoscerent. Quam approbationem Patres Capituli generalis anni 1627 ratam non habentes quia, ipsis praetermissis, supplicem libellum Romae introduxerant Reformati, bullam pontificiam Communitatem antiqui rigoris constituentem uti obrepticie et subrepticie impetratam impugnandam decreverunt. In litteris die 25 maii 1627 a Ioanne David, abbate Ninoviensi Casparo de Questemberg, abbati Strahoviensi scriptis legitur «... declaravit Capitulum Rev. mum Generalem salvo respectu eidem debito non potuisse approbare huiusmodi formulam [regiminis] quae primaevum et fundamentale regimen Ordinis plene destrueret et everteret et solo servato habitu alium ordinem tantum non constitueret.» Cfr. Pragae, Archiv. Stat., Strahov, capsa nº 313.

generali subscriptae necne? Et tunc respondit eas non esse a Petro Gossetio subscriptas, sed esse alium actum a proxime dicto Generali subscriptum. Et cum dictus Dominus Guinet, abbas, et dictus Basilius, prior, altercari inciperent, Capitulum eis silentium imposuit, et praecepit ut si quid contra invicem praetenderent id scripto proponerent Capitulo. Et cum dictus Basilius urgeret ut Capitulum non gravaretur quaerere a dictis a Communitate antiqui rigoris deputatis, an se submitterent Capitulo Generali necne, rogavit Mussipontanus ut sibi et condeputatis daretur tempus ut se praepararent ad respondendum, et postea dicerent in quibus punctis Capitulo Generali se submitterent; roganti etiam pro facultate ut abesse possent a Sessionibus usque in crastinum post meridiem, et ne quid decerneretur interim quod ipsorum institutum concerneret, Capitulum libenter facultatem concessit spoponditque se nihil definiturum interea quod ipsos aliquatenus respiciat, eosque non debere aliud quam Iustitiae administrationem a Capitulo exspectare. Interpretationes autem praedictae typis mandatae viginti una et media pagina comprehensae incipiunt: *Articuli Reformationis* et finiunt: *f. Ioannes Lopin.*

[29] Item, ad sessionem decimam ultimi capituli Generalis deflectens, secretarius dixit Capitulum discusso per aliquas sessiones negotio monasterii Milovicensis[110]), vacantis et nullos professos habentis, decrevit et mandat Rev. Dom. Abbati Siloensi[111]), eiusdem Milovicensis monasterii Patri Abbati, ut dicto monasterio Milovicensi de Abbate statim, et sine mora consilio R.D. Vicarii generalis et unius vel alterius Abbatis eiusdem Circariae provideat. Quod si monasterium Milovicense praetendat sibi fieri aliquam in eiusdem Milovicensis Coenobii reparationem factarum expensarum refusionem, Capitulum provinciale illud audiat, et authoritate Capituli Generalis cum eodem de parte redituum illi per aliquot annos solvenda conveniat. Hoc decretum R.D. Matthaeus, Vicarius Bohemiae[112]), per litteras suas de 17 Februarii praesentis anni 1660 petit confirmari contra Rev. Dom. Vincentium, abbatem Strahoviensem[113]), qui sine ulla dispensatione et contra transactionem a praedecessoribus Strahoviae abbatibus cum Praelatis Bohemiae factam illud possidet. Capitulum scripturas Circariarum Bohemiae concernen-

[110]) Milevsko in Moravia. cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 59.
[111]) Vitus Rössler, abbas Siloënsis (= Zeliv), BACKMUND, I, 393.
[112]) Matthaeus Paul, abbas S. Vincentii Wratislaviensis (Wrocław).
[113]) Vincentius Macarius Frank, abbas Strahoviensis Pragae. BACKMUND, I, 382.

tes, commisit Priori Praemonstratensi examinandas et Capitulo referendas.

[30] (789) Item, Capitulum commisit scripturas querelam fratris Fauchel, religiosi Sancti Nicolai Furnensis[114]), concernentes Patribus Ioanni Luckenradt, Marensi priori in Westphalia, et Macario Simeomo, vicario Virginum Ordinis in Antverpia referendum.

[31] Item, scripturas contra R.D. Franciscum de la Fosse, abbatem Corneolensem et alias eius defensivas, commisit fratri Iosepho Rudelle, priori Capellae juxta Tolosam ad Capitulum referendum.

[32] Item, Wadegotiam[115]) usque ad proximum Capitulum Generale visitandam commisit Rev. Dom. Abbati Steinfeldensi[116]), et Revmi Domini Generalis decreto conclusa fuit sessio, et indicta 5a sessio in crastinum hora octava matutina.

Sessio quinta, diei 28 Aprilis 1660, matutina

[33] Fusis precibus, et dicto: *Benedicite*, Revmus Dominus admisit ut proponeretur supplicatio[117]) R.D. Augustini, Abbatis Tongerloensis, ac Conventus ipsius per Vener. Patres Siardum de Smet et Ambrosium Tielens, eorum deputatos, proponi rogata et Secretarius legit alta voce statum seu modum quo bona abbatialia et bona conventualia dividuntur,

[114]) Nomen huius religiosi ita deformatum invenitur in manuscriptis. Ex Actis nn. 104, 126 huius capituli generalis patet agi de Francisco Sanchez, canonico Furnensi de quo nulla invenitur memoria in Obituario Furnensi. Cfr. Archiv. abbatiae Grimbergensi, nº VI, 104.

[115]) Abbatia Wadegotiae (= Wadgassen), dioecesis Trevirensis (= Trier). BACKMUND, I, 119-122.

[116]) Norbertus Horrichem, abbas Steinfeldensis. BACKMUND, I, 256.

[117]) Separatio mensae abbatialis a mensa conventuali in canonia introducta fuit ut vitaretur usurpatio ex parte abbatum commendatariorum. Tolerata a vicario generali J. Drusio, haec praxis tollenda censebatur a vicario Chrysostomo Vander Sterre ut uniformitas in circaria Brabantica servaretur. Durante visitatione anni 1649 iterum urgebat abolitionem huiusmodi separationis. A quo decreto cum, instante conventu, visitator regredi noluisset, ad abbatem generalem recursum habuerunt abbas et conventus Tongerloënsis (AAT, IV, 86, nº 18). Cum autem, ad normam Statutorum, divisio mensarum ob peculiares circumstantias a solo capitulo generali approbari potuisset, die 28 octobris 1650 formaliter ad capitulum generale appellaverunt (AAT, IV, 86, nº 42), dum e suggestu abbatis generalis decretum vicarii Vander Sterre interim suspensum manebat stante praedicta appellatione (AAT, IV, 86, nº 48). Quia praesentia abbatum Brabantiae in capitulo generali a gubernio civili anno 1657 impedita fuit, exspectanda erat adunatio capituli generalis anni 1660. Decretum praesentis capituli generalis asservatur in AAT, IV, 86, nº 55 et IV, 367, nº 1. Cfr. H. LAMY, *Documents inédits concernant la controverse sur la division des biens abbatiaux et conventuels à l'abbaye de Tongerloo au XVII^e siècle*, Louvain, 1914.

et administrantur a dicto Abbate et Conventu subsignatum; legit et libellum supplicem a dictis deputatis subscriptum in quo afferuntur rationes, quare debeat manere hactenus usitata eorumdem bonorum divisio et expediat a Capitulo Generali confirmari, legit etiam epistolam dicti R.D. Tongerloensis eiusmodi confirmationem petentis, quibus omnibus per RR. DD. Abbates in utramque partem discussis eo deventum erat ut decerneretur commissio aliquibus Abbatibus qui de veritate allegatorum inquirerent, et in eventu veritatis authoritate Capituli Generalis dictam bonorum divisionem confirmarent; sed R.D. Parcensi nuper Brabantiae vicario asserente, se scire allegata veritate niti, et non solum se, sed et abbatem S. Michaelis Antverpensis, Tongerloae Patrem abbatem, id scire, nec etiam ignorari ab aliis RR. DD. Abbatibus Brabantiae Capitulo hic praesentibus, ad quam assertionem Capitulum diffinivit, quod libellus supplex supradictus et aliae scripturae coniunctae traderentur ad manus R.D. Abbati S. Michaelis Antverpiensis, uti Patris monasterii Tongerloensis, et tam ipse, quam RR. DD. AA. Parcensis, Grimbergensis et Ninivensis, sua libelli huiusmodi supplici subscriptione et attestatione facerent Capitulo sedenti fidem, quod in dictis scripturis allegata sint vera, quod cum per ipsos factum fuerit, Capitulum Generale dictam divisionem confirmavit.

[34]) Item, R.D. Parcensis legit sequentem ex Cap. 16 Statutorum dist. 4, n. 10 textum: *Diligenter etiam inquiratur de temporali Ecclesiae statu,* (790) *an scilicet domus sit debitis gravata, et quam magnis, multisque, et qua de causa, at vero cui vel quibus specialiter debeat, a Visitatoribus non est inquirendum, nec tenetur Praelatus hoc eis aperire; Patribus vero Abbatibus, totus Ecclesiae status vere et integre manifestetur, cum specificationibus debitorum et creditorum, et designatione personarum quibus domus obnoxia est.* Et quaesivit an in inquisitione eiusmodi de temporalibus, ei debeant exhiberi computus integri, tam bonorum conventualium, quam abbatialium, etiam Visitatori et Vicario visitentibus, ut debite statum Monasterii manifestetur? Respondens Capitulum diffinivit non debere exhiberi computum nisi Patri Abbati, non autem Visitatoribus, etiam Vicariis, nisi ad id expressam habeant commissionem a Revmo D. Praemonstratensi. Et cum pluries quaereretur an ipsi Patres Abbates possent suam, ut supra, de temporalibus inquirendi potestatem aliis committere, statim dictum fuit non esse dubium Revmum Dominum Praemonstratensem habere in omnia Ordinis monasteria Patris Abbatis authoritatem, et supereminentem iurisdictionem, atque adeo ipsum posse comittere vices suas, et authoritatem paternam Visitatoribus a se deputa-

tis, sed et Vicariis. Sed id de aliis Patribus Abbatibus non ita esse manifestum; et collectis postmodum votis diffinitum fuit Patres Abbates posse etiam committere vices suas et ius Visitatoribus et Vicariis, ut dictam inquisitionem instituant, et computus sibi exhiberi integros faciant.

[35] Item, lectus est a Rev. Dom. Domnimartinensi libellus supplex cuiusdam iuvenis, De Villequoy nuncupati, petentis ut Capitulum dignetur annuere, ut supplex promoveatur ad abbatiam Salinae Vallis. Capitulum remittit ad primam sessionem, in qua intererunt Patres Communitatis antiqui rigoris, cum Salina Vallis sit de Communitate, ut et ipsi desuper audiantur.

[36] Item, cum Vener. Pater Liegault diceret Patres Communitatis antiqui rigoris videri meditari secessionem ab Ordine, Capitulum silentium imposuit, eo quod deputati huic sessioni non intererant, et propterea ad objecta respondere non possent.

[37] Item, secretario resumente quaestionem super Capitulo Generali anni 1657, dixit sess. 11a: *Capitulum transtulit monasteria Bellelagiae et Corneoli ad Circariam Sueviae, et usque ad praesens visitationem commisit Rev. Domino Abbati Cellae Omnium Sanctorum*[118]), nunc eis de Visitatore vicino providendum, notando quod in utroque monasterio non sit alius quam linguae gallicae usu; Capitulum diffinit quod Revmus D. Praemonstratensis providebit utrique Monasterio de Visitatore.

[38] (791) Item, eo dicente providendum ut Procuratores Romanus et Parisiensis subsistere queant, et satisfiat taxae ab ultimo Capitulo Generali pro ipsis impositae, exhibitae sunt litterae R. Petri Carette, procuratoris generalis Romae, diei 29 Martii praesentis anni una cum computu receptorum, easque publice legit, in quibus reddens rationem villicationis suae, manifestavit statum negotiorum Ordinis; et cum lecta fuissent ultima computus verba, quae sunt *R.D. Parcensis, semper in responsis et solutionibus parcus fuit, sicut et reliqui alii*, Revdus D. Parcensis respondit fuisse occasione huiusmodi taxae coram D.D. Praelatis Brabantiae propositum, an stante quod ordo Praemonstratensis debeat monasteriis Parcensi et Ninivensi multa milia florenorum pro communibus negotiis authoritate Capituli Generalis gestis[119]) expenso-

[118]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, nº 71.

[119]) Parcensi abbatiae debebantur expensae ab abbate Ioanne Drusio in itinere versus Hispaniam visitandi causa factae, Ninoviensi vero refundi debebant summae ab abbate Ioanne David solutae dum Romam missus uti procurator generalis contra praetensiones Communitates Antiqui Rigoris ibi agebat.

rum, quorum computus allatus est, non deberet dicta taxa retineri pro eiusmodi debiti solutione, et fuisse a dictis Praelatis responsum quod haec quaestio praesenti Capitulo proponeretur, prout eam modo proponit. Et statim surrexit R.D. Sorethanus et dixit videri posse dictum procuratorum generalem Ordinis fuisse negligentem, et legit aliam copiam epistolae Honorati Panucelli, Romae scriptae tertia Ianuarii praesentis anni, et conclusit ut moneatur dictus Pater Procurator generalis ut diligentior sit, maiorem honorem in suis litteris ad Praelatos directis exhibeat, et ut Capitulum Generale dignetur scribere Eminentissimo Dom. Card. Carpineo, Ordinis Protectori et controversiae Minoraugiensis[120]) iudici apostolico, et iubeat F. Kaiser et consortes ad aliquod Monasterium se recipere, ut scandala et expensae minuantur et ut commendationi habeat monasterium Minoraugiense, et Capitulum annuens, mandavit scribi litteras ad Eminentissimum Protectorem.

[39] Item, secretarius repraesentavit Capitulo quam plurimas Chartas nondum apertas, in duobus fasciculis dictinctas, quorum alter inscribebatur: *Transsumptum commissionis Revmo Domino Patri Generali Ordinis Praemonstratensensis in personam admodum Rev. Domini Aldenbergensis*[121]*) in causa dissidiorum vertentium inter admodum R.D. Abbatem Minoraugiensem ex una parte et f. Wilhelmum Kaiser et consortes ex altera parte, die 6 Decembris anni 1656*, et infra: *Receu le 23 Mars 1656: du facteur du messager de Lyon par moy soussigné, f. Aubert*, et in alia fasciculi parte: *Acta processus numerata ab n. 1 ad 41*, et ad latus, manu secretarii praesentis Capituli, *receptae Praemonstrati die 14 Aprilis 1660*. Alter autem fasciculus sic inscribebatur: *Processus citationis excommunicationis promulgatae inter contumaces Religiosos monasterii Minoraugiensis, f. Wilhelmum Kaiser, fr. Eusebium Eiselin et f. Antonium Brille*, et infra: *Receu (792) le 3 Mars 1660 du facteur de Lyon par moy soussigné: F. Aubert; et ex alia parte: Acta Processus alphabeto signata*, et ad latus: *Scripturae receptae Praemonstrati die 14 Aprilis 1660*, quae scripturae Capitulum reservavit ad aliam Sessionem referendas.

[40] Item, secretario referente quod Capitulum mandavit R.D. Wilthinensi, Patri Abbati Spainshartensis Coenobii[122]) ut sine mora pro

[120]) Minoraugiensis canonia (Weissenau) intra fines civitatis Ravensburg in dioecesi Rottenburgensi. De controversiis inter abbatem Bartholomaeum Eberlin (1644-1681) et religiosos Wilhelmum Kaiser, Eusebium Eiselin et Antonium Briele agitur infra Acta n° 39.

[121]) Agitur de Georgio Schönhainz, abbate canoniae Adelbergensis suppressae. BACKMUND, I, 44-46.

[122]) Canonia in Palatinatu superiori (Oberpfalz), dioecesis Ratisbonensis (= Regensburg). BACKMUND, I, 24-28.

virili adlaboret pro eiusdem Coenobii a Serenissimo Duce Bavariae occupati recuperatione, inquirendum ideo, quid a triennio pro dicta recuperatione egerit? Respondit D. Wilthinensis se pro virili laborasse et adiisse Episcopum Ratisbonensem[123]), et ab eo accepisse quod Serenissimus Dux Bavariae habeat prorogationem indulti, et D. Sorethanus adiuvit prorogationem exspiraturam anno proxime sequenti 1661, et se rogare Capitulum ut scribat Serenissimo Duci Bavariae et eum roget pro eiusdem Coenobii restitutione, et Capitulum diffinivit Serenissimo Duci Bavariae scribendum[124]).

[41] Item, fuit proposita, sed non decisa, quaestio de Cantu, quia tempus defuit.

Sessio sexta pomeridiana. Die 28 Aprilis 1660.

[42] Reverendissimo Domino Praemonstratensi proponente quod quidam Praelati petant declarari, quod locus in sessionibus et alibi a DD. Praelatis occupatis nemini praeiudicet; Capitulum diffinivit nemini praeiudicium esse illatum. Et R.D. Domnimartinensi praetendenti se esse in immemoriali possessione sedendi immediate post tres primos Abbates, restitit Rev. D. abbas Sancti Michaelis Antverpensis, et dixit se esse quintum Ordinis Praelatum. Super qua disceptatione Capitulum mandavit et mandat, ut qui praecedentias praetendunt, afferant ad proximum Capitulum generale authenticas sui intenti probationem.

[43] Item, Revmo Domino dicenti quod Patres de Communitate antiqui rigoris deputati petierint adhud aliquantulum licere ut absint a sessionibus et se praepararent, Capitulum Generale annuens, concessit tempus usque in crastinum, prout desiderarunt.

[44] Item, ad quaestionem Rev. D. Parcensis in fine prioris sessionis factam et repropositam an non conveniat pro decore Ordinis imprimi Missalia pro privatis Missis, item alia Missalia cantum continentia, Antiphonalia et Processionalia in quibus cantus abbrevietur accentibus accommodetur, et conformis per Ordinem reddatur, Capitulum diffinivit Missalia imprimi bene correcta, commoda et sine abbreviationibus in

Episcopi Ratisbonensis, Eystettensis (= Eichstadt) et Bambergensis, post incorporationem Palatinatus in Bavaria qua religio quoque catholica redintegrabatur, inhibuerunt quominus monasteria ordinibus redderentur ad quos antea spectabant.

[123]) F.W. von Wartenberg.

[124]) Canonia Ordini Praemonstratensi restitui poterat post obitum cardinalis Wartenberg (1661), et quidem anno 1669, quando ex abbatia Steingadensi novi religiosi vitam conventualem instauraverunt. N. BACKMUND, *Die Chorherrenorden und ihre Stifte in Bayern*, Passau, 1966, p. 192.

notis aut rubricis, quae aliquid de (793) pagina ad aliam paginam quaerendum remittant. Missalia etiam choralia seu cantum continentia, Antiphonaria et Processionalia in typis esse mandanda, ex quibus protractiones cantus inutiles eliminentur, accentus fiant debiti, et dissonae quaeque exterminentur, et per huiusmodi libros praelo commissos uniformitas in cantu per totum Ordinem servetur.

[45] Item, quaesitum est quinam religiosi dictum cantum ut supra corrigant? Et Capitulum nominavit fratres Alexium Bellecoq, Praemonstratensem, Ioannem Loysel, Domnimartinensem, et duos alios qui iussu RR. DD. Abbatum Belgii Praemonstratum sine mora mittentur, qui omnes ex libris Praemonstratensis Ecclesiae cantum corrigant, abbreviabunt, accomodabunt et conformem faciant,

[46] Item, quaesitum est an omnes Sequentiae sunt e Missali expungendae? Capitulum diffinivit sequentiis seu prosis Romani Missalis esse addendum solum *Laetabundus* in Summo Sacro.

[47] Item, petitum est an Introitus bis legendus sit ante *Gloria Patri* in in Duplicibus et supra? Capitulum diffinivit bis legendum ut hactenus factum est.

[48] Item, quaesivit Rev. D. S. Michaelis Antverpiensis an Abbas officians et ut altari deserviat, ad gradus Presbyterii perveniens, sicut primo inclinat, ita sucundo versus conventum debeat inclinare? Capitulum respondit debere.

[49] Item, ad quaestionem an Breviario Ordinis Praemonstratensis imposterum in seri debeant officia Sanctorum Ordinis Praemonstratensis? Respondit R.D. Abbas S. Michaelis Antverpiensis quod in sua Ecclesia celebrantur festa Sanctorum Frederici, Godefridi, Siardi, Hermanni, Gerlaci, Gilberti et Gertrudis, et se habere fundamenta cur celebrentur, et in sequenti sessione se exhibiturum Capitulo, et ita Capitulum resolvit differendam esse diffinitionem.

[50] Item, secretario referente quod ultimum Generale Capitulum sess. 12a. decrevit[125]) ut R.D. Chotieschoviensis nec habeat vocem activam in electione Abbatis Teplensis, nec sit eiusdem monasterii Teplensis senior aut membrum nec Abbati Teplensi debeat aliam quam filii Praelati Patri Abbati obedientiam? Rev. tamen D. Raymundus, modernus abbas Teplensis[126]) per litteras suas de 29 Februarii 1660 rogat dictum decretum circumscribi et amoveri, et ait aliter indicatum a Capitulo

[125]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, nº 90.

[126]) Raymundus I Wilfert, abbas Teplensis (1658-1670). Cfr. *Festschrift zum siebenhundertjährigen Jubiläum der Gründung des Prämonstratenserstiftes Tepl*, [1893], p. 164-166.

Generali anni 1503; sed id non legitur in Actis dicti Capituli[127]). Ait etiam aliter fuisse resolutum per D. Franciscum a Longo Prato[128]), sed actum non exhibet; denique asserit sic fuisse fundatas Ecclesiam teplensem et Chotieschoviensem, ut haec esset alterius membrum (794), idque ut indissolubili nexu se mutuo iuvarent ut hactenus factum dicit. Capitulum ut Rev. Dom. Teplensis doceat de Actis Capituli generalis anni 1503 et aliis quae allegat; interea manere debere ultimi Capituli generalis anni manere debere ultimi Capituli decretum.

[51] Item, sessione 17 ultimi Capituli Generalis quaesitum fuit[129]) an priores claustrales debeant esse triennales? Et Capitulum non esse triennales dixit, sed ad nutum, et omni tempore amovibiles; occasione cuius decreti propositum fuit praesenti Capitulo quosdam nihilominus praetendere Priores in Abbatiis commendatis esse perpetuos, et non posse eos, nisi propter culpam in confessione confessam, aut iuridice probatam, absolvi; viderique sensum Capitulo esse declarandum. Capitulum respondit id fuisse saepius declaratum et iterum declarat et diffinit Priores etiam in Abbatiis commendatis esse omni tempore ad nutum Superioris amovibiles.

[52] Item, quaesivit R.D. Parcensis an praepositi Monialium possint gerere insignia Abbatum scilicet crucem pectoralem, annulum, et mozettam? Capitulum diffinivit Praepositos Monialium, qui sint in possessione insignium Abbatum posse in ea permanere.

[53] Item, secretario proponente an non expediat edere decretum speciale quo Religiosi Ordinis Praemonstratensis reddantur inhabiles ad quaecumque beneficia curata vel simplicia, nisi ante eorum impetrationem fuerint muniti in scriptis obtenta licentia, quam Religiosi inferiores habeant a Superiore suo regulari, Priores vero in Abbatiis commendatis a Vicario Circariae, vel Patre Abbate, vel Revmo D. Praemonstratensi? Capitulum diffinivit edendum esse huiusmodi speciale decretum et de facto omnes et singulos Ordinis Praemonstratensis Religiosos uti suos subditos obedientiarios, et quorum professio sit Superioribus obedire, ut in omni vitae suae instituto ab ipsis dependere, reddit ex nunc inhabiles ad quaecumque regularia beneficia, curata vel simplicia impetranda,

[127]) Decreta capituli generalis anni 1503 prostant in Acta Cap. Gen., II, p. 32-44.

[128]) Franciscus a Longo Prato, alias de Longpré, professus archicoenobii, abbas Vallis Secretae, ad sedem canoniae Praemonstratensis electus non sine adversitate supremum Ordinis regimen assumere potuit anno 1596. Obiit 1613. GOOVAERTS, I, 533-534; *Obituaire de Prémontré*, p. 95.

[129]) Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 140.

acceptanda vel possidenda, nisi ante eorum impetrationem, acceptationem, vel possessionem fuerint muniti in scriptis obtenta licentia quam religiosi inferiores habeant a Superiore suo regulari, priores vero in Abbatiis commendatis a Vicario suae Circariae vel Patre Abbate vel Domino Praemonstratensi.

[54] Item, an debeant vocari ad capitula provincialia priores Ecclesiarum quibus praesunt Abbates regulares? Capitulum diffinivit: debere (795).

[55] Item, quaesivit secretarius an vestiendi, tonderi aut radi debeant et veste interiori alba indui, antequam ad locum Capitularem pro veste regulari suscipienda vocentur? Capitulum respondit servandum cuiusque Circariae usum. Item, quaesivit an vestiendi non debeant exhibere in scriptis testimonium legitimi thori et suae aetatis, an vero sufficiat quod publice habeantur pro legitimis ac talis aetatis. Capitulum definit debere exhiberi in scriptis. Item, quaesivit an non sit discernendum ut Religiosi ad alios conventus proficiscentes in eis non compareant sine caputio, cum pallium non gerunt. Capitulum diffinit et mandat ut non compareant nisi pleno habitu, toga scilicet, scapulari et caputio.

[56] Item, quaesivit an Praepositi Monialium qui sunt Praelati possint solemniter ab Episcopo benedici? Capitulum respondit non posse, nisi docuerint de privilegio et legitima possessione.

[57] Item, an non sit commendandum Patribus Germaniae ut studiose inquirant libros Monasterii S. Mariae Magdeburgensis qui cum civitate conflagrarunt, et ad instar spolii ad diversa loca transportati sunt, idque ut sciatur Ordinis antiquitas, et forte umbra de S. Norberto? Capitulum diffinivit adhibendum esse diligentiam et eam R.D. Abbati Teplensi[126]) committit.

[58] Item, proponente Priore Praemonstratensi petente confirmari sequens decretum, nuper in Monasterii de Lucerna[130]) visitatione factum quod sic habet: *Quamvis per Statuta Ordinis, Dist. 2 cap. 16, n. 18, et per decreta Capitulorum Generalium Priores claustrales et Provisores sicut et reliqui Officiarii ad nutum Abbatis omni tempore sint amovibiles, nihilominus quia dubium esse potest an dicta Statuta et decreta extendi etiam debeant ad abbates partitione bonorum et mensarum inter D. Abbatem de Lucerna et eius Conventum separationem*[131])*... immodicam quam annue tenetur D. Abbas solvere pensionem, ad tollendam omnem*

[130]) La Luzerne, départ. de la Manche, dioecesis Cosediensis (= Coutances), cuius abbas regularis erat Dionysius le Coursonnois. BACKMUND, III, 26-28.

[131]) Adest lacuna in textu utriusque manuscripti.

suspicionem quod de bonis Conventus sibi arrogare cupiat, ad exorbitantis pensionis eiusmodi facilitandam solutionem, et ad firmandam in dubio dicti Lucernencis Conventus, qui alias laedi posset, securitatem et indemnitatem, inhibemus R.D. Abbati ne Priorem claustralem, Provisorem, et Cellarium propria authoritate destituat, nisi a Conventus maiori parte requisitus, aut si ipsa consenserit Priorem claustralem, Provisorem (796), *et Cellarium instituere. declarantes positivam officiariorum omnium institutionem et destitutionem non ad Conventum, sed ad eumdem D. Abbatem, aliosque ab ipso Superiore, videlicet ad Patrem Abbatem, Vicarium Provinciae, Visitatores, Patrem Generalem et ipsum Generale Capitulum spectare, et officiarios quoscumque a Priore et conventu institutos, si qui sint, aut forte instituendos, nisi Rev.Dominus Abbas consenserit, nullam habere aut habituros iurisdictionem, authoritatem, administrationem; praesenti nostro provisionali decreto ad proximum Ordinis Generale Capitulum dumtaxat valituro, in quo Capitulo Patribus Ordinis suppliciabitur ut indemnitati Conventuum in Abbatiis pensione gravatis provideant, et super Statuta citata et decreta Capitulorum Generalium interpretantes, explicent an illa extendi debeant ad Abbates per bonorum temporalium seu mensarum divisionem a suo Conventu separatos.* Capitulum diffinivit Visitatores potuisse dispensare in Statutis in casu talis necessitatis, et de facto Capitulum dispensat in praedicto casu et supradictum decretum confirmat; et de more solito decreto Revmi D. Generalis haec 6a sessio terminata est, et indicta alia ad horam circiter octavam matutinam sequentis diei.

Sessio septima matutina diei 29 Aprilis 1660.

[59] Fusis precibus dictoque per Revmum D. Generalem *Benedicite*, quaesitum est an fr. Alexius Dayart, religiosus professus monasterii Vallis Serenae, possidens beneficium a S. Mariani Monasterio dependens, et illud quacumque ex causa relinquens debeat adire ad Monasterium in quo professus est, an vero ad Monasterium a quo pendet beneficium? Capitulum respondit debere reverti ad suae professionis monasterium, idque eiusdem Monasterii sumptibus, si qui fuerint necessarii.

[60] Item, petente fr. Ioanne Fostier deputari Visitatorem qui authoritate Capituli Generalis succurrat protinus Monasterio S. Mariani Altissiodorensis et praesertim difficultates inter Conventum et Abbatem[132]) et parochiam sopiat, et authoritate Capituli Generalis

[132]) St. Marien d'Auxerre, départ. Yonne, dioecesis Senonensis (= Sens) cuius abbas commendatarius annis 1639-1670 erat Henricus Jannin de Castille. BACKMUND, II, 477.

terminet, Capitulum rogavit ut Revmus D. Generalis committat visitatorem cum necessaria potestate.

[61] Item, Capitulum, viso testimonio RR. DD. Norberti, abbatis S. Michaëlis Antverpiensis, Caroli abbatis Grimbergensis, Liberti abbatis Parcencis, et Ioannis abbatis Ninivensis, ad calcem libelli supplicis per Vener. ff. Siardum De Smet et Ambrosium Thielens Tongerloenses deputatos subscripti et sess. 5 praesentis Capituli Generalis praesentati[133]), quo testimonio dicti RR. DD. Abbates fidem faciunt Capitulo rationes dicto libello supplici comprehensas niti veritate, Capitulum confirmavit et praesenti decreto confirmat divisionem bonorum Ecclesiae Tongerloensis, prout ea specificatur in dicto libello supplici, et in alia scriptura, cuius tenor est: *Status seu modus qui servatur in monasterio Tongerloensi, circa administrationem bonorum abbatialium et conventualium ubi exponitur, in quo praecipue consistat ratio divisionis praedictorum bonorum. Divisio haec bonorum abbatialium et conventualium in monasterio de Tongerlo in eo sita est quod Conventus habeat a 200,300,400 et amplius annis certa bona quae alibi pitantiae vocantur, sibi donata et assignata, et ab Abbatibus distincta, consuetudo autem et observatio immemorialis habet, quod bona conventualia, tamquam specialiter Conventui data et asssignata, debuerint dispendi in usum Conventus, adeo ut Abbas, licet sit supremus eorum administrator, non possit ea impendere in mensam suam, prout ea servatur distincta a mensa conventus nec in frabricam, hospites aut alios usus ad quos ipse abbas ex bonis abbatialibus vi huius observantiae est obligatus, sed admininistratio eius in eo coarctatur quod ea debeat dispensare in mensam et usum Conventualium. Alia bona monasterii administrat Abbas, et impendit in suam mensam, fabricam, Ecclesiam, hospites et pauperes etc. eodem modo sicut alii Ordinis nostri Abbates, ut proinde non possit vendere aut alienare bona immobilia aut aliud gravis momenti facere sine consensu conventus, sed debet sese in administratione horum bonorum praecise conformare Statutis et Canonibus sicut alii Abbates; unde de his bonis nulla est difficultas, quia sunt omnino communia Abbati et conventui ut exinde ex his Abbas teneatur conventui succurrere si pitantiae minus sufficiant, et reciproce conventus ex bonis conventualibus Abbati in casu indigentiae. Est autem Abbas, ut patet ex duobus primis paragraphis, omnium bonorum, tam abbatialium quam quam conventualium, supremus administrator, utpote a cuius nutu et ordinatione provisor et cellarius, ambo ad nutum*

[133]) Cfr supra Acta n° 33.

amovibiles, aequaliter dependent in suis functionibus (798), *ita ut sicut provisor non possit excedere ordinationes Abbatis, sic nec cellarius, sed perfecte eius ordinationibus subsunt, prout ordinant Statuta, cap. de Provisore et cellario; adeo ut cellarius nihil vendere aut alienare aut emere possit, redditum annuum creare vel ordinare, nil addere vel adimere de portionibus fratrum, nisi de consensu et praescripto Abbatis; tenetur quoque idem cellarius reddere et reddit singulis annis receptorum et expensarum Abbati cum priore et suppriore praecisum computum; pecuniae superfluae reponuntur et custodiuntur sub triplici clave quarum unam servet Abbas; itaque cellarius administrat sibi commissa cum perfecta dependentia ab abbate, sicut in aliis monasteriis conformiter ad Statuta, adeo quod his sit tantum unus administrator independens, qui si id per se facere posset, nec provisore nec cellario ageret, unde in rei veritate omnes vestiuntur ex uno vestiario et pascuntur ab uno cellario, scilicet ab uno administratore, licet officiales sint personae distinctae. Ex his liquet inter administratorem bonorum temporalium Monasterii nostri et aliorum Praemonstratensis Ordinis monasteriorum, ubi nulla bonorum observatur divisio, hanc esse differentiam, quod abbas Tongerloensis restringatur bona conventualia, ex vi huius consuetudinis et divisionis, administrare tantum in usum et utilitatem conventus, nec possit, sine consensu eiusdem, illa applicare suae mensae, aut aliis ad quae ipse est obligatus ex bonis abbatialibus, alii tamen Abbates habeant nonnihil largiorem dispensandi latitudinem, quod nempe possint etiam redditus annuos ex bonis conventualibus provenientes suae mensae, fabricae et aliis impendere, a quo abbas Tongerloensis per hanc divisionem impeditur. Per haec satis clare evaditur omne periculum proprietatis, cui expositum conventum aliqui autumabant, dum sine legitima authoritate et causarum approbatione conventui suorum bonorum administrationem ab Abbate independentem adscribebant, cum per nostram divisionem bonorum, conventualia Abbatis administrationi non subtrahantur, sed dependenter ab ipso in solam utilitatem et usum conventus expendantur per officialem ab ipso constitutum et ad nutum amovibilem, ut supra dictum saepius. Actum anno a Nativitate Domini 1660, mensis Aprilis die 14. Ita testantur infrascripti: fr. Augustinus, abbas Tongerloensis; f. Lambertus de Leeuw, prior, fr. Walterus Van Hilst, supprior; f. Matthaeus Van der Bist, praepositus Horti Conclusi et deputatus a pastoribus et vicariis districtus Herentalensis, etc. Capitulum etiam mandavit expediri confirmationis eiusmodi instrumentum et dictis*

deputatis tradi, sigillo Capitulari munitum et secretarii subscriptione roboratum[134]).

[62] Item, lectus est libellus supplex fr. Augustini Desprez, Carthovorensis, et traditus Patri Claudio Caillieu, eius Priori, ad respondendum coram RR. DD. Visitatoribus Ecclesiae Praemonstratensis, qui sedente Capitulo visitabunt et ad dictum libellum responsum habentes, quod iustum fuerit, decident.

[63] Item, reproposita est quaestio quae de Collegio fuerat sess. 4 proposita et indecisa[135]). Capitulum, auditis etiam Patribus Prioribus diffinit Collegium praedictum esse reparandum; de modo autem et quibus mediis id fiat relinquitur Revmo Domino Praemonstratensi deliberandum cum RR. DD. Abbatibus Galliae qui praesenti Capitulo intersunt, et decidendum.

[64] Item, quaesitum est a R.D. Claudio Lesquiere, priore S. Ioannis Ambianensis, an pastores seu beneficiati possint aedificia construere in prioratibus vel beneficiiis, sine licentia? Capitulum diffinivit non posse notabilia vel inutilia.

[65] Item, quaesivit R.D. Vallis Serenae an possint pastores dare parentibus notabilem summam pecuniae, absque licentia Superioris sui Monasterii? Capitulum quaestionem ad Statuta remittit, quae negant posse.

[66] Item, proponente Rev. admodum Dom. Floreffiensi, an religiosi Ordinis, casibus reservatis irretiti, valide absolvantur a religiosis mendicantibus, aut aliis non Ordinis nostri privilegiatis, quando non acceperunt facultatem apud praedictos confitendi? Capitulum diffinivit non valide absolvi, idque iuxta Breve Urbani octavi de anno 1630, die 19 Iunii, quod incipit: *In specula militantis Ecclesiae*[136]).

[67] Item, proponente Vener. Christophoro De Heest, lectore Floreffiensi, an sine licentia possint mittere religiosi epistolas? Capitulum diffinivit nec eas posse mittere, nec accipere sine licentia, et mittendas debere dari Superiori sigillo communi sigillandas.

[68] Item, lectus est textus n. 16 cap. 6, Dist. 1 Statutorum, qui sic

[134]) Haec expositio ex integro inserta fuit in decreto capitulari diei 29 Aprilis 1660, cuius copia authentica asservatur in AAT, IV, 86, nº 55 et IV, 367, nº 1; ed. apud H. LAMY, *Documents inédits* ..., p. 73 et 76-80.

[135]) Vide supra Acta nº 26.

[136]) De facultate eligendi confessarium ad Regulares utriusque swxus et cuiuscumque Ordinis non extendenda nec extra forum conscientiae, cfr. C. COQUELINES, *Bullarum ... amplissima collectio*, Romae, 1758, t. VI, pars I, p. 222-223.

habet: *Religiosi nulli casui reservato implicati, Praelatis suis confiteri non teneantur inviti, nec ad id ab iisdem constringi queant nisi semel in anno; idque semel* (800) *circa festum Paschae, circa quod tum intranei, tum extranei, pastores et beneficiati Praelatis suis, aut aliis, (quos Praelati ad hoc specialiter deputare obligantur) confiteri teneantur. Huius autem decreti violatores vivi ab ingressu Ecclesiae, et mortui a sepultura ecclesiastica prohibeantur.* Et quaesitum fuit an poena ibi specificata non sit nimium gravis? Capitulum diffinivit dictam poenam esse solum pro contumacibus.

[69] Item, ad eumdem textum in specie ad verba: *quos praelati ad hoc specialiter deputare obligantur*, quaesitum est an Praelati teneantur pro beneficiatis deputare confessarios alios, quam qui deputantur pro Conventibus? Capitulum diffinivit, non teneri.

[70] Item, quaesitum est a praedicto lectore Floreffiensi an vigiliae defunctorum non sint tollendae per Octavas 2ae classis? Capitulum diffinivit non esse tollenda, sed inhaerendum rubricis Breviarii.

[71] Item, quaesitum est an officium Praelati in pontificalibus non debeat restringi ad festa 1ae et 2ae classis? Capitulum diffinivit Praelatos non teneri ad officiandum in festis 2ae classis, et eodem decreto ad 1am classem evexit et evehit festa Assumptionis B.M.V., principale festum patroni Ecclesiae, dedicationis et omnium Sanctorum, ad 2am vero festum S.P. nostri Augustini.

[72] Item, quaesitum est quando Octava patroni ecclesiae concurrit cum Octava Visitationis et Navitatis B.M.V., utrum Octava patroni sit praeferenda Octavae B. Mariae Virginis? Capitulum declaravit quaestiones cessare ex praecedenti decreto.

[73] Item, supplicavit Vener. P. Claudius Faure, prior Branensis, permitti a Capitulo ut deinceps celebretur in ecclesia S. Evodii de Brana festivitas reliquiarum quarum multas habet dicta ecclesia, annuens non tantum dictae ecclesiae sed et singulis Ordinis ecclesiis, quae multas sacras habent reliquias, permitti ut eiusmodi festivitas ad instar 3ae minoris classis celebretur. Eiusdem autem patris supplicationem pro licentia celebrandi in eadem ecclesia Branensi ad instar 3ae classis festum Beatae Mariae Magdalenae, eo quod ibi asservatur notabilis pars reliquiarum praedictae Sanctae, Capitulum non admisit.

[74] (801) Item, petivit pater prior Liskensis a quo religiosi possidentes pastoratus regulares dependentes ab alio quam suae professionis monasterio debeant corrigi? Capitulum diffinivit eos debere corrigi a superiore monasterii professionis; quod si monitus non correxerit, debere puniri a

superiore monasterii a quo pendet beneficium, si tamen esset scandalum aut periculum in mora, superiorem monasterii beneficii posse se securum de delinquente reddere, idque expensis monasterii professionis. Item petiit ad quod monasterium pertineant bona decendentium pastorum, an ad monasterium professionis, an vero ad monasterium unde pendet ipsum beneficium? Capitulum respondit servandum esse usum et consuetudinem patriae. Item an teneantur Praemonstratenses pastores quando moriuntur in suis pastoratibus, solvere aliquid decanis ruralibus sicuti caeteri pastores saeculares solvunt? Capitulum diffinit non teneri.

Item Revmus D. Generalis pro solito sessionem hanc suo decreto conclusit et aliam ad 2am pomeridianam indixit.

Sessio octava pomeridiana. 29 Aprilis 1660.

[75] Fusis precibus pronuntiatoque per Revmum D. Generalem *Benedicite* admodum R.D. Floreffiensis quaesivit an monasterium obligetur ad Missam quotidianam quam aliquis Praelatus, ut certo constat ex instrumentis, fundavit ex proventibus monasterii? Capitulum diffinivit non teneri.

[76] Item, Rev. Dom. Floreffiensis exponit Capitulo turbationes monasterii Viconiensis provenientes ex eo quod nuper defunctus Abbas[137]) adhuc vivens fr. Matthiam Navante suum nepotem voluerit promovere ad officium prioris, reclamante conventu, quodque conventus recursum habuerit ad Revum Generalem ut dignaretur deputare commissarios, qui inquirerent de idoneitate, vita et moribus dicti Matthiae, et commissarius executus fuerit commissionem, et post nonnulla per RR. DD. Furnensem et Bonae Spei dicta, Revmus Dominus dixit se vidisse informationes, ad se per R.D. Furnensem suum commissarium remissas, vidisse etiam scripturas quas ipse fr. Matthias attulisset pro sui defensione, et nihilominus per suas patentes declarasse dictum fr. Matthiam inhabilem esse ad prioratus officium, et ad dictum officium applicasse (802) fr. Michaelem Desfontaines, suppriorem Viconiensem quousque monasterio provisum sit de abbate, et mandasse ut eiusmodi declaratio fr. Matthiae intimetur.

[77] Item, Rev. Dom. Domnimartinensis petiit an recedendum a decreto ultimi Capituli Generalis, quod sic habet[138]): *Item, ad instantias*

[137]) Christophorus Labbe, abbas Viconiensis (= Vicogne), 1642-1160. BACKMUND, II, 437.

[138]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, nº 196.

Vener. P. Augustini Guillard, vicarii Communitatis antiqui rigoris, Capitulum respondit et decrevit expediri mandatum R.D. Ioanni Gombervaulx, abbati Salinae Vallis[139]*), ut statim recuset resignationem suae Abbatiae in Curia Romana in favorem cuiusdam saecularis factam, et interim reprobat illam, et procuratori Ordinis mandat ut illius effectum impedire studeat*, contra quod decretum Francisci de Villequoy[140], praedictus resignatarius Capitulo supplicat. Capitulum, lecto publice eiusdem Francisci libello et auditis desuper RR. DD. Abbatibus Mussipontano moderno et seniori, et non obstantibus iis quae per eos dicta sunt, decernit stadum esse decreto, et mandat procuratori generali Ordinis, ut pro virili in curia Romana se opponat.

[78] Item, ad relationem Rev. Dom. S. Andreae in Nemore, Vicarii Pontivi, Capitulum mandat Visitatori Grandis Campi[141]) ut urgeat bona arrestata applicari ad reparationem Monasterii, reformationem morum fortiter procuret, et provideat de Priore.

[79] Item, Rev. Dom. Abbas S. Mariae Mussipontanae supplicavit pro monasterio Ianduriarum[142]), ut festum S. Christophori ibi fiat secundum modum tertiae classis, propter reliquias eiusdem Sancti in dicto Monasterio asservatas, et populi frequentem concursum; Capitulum commisit Visitatori ut de eiusmodi reliquiis factam inquisitionem ad Capitulum generale referat.

[80] Item, Rev. Dom. Parcensis retulit Capitulo se visitasse totam Brabantiae Circariam, et nil invenisse quod minus sit inordinatum.

[81] Item, petiit idem Rev. Dominus ut permittat Ecclesias Brabantiae ut in diebus Dominicis et festivis exponatur Venerabile Sacramentum et fiant Laudes per responsorium, hymnis, collecta, organi pulsum et solemnem populi impertiendo benedictionem. Capitulum permisit et permittit id fieri, in festis 1ae et 2ae classis in templo festivis et dominicis diebus per annum; quam licentiam extendit ad monasterium Wadegotiae, ad requisitionem R.D. Abbatis Wadegotiensis praesentis, et commendat Capitulum omnibus religiosis Brabantiae et Wadegotiae ut diligenter iisdem Laudibus assistent.

[139]) Ioannes de Gombervaux, abbas Salinae Vallis (= Salival) départ. Moselle, dioecesis Metensis (= Metz). BACKMUND, III, 107.

[140]) Franciscus de Villequoy annis 1666-1668 abbatiae Salinae Vallis praefuit. BACKMUND, III, 107.

[141]) Grandis Campus (= Grandchamps), départ. Seine-et-Oise, dioecesis Carnotensis (= Chartres), abbatia in commendam data Carolo de Cocherel (1658-1678).

[142]) Jandeures, départ. Meuse, diocesis Virdunensis (= Verdun). BACKMUND, III, 75.

[82] Item, petiit deputari aliquos de Capitulo Praelatos, qui examinent computus alias expensarum pro Ordine per Abbatem Parcensem (803) et Ninivensem in Curiis Romana et Hispanica. Capitulum deputavit et deputat RR. DD. Wadegotiensem et Sorethanum.

[83] Item, petiit R.D. S. Michaelis ad cap. 6, Dist. 3, Stat. nr. 7, ubi legitur: *si autem habetur in hac re, etc. imponatur Conventui unius diei ieiunium, etc.*[144]), utrum Conventus debeat ieiunare in pane et aqua, respondit: Negative.

[84] Item, ad petitionem eiusdem, respondit Capitulum etiam in Quadragesima debere recitari septem psalmos pro exequiis fratrum etiam si in illo die fuerint in officio canonico recitati.

[85] Item, R. Dom. Macarius Simeomo, vicarius coenobii Venerabilis Sacramenti Antverpiensis, petiit ordinari et mandari ut in Ordine celebrentur festa Sanctorum Ordinis, videlicet Gerlaci, Gertrudis, Frederici, Hermanni, et Godefridi, cum sit de iis par ratio quam de sancto Gilberto. Siquidem S. Gerlacus etiam publicum habet officium in dioecesi Ruremondensi, cum S. Gilbertus in dioecesi Claromontensi. De S. etiam Gertrude facta est a Clemente sexto potestas celebrandi officium per modum festi 2ae classis, cum collatis indulgentiis. Si vero Siardi reliquiae sunt[145]) authoritate Clementis octavi, solemniter elevatae, per Episcopos Ruremondensem, Antverpiensem, et Buscoducensem et publicae venerationi expositae, S. Fredericus ante 400 annos fuit per totam Frisiam publice cultus uti sanctus; habet altare etiam S. Hermannus Ioseph ab immoriali tempore et per Germaniam colitur publico cultu. Cum publica veneratione Warnerus episcopus Monasteriensis[146]), levavit reliquias S. Godefridi; et haec omnia clare patent ex libello manuscripto[147]) qui datur, in quo sunt fundamenta et rationes, cur totus Ordo

[143]) Vide infra Acta 120. cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, notam 368.

[144]) Agitur de eorum poenitentia qui circa sacrosancta Missae essentialia vel necessaria aliquem errorem admittunt. Textus Statutorum sic sonat: «Si autem hac in re grave peccatum, vel scandalum sibi quisque privatim infligat et unius dei ieiunium et ad utrumque ipse quoque abbas sit obligatus.»

[145]) Pars exuviarum sancti Siardi Horti-Sanctae Mariae (= Mariengaarde) in Frisia abbatis (1194-1230), sub abbate Adriano Stalpaerts anno 1617, solemniter translata est in ecclesiam Tongerloënsem. Cfr. W. VAN SPILBEECK, *De abdij van Tongerlo*, Lier-Geel, 1888, p. 439-442.

[146]) Warnerus, episcopus Monasteriensis (= Münster) (1132-1151) levavit exuvias Beati Godefridi Cappenbergensis. Cfr. *Acta Sanctorum, Ianuarii*, t. I, Antverpiae, 1643, p. 854.

[147]) Agitur de studio, iam anno 1656, — probabiliter intuitu capituli generalis proxime celebraturi — a Macario Simeomo confecto sub titulo *De cultu et veneratione Sanctorum*

Praemonstratensis posset publice dictos sanctos colere, et Breviario suo inserere. Capitulum dictum libellum commisit R.D. Abbati Mussipontano, et R.P. Norberto Caillieu, priori Praemonstratensi S.T. doctoribus, et R.P. Ioanni Luckenrath, priori Merensi examinandum.

[86] Item, dictus P. Macarius quaesivit an non esset etiam decernendum ut omnes religiosi nostri Ordinis utantur privilegiis omnium Ordinum et Congregationum, quandoquidem noster Ordo iis gaudet?

[87] Revmus Generalis inclinata ad vesperam die sessionem suo decreto terminavit et aliam ad horam diei sequentis octavam indixit, postquam Capitulum invocasset decretum ultimi capituli Generalis sess. 18, quod sic habet: *Capitulum committit et deputat Rev. D. Abbatem S. Andreae in Nemore et Priorem S. Petri* (804) *Selincurtensis, ad informandum de commodo et incommodo petitae reductionis et permutationis duorum molendinorum in pago de Tigny a Coenobio Domnimartinensi dependentium et ad Revmum Dominum Praemonstratensem referendum, qui sua et Capituli Generalis authoritate, venditionem aut permutationem permittat, confirmet, aut impediat, prout viderit expedire*[148]).

Sessio nona Matutina. Die 30 Aprilis 1660.

[88] Fusis ad Deum solitis precibus, dictoque a Revmo. Dom. Praemonstratensi, *Benedicite*, R.D. Parcensis quaesivit an non videatur aliquo mutandum in decreto ultimi Capituli Generalis, sess. 28, quod sic habet: *Item Capitulum decernit ut in Quadragesima possunt legi deinceps in choro septem psalmi post sextam a quattuor Canonicis per superiorem deputandis; similiter quo Vigilae Defunctorum in eadem Quagragesima a quattuor recitari poterunt et utrobique omnes interesse debebunt, ubi deputatio non fuerit a Priore facta*[149]), Capitulum diffinit intactum reliquendum esse decretum.

[89] Item, eodem ad Dist. 4 Statutorum, cap. 6, n. 3[150]) proponente

quorumdam S. Ordinis Praemonstratensis necdum a Sede Apostolica canonizatorum aut beatificatorum S. Gerlaci, Stae Gertrudis, St Siardi, Sti Frederici, Sti Hermanni-Ioseph, Sancti Godefridi et Sancti Gilberti quaestiones tres ... Historice ac Theologice discussae a fratre Macario Simeono, S. Theologiae Licentiato ac Lectore in Coenobio Antverpiae 1656, ms. in folio, 43 pp. in AAT, V, ms. 55 — Cfr. GOOVAERTS, II, 183.

[148]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 156.

[149]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n°

[150]) «Hoc vero permaneat perpetuo decreto stabilitum, ut de coetero praeter collectas in Capitulo generali indictas, nulla aliae collectae seu contributiones in Ordine fiant, nisi pro communibus ipsius Ordinis negotiis, vel pro sublevanda aliqua domo Ordinis nostri, gravi paupertate pressa. In quibus casibus si Capitulum generale commode possit exspectari ipsius iudicio et consensu huiusmodi collectae fiant.»

an conveniet decernere, ut quantumvis in qualibet Circaria possit fieri aliqua bursa communis, per annum deponendum in aliquo Monasterio apud certum Praelatum pecuniam quae expendatur in communes Circariae nesessitates, vel in Monasteria egestate laborantia; Capitulum relinquit discretioni Praelatorum et Superiorum onerata conscientia, ut non applicetur eiusmodi pecunia communis nisi in bonum Circariarum non etiam contra Ordinis unitatem.

[90] Item, proposuit Vener. Pater Bernardus Simonet, prior Ecclesiae Septem Fontium in Therascia, quod a paucis annis f. Ioannes Perraté, religiosus sui Monasterii et pastor in Toyrné, fuerit occisus a quodam nobili qui postea damnatus est ad mortem, et ad pecunias monasterio exeluendas, quodque ipse Prior proponens habeat dictas pecunias, easque petat mandari applicari utilitati sui Conventus, scilicet fundationi anniversarii, quod pro anima defuncti celebrent fratres Septem Fontium, libris coëmendis, et mobilibus pro infirmitorio, et hospitum conclavi necessariis, cum haec omnino desint in dicto Monasterio, quod militari occupatione saepius exspoliatum constat. Capitulum mandavit et mandat praedictas pecunias applicari ut petitur.

[91] Item, proposuit R.D. Sorethanus, quo R.D. Abbas Osterhoviensis[151]) habeat magnam pecuniae vim qua non utitur, quod etiam in Circaria Bavariae, Monasterium Novae Cellae (805) prope Frisingam[152]) sit ruinae proximi, nolit tamen Dominus Osterhoviensis, licet requisitus, succurrere Novae Cellae, petiitque a Capitulo remedium. Capitulum diffinivit scribendum amico stylo ad Dominum Osterhoviensem, ut succurere non gravaretur Novae Cellae accepta securitatis indemnitate.

[92] Item, proposuit Vener. P. Macarius Simeomo, Antverpiensis, an lectores Theologiae qui actualiter docent non sint habendi inter maiores de domo? Capitulum diffinivit lectores Theologiae qui actualiter docent esse et habendos esse de maioribus domus, non tamen dat eis stalli precedentiam, idque non obstante decreto ultimi Capituli Generalis, Sess. 7[153]), cui hac in parte derogat.

[93] Item, lecta fuit supplicatio Vener. Patris Van Wemmele, nuper

[151]) Osterhofen, in Bavaria inferiori, dioecesis Passaviensis (= Passau); abbas, annis 1630-1672, erat Christophorus Dimpfl. BACKMUND, I, 17;

[152]) Neustift prope Freising in Bavaria superiori, dioecesis Monacensi-Frisingensi (= München-Freising). BACKMUND, I, 12. Anno 1634 canonia tota diruta fuerat.

[153]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, nº 31 ubi decretum fuit Doctoribus et Lectoribus Theologiae non esse aliquod honoris privilegium donandum.

prioris in Nova Cella prope Frisingam, et Pauli Van Dale, Grimbergensium canonicorum, tendens ad hoc ut Capitulum dignaretur deputare Patres qui examinent scripturas Capitulo datas, et videant an ipsi a Monasterio Grimbergensi ad Monasterium Neocellense et in Bavariam requisiti et missi potuerint postea eiici a Rev. Dom. Matthaeo Urspergensi abbate[154]), patre Abbate monasterii Novae Cellae, propterea quod linguam germanicam non bene calluerint, de quo defectu non erat apud Patres Bavaros, antequam eo vocarentur, ignorantia; lecta etiam eiusmodi supplicatione R.D. Sorethanus nomine Rev. Dom. Urspergensis luculenter discurrens Capitulo exposuit quod magnus sit apud RR. DD. Bavaros dolor, quod aliqualis orta sit, propter praedictos supplices, inter RR. DD. Brabantos et RR. DD. Bavarios altercatio; se nomine Bavarorum precari Brabantos ut eiusmodi altercatio in discordiam non degeneret, memoratos supplices non fuisse propter aliquod crimen, aut alicuius criminis suspicionem ad monasterium Grimbergense per visitatorem remissos, sed propter maius bonum, et se humiliter supplicare Patribus Capituli, ut signanter advertere dignentur ordinem pessum ire debere, si Praelati in singulis suis ordinationibus ad apicem iuris respicere debeant, et si quilibet Ordinis Officiarius et, obedientiam habens nominatam sibi persuadeat se non posse ab officio et obedientia absolvi, nisi crimen praestiterit; posse siquidem Praelatus, qui bonum habet Officiarium absolvere, ut meliorem eius loco constituat, nec permittendum est ut quis de eo dubitare valeat, nisi Capitulum velit omnia turbari et confundi, non aliter factum esse, prout ex scripturis Capitulo praesentatis liquere potest. Praeterea se etiam orare ut deputentur examinatores qui referant. Tunc R. Dom. Grimbergensis pauca locutus dixit, sibi esse gratissimum ut deputentur qui causam examinent, se iustitiam administrari petere, interim non videri verum suos religiosos bene fuisse habitos, ut quibus sit denegata unius noctis pernoctatio. Capitulum (806) partibus satisfaciens deputavit R.D. Abbatem Vallis Serenae, R.P. Priorem Praemonstratensem, et R.P. Simonet, priorem Septem Fontium et ibi alium Theologiae lectorem.

[94] Item, proposita fuit quaestio an in sessionibus Capituli Generalis vel alibi non debeat teneri locum iuxta installationem Praelatorum? Capitulum pacis et charitatis retinendae causa diffinivit tenendum esse in solo Capitulo Generali locum iuxta intallationem, sine respectu ad Circarias, et sine praeiudicio in aliis consessibus. Quo decreto non

[154]) Matthaeus Höchenrieder (1628-1672).

comprehendit Revmum D. Generalem, nec admodum RR. DD. Abbates S. Martini Laudunensis, Floreffiensem et Cuissiacensem, quia eorum inviolabilem vult prae caeteris omnibus retinere praecedentiam, diffinit. Etiam quod diffinitores qui erunt Praelati debeant in eodem Capitulo Generali praecedere non diffinitores, etiamsi non diffinitores essent diffinitoribus installatione antiquiores.

[95] Item, Dom. Grimbergensis dixit se visitasse Furnense Monasterium et reperisse non servari distributionem temporis. Respondit Rev. D. Furnensis id fieri propter publicas scholas quibus sui praesunt religiosi[155]); caeterum defectum esse parvi momenti et modicum.

[96] Item, lecta est instrumenti copia qua praetendit Rev. Furnensis monasterium suum esse fundatum anno 1120, et incipit: *Ioannes, Dei gratia Morinorum episcopus, dilecto suo filio Nicolao*, etc.[156]), et post aliquot verba a RR. DD. Grimbergensi et Furnensi dicta, Rev.D. Furnensis publice dixit se per haec non diffiteri Dom. Abbatem Grimbergensem esse patrem Abbatem Ecclesiae Furnensis, sed ex paternitate, quae potuit esse a Capitulo Generali commissa, non sequi praecedentiam.

[97] Item, quaesivit secretarius an Visitator debeat ostendere Superiori domus visitatae decreta servanda antequam ea in loco capitulari publicet? Capitulum decernit servari Statuta, dist. 4, c. 16[157]), et super decretis formandis debere audiri Praelatum seu Superiorem domus.

[98] Item, quaesivit secretarius an Visitator possit inaudito Superiore

[155]) Religiosi canoniae Furnensis in Flandria annis 1617-1713 direxerunt scholam latinam in civitate Furnensi sitam, ac insuper erexerunt gymnasia in Diksmuide et Nieuwpoort. Annis 1624-1662 praefuerunt Collegio Ordinis Praemonstratensis Duacis (= Douai) instructo. BACKMUND, II, 430.

[156]) Citat abbas Furnensis *Chartam donationis* «sive donum Dompni Ioannis Morinorum Episcopi, de prima fundatione Abbatiae et altaris S. Nicolai, S. Dionysii et Pervise cum ceteris bonis. Actum Furnis anno Dominicae Incarnationis MCXX, Indictione XIII, XII Kal. Iulii». HUGO, Annales, Probationes, II, col. ccxiii-iv.

Hoc tamen instrumentum non indicat momentum fundationis abbatiae. Cfr. N. HUYGHEBAERT, et H. ANECA, in *Monasticon belge*, t. III, vol. III, Liège, 1974, p. 593. Fundatio capituli canonicorum regularium S. Nicolai evenit inter initium pontificatus Ioannis de Warneton, Morinorum episcopi, et 20 Iunii 1120. Anno 1135, sub pontificatu Milonis Terwanensis, capitulum Furnense ordini Praemonstratensi aggregatum fuit. Postea abbas Grimbergensis paternitatem canoniae Furnensis assumpsit, postquam eam primo forsan abbas Lisquensis obtinuit. N. HUYGHEBAERT et H. ANECA, *art. cit.*, p. 594.

[157]) «Ut vero nullus inauditus damnetur, et multa quoque incommoda evitentur et quae sunt statuenda, certam habeant executionem, si quid propositum sit, quod aliquatenus abbatem vel alios superiores concernat, antequam quidquam statuatur vel publicetur, prius desuper audiantur ac iis auditis, eorumque rationibus expensis, statuant visitatores, quod in Domino statuendum iudicaverint.»

loci mutare, quae ipse Superior prius ordinaverat? Et dilata resolutio est ad proximam sessionem, quae, decreto Revmi D. generalis indicta est ad horam secundam pomeridianam.

Sessio decima pomeridiana, die 30 Aprilis 1660.

Praemissis ad Deum precibus, dictoque a Revmo D. Generali, praeside, *Benedicite*, ad quaestionem factam a fine praecedentis sessionis, an videlicet Visitator possit inaudito loci Superiore, mutare quae ipse Superior prius ordinaverat? Capitulum dixit esse solutum per hoc quod dictum est Visitatores debere audire Praelatum seu Superiorem domus super decretis formandis.

[99] (807) Item, Rev. D. Grimbergensis petiit deputari ex Brabantia Praelatos qui iudicent diffinitive de praecedentia cui competat inter illos, an Domino Grimbergensi, an Dom. Furnensi? Et Rev. D. Grimbergensis petiit pro sua parte deputari Rev. Dom. Ninivensem. Rev. autem Furnensis petiit sibi licere differre in crastinum suam resolutionem et impetravit.

[100] Item, Sanctimoniales Leliendalenses[158]), ore secretarii exposuerunt Capitulo, videlicet indecens esse ut iis processiones per ambitus seu claustrum facientibus, sacerdos interim manet et exspectet in templo, ideo petunt a processionibus faciendis eximi, demptis diebus Purificationis, Palmarum, Rogationum, et Litaniarum maiorum; Capitulum committit Vicario Brabantiae ut quod fuerit decens decernat.

[101] Item, a Rev. Dom. Domnimartinensi lecta est supplicatio ex parte Rev. Dom. Abbatis Castri Mauritaniae[159]), modo dignetur succurrere paupertati dicti monasterii Castri Mauritaniae. Capituli Patribus non est visa tanta paupertas, ut pro ea alia Monasteria inopiam patientia se gravare debeant.

[102] Item, Rev. Dom. Domnimartinensis ex charta legit quod E. Dom. Ledé, abbas S. Andreae in Nemore, Capituli Generalis in hac parte Commissarius, reduxerit in Monasterio S. Augustini Morinorum[160])

[158]) Leliëndaal, canonia sororum sub immediata paternitate abbatis Praemonstratensis posita, prius in Hombeek, prope Mechliniam (= Mechelen) fundata, anno 1592 intra moenia eiusdam civitatis translata fuit. BACKMUND, II, 299-301.

[159]) Canoniam Castri Mauretaniae (Châteaudieu vel Château-l'Abbaye) départ. Nord, dioecesis Cameracensis (= Cambrai) annis 1650-1675 rexit Michael Roguet. BACKMUND, II, 408.

[160]) Thérouanne, St. Augustin, départ. Pas -de-Calais, dioecesis Atrebatensis (= Arras). BACKMUND, II, 421.

aliquas Missas et alia Chori onera; habebant siquidem 32 servitia singulis annis solemniter celebranda, quae reducta sunt ad decem; habebant 95 Missas privatas quae reductae sunt ad decem; habebant antphonam: *Salve* etc. singulis Dominicis et festis B. Mariae Virginis cum duobus accensis luminaribus, quae reducta est ad Dominicam Adventus et Quadragesimae, et ad festa B. Mariae Virginis, quia pro praedictorum pensu vix habent summum 50 librarum Turonensium, et hae fundationes longe factae sunt ante Concilium Tridentinum.

[103] Item, Rev. Dom. Ninivensis petiit ut deputaretur aliquis qui authoritate Capituli examinet fundationes Ecclesiae Ninivensis, et prout ratio dictaverit, reducat Missas et alia Sacra. Capitulum deputavit et deputat Vicarium Brabantiae.

[104] Item, Vener. Pater Simeomo saepe supra nominatus, S.Th. licentiatus, retulit causam et processum fr. Francisci Sanchez, canonici Furnensis. Et auditis omnibus pro et contra dictis et actis, Capitulum diffinivit per interim, et diffinit dictum fr. Franciscum Sanchez, canonicum S. Nicolai Furnensis, retinendum esse in carcere, donec poenitentiae signa dederit, de quibus facta relatione Revmi. Domini Praemonstratensis aut proximo Capitulo Generali fiet quod erit consilii. (808) Item, facta relatione per Rev. Patrem Ioannem Luckenrath, priorem Marensem, a Capitulo Generali ad hoc deputatum et octo causarum a Rev. Domino Abbate Parcensi et fr. Ioanne Morelle allatarum quibus dictus D. Furnensis suspectavit R. D. Domnimartinensem in causa inter dictum D. Furnensem ex una parte, et fr. Franciscum Sanchez ex altera, vertente commissarium, Capitulum diffinivit et diffinit Rev. Dom. Domnimartinensem frivole a Rev. Dom. Abbate Furnensi et dicto fr Ioanne Morelle fuisse suspectatum, et ne deinceps frivolis suspectationibus eludantur Ordinis commissiones diffinit Capitulum ut quicumque deinceps frivole suspectaverit condemnetur ad expensas a Commissariis pro suae commissionis executione factas, et ex nunc prout ex tunc quemcumque frivole suspectantem condemnat.

[105] Item, Rev. Dom. Abbas Wesaliensis et Knechtstedensis[161]) peiit gratiarum actionem per Capituli litteras fieri Eminentissimo Domino Electori Coloniensi[162]), Serenissimo Duci Neoburgio, et Cancellario Ducatus Gueldriae, quibus etiam litteris petatur continuatio favoris. Capitulum mandavit ad praedictos scribi litteras. Ad eiusdem petitio-

[161]) Ioannes Fraisinne.
[162]) Maximilian Henricus von Bayern.

nem, Procuratori mandavit ut Romanae vigilet in causam Knechtstedensi, Capitulum annuit[163]).

[106] Item, lecta est epistola Domini Meldart praepositi Langwadensis[164]), coniuncta cum computu expensarum in negotio Knechtstedensi commisionem Capituli Generalis exequendi. Capitulum commisit legendum computum Rev. Domino Priori Marensi, examinandi et Capitulo referendum.

[107] Item, quaesivit secretarius an pro Monialibus Statuta sint germanice imprimenda? Capitulum diffinit posse in iis quae Moniales concernunt vernacule typis mandari sub approbatione Vicarii Circariae, quae Moniales habuerit.

[108] Item, Rev. Dom. Luckenradt proposuit vix reduci posse ad observationem regulae Monasteria Clarholz, Hambornense, Scheidense, Cappenbergense et Warlariense[165]) nisi a Capitulo Generali impetrentur litterae Caesaris. Capitulum committit eidem Luckenradt proponenti ut faciat capitulares ad Caesarem litteras; et committit R.D. Strahoviensi[166]) ut sollicitet effectum. Item, retulit quod Monasterium Scheidense quaeratur de ablato Archivo suo, et per collusionem fratris Greuterii prioris Tremoniensis[167]), ad. Dom. Leonardum Teveren, alias Abbatem Knechtstedensem[168]) translato; et inclinata ad vesperam die, Revmus suo decreto sessionem conclusit et aliam indixit in crastinum hora circiter 6a matutina.

(809) *Sessio undecima, die prima Maii matutina.*

[109] Precibus ad Deum directis, dictoque a Revmo Praeside «*Benedicite*» Rev. Dom. Ioanne de Fraisinne, abbate Wesaliensi et

[163]) Vide supra notam 15.

[164]) Cfr. Acta Cap. Gen. V, 1657, n° 190, cum nota 341.

Andreas van Meldert praepositus in Langwaden et Ioannes Puteanus, praepositus in Keizersbosch, a capitulo generali missi fuerunt ut electionem praepararent successoris abbatis Leonardi Teveren qui a capitulo generali anni 1657 depositus fuerat.

[165]) Cfr. BACKMUND, I, 189-190; 207-211; 248-250; 186-189; 258-260. Agitur de canoniis ubi tantum candidati nobiles admittebantur.

[166]) Vincentius Frank cui ob titulum sacellani Imperatoris, facilior aditus ad aulam caesaream patebat.

[167]) Ioannes Creuterius, ex Colonia Agrippina, uti prior praefuit sororum canoniae in Tremonia (= Dortmund). cfr. W. GOSSES, *Eine neue Knechtstedener Handschrift*, in *An. Praem.*, XIV, 1938, p. 211; F.W. SAAL, *Das Dortmunder Katharinenkloster* (*Beiträge zur Geschichte Dortmunds und der Grafschaft Mark*, LX), 1963, p. 32.

[168]) Abbas Leonardus Teveren a capitulo generali 1657 depositus fuit. Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 190.

Knechtstedensi proponente, Capitulum scripturas a proponente datas, et negotium Kechtstedense concernentes commisit Rev. Dom. Ninivensi et priori Marensi legendas et Capitulo contentum earum et meritum referendum.

[110] Item, Rev. Dom. Floreffiensis proposuit libellum supplicem Rev. P. de Hullegarde, Minoritae, et procuratoris in causa Canonizationis SS. Gorcomiensium[169]). Capitulum mandavit fieri capitulares litteras ad Sanctam Sedem Apostolicam pro commendatione canonizationis, et concessit pro sublevamine expensarum eiusmodi canonizationis, tres consuetas tallias in ordine consuetas per Vicarios generales in qualibet Circaria colligendas, et suo tempore in manibus Procuratoris generalis Ordinis Praemonstratensis in Curia Romana consignandas et ab eo ad praedictum effectum expendendas.

[111] Item, R.P. Luckenradt prior Marensis supplicavit provideri ut restituatur archivum Scheidense. Capitulum committit et commisit Vicario Westphaliae ut via iuris etiam per censuras, si opus fuisset, compellat fr. Ioannem Greuterium priorem Tremoniensem et Leonardum Teveren canonicum Knechtstedensem ad dicti archivi restitutionem, et interim fiant litterae ad Serenissimum Electum Coloniensem et aliae ad eiusdem civitatis magistratum ut sua auctoritate eiusmodi restitutioni favere dignetur.

[112] Item lectum est R.P. Claudii Caillieu prioris Cartovorensis responsio ad libellum seu quaerimoniam fr. Augustini Duprez.

[113] Item, proposuit R.P. Prior Marensis quod Episcopi nonnulli Westphaliae praetendant visitare Monasteria in quibus non degunt duodecim Religiosi, et Praelatos aliquos non sat esse diligentes ut habeant tot quos possunt alere religiosos, nullum etiam esse in Westphalia, Praelaticum Ordinis monasterium quod duodecim possit sustentare canonicos, Capitulum mandavit et mandat omnibus et singulis Westphaliae Praelatos ut in quolibet Monasterio suo duodecim habeant saltem religiosos sub poena suspensionis, et mulctae pecuniariae, arbitrio Vicarii determinandas, et si praesenti decreto non obtemperaverint, Vicarius in eorum Monasterio religiosos mittere queat, et iisdem Praelatos sub eisdem poenis admittendos et alendos.

[169]) De patre Hullegarde, postulatore Ordinis Fratrum minorum in processu beatificationis martyrum Gorcomiensium, cfr. commercium epistolare inter Petrum Carrette, procuratorem generalem ordinis Praemonstratensis, et Libertum de Pape, abbatem Parcensem, Archivium Abbatiae Parcensis, Li. XXI, cas. XVII, 5; J.B. VALVEKENS, *Quaedam relate ad beatificationem martyrum Gorcomiensium*, in *An. Praem.*, 53, 1977, 85-89.

aus: Analecta Praemonstratensia, 63 (1987), Fasc. 1/2

[114] Item, petiit utrum Revmus. D. Praemonstratensis competat potestas dandi coadiutorias cum futura successione, iuxta Cap. 8. dist. 2, nn. 1 et 2. Capitulum diffinivit competere in vim privilegii apostolici relati in privilegio Ludovici XI Francorum regis[170]) et ex continuata praxi.

[115] Item, proposuit non servari in Westphalia uniformitatem quoad Matututinum ab omnibus monasteriis media nocte persolvendum. Capitulum mandat servari uniformitatem et matutinum ab omnibus monasteriis media nocte persolvi, nisi Vicario cum aliquibus Ecclesiis visum fuerit dispensandum.

[116] Item, petiit provideri ut statutum de Novitiatu ab omnibus Westphaliae Praelatis observetur. Capitulum dedit et dat potestatem Vicario Westphaliae compellendi Praelatos eiusdem Circariae ad novitios suos mittendum ad novitiatum communem in Dunnwald erectum per mulctam 40 Imperialium sigulis annis dicto novitiatui communi applicandorum pro quolibet novitio qui ad novitiatum communem non fuerit missus. debeant etiam Praelati Wadegotiae et Circariae Iveldae[171]) suos novitios ad dictum Westphaliae novitiatum mittere.

[117] Item, petiit diffiniri an possint Praelati confugere ad conservatores privilegiorum, quando impetuntur? Capitulum permittit confugere ubi fert usus.

[118] Item, proposuit Gerlaseim, Laurissa et Rhetters[172]) monasteria

[170]) Vide Statuta Dist. II, cap. 8, nn. 1,2: «Coadiutoriae cum futura successione non permittantur. Verum, si alicuius Ecclesiae urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet, Praelato dari coadiutorem, is non alias cum futura successione detur, quam causa a Revmo Domino Praemonstratensi, vel a Summo Pontifice (si Ecclesia sit S. Romanae Sedi immediate subiecta) debite cognita, et qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quae in futuro Praelato requiruntur.»

Vide privilegium Ludovici XI ad petitionem Huberti de Monte Hermerio abbatis Praemonstratensis, 1475, ed. LE PAIGE, BPO, 763: «Item pariter per ipsos Romanos Pontifices Abbati dicti Praemonstratensis monasterii pro tempore ex indulto ac speciali privilegio concessum est, quod ... ipsis Coabbatibus, Praepositis, Decanis, Abbatissis, Priorissis ob debilitatem, infirmatatem aut aliam iustam et rationibilem causam Coadiutores dare atque resignationes recipere ... possit et valeat, iuribus et constitutionibus Apostolicis editis aut edendis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque ...»

[171]) Circaria Ilveldiae (= Ilfeld, nunc in DDR) et circaria Wadegotiae saepe coniunctim administrabantur. Plures enim canoniae tempore Reformationis perierunt, dum episcopi, postea, earum redintegrationem prohibuerunt. BACKMUND, I, 89. Circaria Wadegotia, hoc sedente capitulo generali, circariae Westphaliae adiecta fuit donec fuerit restituta. Cfr. infra Acta nº 119. Vide N. BACKMUND, *Die Abtei Wadgassen, Zentrum der Zirkarie Vadegotiae*, in *Prämonstratenserabtei Wadgassen 1135-1792*, Saarlouis, 1985, p. 50-57.

[172]) Gerlachsheim, praepositura sororum in dioecesi Friburgensi in Germania

7A 246-5

UNIV. BIBL. TÜBINGEN

ordinis occupari ab Archiepiscopo Moguntino et Rev. Dom. Abbatem Cellae Omnium Sanctorum[173]) dicere se esse Patrem Abbatem Laurissae et per litteras suas scripsisse Rev. Dom. Steinfeldensi se dare eidem ius fraternitatis si recuperet dictam Laurissam, tunc Revmus. Generalis dixit se esse patrem abbatem Laurissae ut patet ex catalogo monasteriorum, et statim Revmus. D. Generalis commisit paternitatem suam in Laurissam R.D. Steinfeldensi moderno et successoribus eius, donec expensae recuperationis, si fuerit ab eo vel eis facta, fuerint refusae. Et Capitulum mandavit et mandat Rev. Domino Abbati Steinfeldensi[174]) ut sine mora nominet Ven. Patrem Ioannem Luckenradt, vel alium sibi benevisum in Praepositum dicti monasterii Laurissani et eum in realem possessionem inducat; item mandatum mandat Capitulum supplicari Caesari et Christianissimo Regi pro litteris in hanc rem commendatitiis ad Rev. Dominum Archiepiscopum Electorem Moguntinum.

[119] Item, supplicavit Rev. D. Wadegotiensis[175]) provideri suo Monasterio pro confirmatione Abbatis pro tempore electi, et quod eiusmodi Monasterium a Revmi Generalis residentia longe distet et ad eum non possit haberi recursus, sine periculo; et supplicatio ad alterum sessionem remisit; quae, hac finiente, indicta fuit ad horam secundam pomeridianam.

(811) *Sessio duodecima, Die prima Maii pomeridiana.*

Precibus ad Deum factis, dictoque per Revmum. D. Generalem *Benedicite*, ad supplicationem Rev. Dom. Wadegotiensis, in fine praecedentis sessionis factam, Capitulum addixit Wadegotiam Circariae Westphaliae, donec Wadegotiana Circaria fuerit restituta, et pro electionis praecedentia et electi pro tempore Abbatis confirmatione, commisit Revmus Generalis, uti immediate Pater Abbas Wadegotiae vices suas Vicario Generali Westphaliae usque ad revocationem.

[120] Item, Rev. Dom. Abbas Wadegotiensis ad infra dicendos computus exeluendos a Capitulo Generali deputatus, retulit reperiri computu Ninivensi, deberi ab Ordine Ecclesiae Ninivensi triginta tria millia centum quinquaginta septem libras Turonenses, undecima solidas cum

(BACKMUND, I, 132-134), Laurissa (= Lorsch) prope Worms in dioecesi Moguntino (= Mainz) (BACKMUND, I, 107-109), Rhetters prope Königstein-am-Taunus, dioecesis Limburgensis (BACKMUND, I, 115-117).

[173]) Anastasius Schlecht.

[174]) Norbertus Horrichem.

[175]) Philippus Gretsch.

medio; ex computu Parcensi reperiri ab Ordine deberi Ecclesiae Parcensi quattuor millia trecentas tres libras Turonenses ultra expensas itineris quae non fuerunt computibus insertas; ex computu Steinfeldensi comperiri ab Ordine deberi Ecclesiae Steinfeldensi 1253 Imperiales, praeter multo plures (addidit verbo Prior Marensis, Westphaliae deputatus) ad computus non redactos. Et cum disquireretur inter Capituli Rev. Patres de medio satisfaciendi Ecclesiae Ninivensi, Rev. Dom. Mussipontanus dicenti huiusmodi expensas factas esse pro lite contra Communitatem antiqui rigoris, respondit Rev. D. Abbas Ninivensis alias fuisse plures contra alios lites. Tunc respondit R.D. Abbas Mussipontanus se non habere mandatum a Communitate antiqui rigoris ad dandum suum votum in solutione eiusmodi debiti, et paucis interiectis de debito Parcensi, Capitulum diffinivit et diffinit Rev. D. Liberto De Pape relinquendum esse septuaginta circiter libros, quae ex talliis a se uti Vicario Brabantiae collectis habet prae manibus, et exemit prout eximit Ecclesiam Parcensem a talliis ordinariis Ordini obligari, solvet annue Ordini duodecim asses seu stuferos toto tempore vitae dicti Domni Liberti post cuius obitum solvet Ecclesiae Parcensis assuetam hactenus talliam vel aliam prout a Capituo Generali taxata fuerit. Ut autem satisfait Ecclesiae Ninivensi, Capitulum imponit omnibus Ecclesiis Ordinis undecim tallias ordinarias iam olim per Capilum Generale annorum 1627, 1630 et 1633 impositos[176]) a Vicariis Circariarum colligendas (812) Ecclesiae Ninivensi satisfactum a talliis ordinariis Ordinis, sed et similiter Ecclesia Ninivensis recognoscat se etiam ad Ordinis tallias obligari, solvat annue Ordini quinque asses, seu stuferos pro talliis, usque ad dictum factam sibi solutionem. Capitulum tamen eximit a dictis undecim talliis Ecclesiam Praemonstratensem; et eas Ecclesias, quae dictae XI talliarum impositioni iam satisfecerint et solverint; post cuius decreti lectionem in aula Capitulari factam R. Dom. Guinet, abbas Mussipontanus et alii duo RR. DD. Condeputati a Communitate antiqui rigoris, dixerunt se eidem decreto eiusdem Communitatis nomine opponere. Quibus respondit Rev. D. Ninivensis eos non posse se opponere nisi forte ratione expensarum ab Ecclesia Ninivensi in litibus contra ipsam communitatem intentatis factarum, non vero ratione aliarum quae toto Ordini fuerunt communes; et, replicavit R.D. Abbas Mussipontanus se petere ut audiatur desuper Communitas antiqui rigoris et petit R.P. Thienville, condeputatus, sibi exhiberi

[176]) Cfr. Acta Cap. Gen. IV, p. 125, 154, 201; Acta Cap. Gen., V, 1657, nota 368.

computus expensarum, ut videant ipsi condeputati quaenam sint praecise illae communes expensae R. etiam Ninivensis dixit modernum de XI solvendis taliis decretum non esse novum sed a diversis Capitulis Generalibus pridem fuisse factum, publicatum, acceptatum, et cui nemo sese opposuerit, ideoque non esse locum tempus insumendi et perdendi in nova expensarum dictarum discutione; et fuit a Rev. Patre Lafaulx, priore Perrodii Novi, additum multa Monasteria dictis annis 1627, 1630 et 1633 non fuisse adhuc Communitati antiqui rigoris incorporata, ideoque illa indubie ad dictas XI tallias obligari; Capitulum diffinit Monasteria etiam Communitatis antiqui rigoris obligari ad dictas undecim tallias solvendum; et provisione aliter ea obligavit et obligat; responderunt dicti Domini deputati se oppositioni suae insistere. Supplicarunt etiam RR. DD. Sorethanus, nomine Circariae Sueviae, et Wilthinensis, nomine Circariae Bavariae, ut dignetur Capitulum suspendere dictum decretum respectu Circariae Sueviae, donec ipsi Commissarii ad suos principales Suevos et Bavaros retulerint. Capitulum decrevit et decernit decretum non esse suspendendum, nec suspendi. Rev. D. Mussipontanus se, suae Communitatis antiqui rigoris nomine, petere a Capitulo Generali praesenti summam centum sexdecim ducatos auri de Camera ad quam condemnatus fuit Capitulum Generale pro expensis trium Sententiarum rotalium; Capitulum pro responsione remisit se ad acta Capituli Generalis anni 1657 (813) sessione 14a[177]), quae publice a Secretario lecta sunt. Et Rev. Dom. Mussipontanus dixit non tantum deberi prout probabit, sed et se habere multa alia alleganda, et nihilominus Capitulum diffinivit et diffinit suum praesens decretum stare, et dictae Communitatis antiqui rigoris Monasteria ad solvendum dictas tallias obligari, et provisionaliter obligat. Item, ut satisfiat Ecclesiae Steinfeldensi pro mille ducentis quinquaginta tribus Imperialibus, impensis pro vindicanda Ordinis iurisdictione in Monasterium Cappenbergense et Varlarense, Capitulum mandat ei satisfieri a dictis Monasteriis Cappenbergensi et Varlarensi Domino Steinfeldensi.

[121]) Item, Rev. Dom. Sopitte, abbas Albae Curiae repetiit a Capitulo Generali summam 400 librarum Turonensium quae pro urgentibus Ordinis negotiis Parisiis insumpsit dum Ordinis syndicus esset. Capitulum mandat Monasteriis Circariae Pontivi, solvere dicto Dom. Abbati Albae Curiae suam talliam ordinariam usque ad summam praedictam deductis iis quae ipse Dom. Albae Curiae iam recepit ex

[177]) Cfr. Acta Cap. Gen. V, 1657, nº 198.

talliarum arreragiis; haec etiam solutio fiat per manus Vicarii Circariae pontivi.

[122] Item, Rev. Dom. Mussipontanus tradidit secretario Capituli cartham concordiae inter deputatos Communitatis antiqui rigoris et fr. Basilium Liegault, eiusdem Communitatis antiqui rigoris professum[178]) inita; et lecta fuit publice a Secretario. Et cum non fuisset visum Capitulo eam laudare et approbare propter aliqua verba contra Ordinis avitam authoritatem male sonantia, dictus Rev. Dom. Mussipontanus, petiit sibi restitui dictam chartham, et annuente Capitulo restituta est.

[123] Item, lecta fuit ab eodem Rev. D. Mussipontano cartha tenoris qui sequitur: *Cum amplissium Capitulum pro sua benignitate voluerit informari de certis nostris iuribus, et difficultatibus, in hunc modum cum omni humilitate et reverentia satisfacio; primo quod pertinet ad difficultatem signaturae bonae memoriae Revmi Petri Gossetii, Generalis*[179]), *ad annotationes articulorum nostrorum, quam deesse dictum erat hic, et eius praetenso defectu Bullam Gregorianam*[180]) *falsitatem continere, cum dicta Bulla dicere videatur Revmum dictas constitutiones subsignasse, respondemus cum omni reverentia et petimus ignosci si non possimus, prout de facto non possumus, nostras Bullas, articulos et annotationes seu explicationes in iis contentis amplissimi Capituli Generalis examini subicere, quia cum dicta Bulla cum omnibus contentis per tres sententias rotales conformes et diffinitivas fuerint iustificatas ex hoc a nobis non postulare Revmum. Capitulum, verum ad ostendendam nostram sinceritatem* (814) *amicabiliter et extraiudicialiter verbo explicabimus et privatim RR. PP. si dignentur etiam scripto, rationes nostras communicabimus; 2° ut ingenui tamquam boni et humiles filii aperiamus tantis et eximiis Patribus mentem nostram eo fine, ut nullam Amplissimum Capitulum de nobis concipiet diffidentiam, nec cogamur nos reddere zelozos, multiplicando ad singula oppositiones, protestationes, appellationes, quae amplissimo consessui molestae et importunae videantur; ut etiam liberius et expeditius possint qui ex nostris hic assistent suis votis et suffragiis in commune Ordinis bonum tendere, illudque procurare totis conatibus et affectibus, non nocendo tamen iuribus*

[178]) Basilius Liégault antea publice accusatus fuit eo quod infringeret articulos Reformationis remanendo extra conventum Communitatis. Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 197.

[179]) Vide supra notas 108-109.

[180]) In bulla *Ad sacram* Gregorii XV, diei 17 Aprilis 1621 (ed. Le Paige, BPO, 751-756), supponitur abbatem generalem Petrum Gosset supplicem libellum ex parte Communitatis Antiqui Rigoris porrectum ex toto approbavisse. Vide replicam Gregorii du Crocq infra Acta n° 125.

nostrae Communitatis, humiliter repraesentamus, nos sperare et credere Amplissimum Capitulum nil velle vel intendere statuere contra decreta et Bullas pontificias Communitati nostrae indulta, quas Communitas nostra recepit, et quibus professione et iuramento se adstrinxit, a quibus recedere non potest; proinde rogamus Amplissimum Capitulum, quatenus dignetur decreto suo sancire, ut quaecumque decreta in posterum fiant in Capitulis Generalibus, etiamsi essent a nostris, qui dictis Capitulis, uti eorum membra, ad procurandum bonum commune totius Ordinis intererunt, subsignata, huiusmodi tamen decreta edita non intelligantur, nec quid possit interpretari vel ex iis possit aliqua trahi consequentia contra institutum nostrum, quo mirum in modum animos conciliabit, et ad pacem disponet. Fr. Nicolaus Guinet, Abbas Sanctae Mariae Mussipontanae, a Communitate deputatus; fr. Edmundus Sauvage, abbas Buciliensis et a Communitate deputatus; fr. Petrus Thienville, senior abbas S. Mariae Mussipontanae, et prior S. Pauli Virdunensis, a Communitate deputatus; et ea charta lecta, R.D. Domnimartinensis petiit a dicto R.D. Mussipontano quare non adsunt alii Abbates et Priores Communitatis antiqui rigoris? R.D. Mussipontanus respondit non disputari an omnes interesse debeant Capitulo Generali, aliorum Ordinis Praelatorum excusationes bene fuisse admissas, non fuisse quidem hactenus clari iuris, quod omnes Priores venire debeant ad Generale Capitulum, cum in Capituli indictionibus dicatur, qui lege vel consuetudine interesse debent, sed praetendere Communitatem antiqui rigoris posse de gremio suo aliquos ad Capitulum Generale deputare.

[124] Item, petiit R.D. Parcensis ad Cap. 1, Dist. 4, n. 1[181]) an Capitulo Generali debeant ex Belgio convenire omnes Abbates, vel an sufficiat duos Praelatos ex qualibet Belgii Circariae comparere? Et examinatus est alius textus Statutorum Dist. 4, c. 1, n. 8[182]). Capitulum diffinivit et diffinit debere omnes Abbates, etiam Belgii et antiqui rigoris, venire ad Capitulum Generale, nisi qui legitime impeditus fuerit. Item,

[181]) Cfr. Statuta Dist. IV, cap. 1, n. 1: «... communi Praelatorum consensu est constitutum, ut singulis trienniis (si tamen Dominus Praemonstratensis, pro Ordinis necessitate vel utilitate ita expedire iudicaverit) idque post Pascha, in Dominica *Cantate*, omnes Ordinis nostri Abbates, vel ad minus duo, nisi Dominus Praemonstratensis plures evocandos existimaverit, de qualibet circaria ex iis quibus ob distantiam, aut aliam urgentem causam a Capitulo Generali hoc est concessum per unamque circariam, et eiusdem expensis, deputandi ...»

[182]) Statuta, Dist. IV, cap. 1, n. 8:: «Nulli autem Abbatum vel Praepositorum liceat se a Capitulo Generali absentare, nisi vel ob corporis infirmitatem vel ob aliquam fundatam rationem, vel ob loci distantiam a Capitulo Generali hoc ei specialiter sit indultum, aut per missionem duorum deputatorum ex sua Circaria (cui hoc concessum sit) satisfaciat.»

omnes Priores Monasteriorum commendatorum etiam Communitatis antiqui rigoris, nisi similiter legitime fuerint impediti, et cessante hac sessione, alia de more indicta est.

Sessio decima tertia, die secunda maii, S. Norberti translatione sacra.

[125] Postquam solemni Sacro in Pontificalibus per Rev. Dom. Grimbergensem in Ecclesia Praemonstatensi facto interfuissent, RR. DD. Capitulares ad aulam capitularem ventum est, fusis precibus inchoata sessio, in qua petita et obtenta licentia, Secretarius sequentis tenoris libellum supplicem legit: *Revmo Domino Praemonstratensi atque RR. DD. Praelatis et Vener. Patribus Prioribus, Capitulum Generale facientibus, exponit humiliter fr. Gregorius du Crocq, Ecclesiae Praemonstratensis presbyter canonicus, Dei Loci in Jardo prior claustralis, et huiusce Capituli Generalis vestro beneplacito secretarius, quod in sessione 12 huius Capituli*[183]*) lecta charta a Rev. D. Guinet, abbate Mussipontano, Communitatis antiqui rigoris deputato, eoque nomine, in qua rogat decerni a Capitulo pro perpetuis futuris temporibus, ut quaecumque fuerint decreta, etiamsi forte a patribus dictae Communitatis subscriptae, ea non censeantur edita si instituto dictae Communitatis aliquatenus adversentur, ex qua supplicatione colligit orator numquam lites inter dictam Communitatem et corpus Ordinis esse terminandas; quia aequum esset, ut pars toti, membrum Capiti, Communitas Ordini cederet, eique se accomodaret; quia tamen non omnes qui reformatorum nomen non possident, humilitatem parem nomini habent, ideo orator, suo privato nomine venit supplex ut totus Ordo in hoc Generali Capitulo repraesentatus, dignetur humilitatis suae exemplum dare dictis Patribus et ab eis quaerere, quid ita in Ordinis constitutionibus, decretis, et regimine displicent, ut a communi instituto recedant, et Communitatem dictam antiqui rigoris conficiant, et quid tanti intersit dictam Communitatem subsistere et augeri, ut pro hoc negotio religio Praemonstratensis continuo turbari debeat, alias ipsa ad suorum membrorum, ubi disciplina relaxatur reformationem maxime sollicita, se in ipsius Communitatis instituto habeatur communitas victus, vestitus, silentium regulare, laneorum usus, dormitio in dormitorio, comestio in refectorio, lectio perpetua in mensa, horarum canonicarum B. Virginis pensum, habitus totaliter candidus, proclamatio culparum in Capitulo, correctio earumdem a Praeside Capituli imponendo, novitiatus secundus, confessio*

[183]) Vide supra Acta nº 123.

(816) *accessus sacerdotum ad altare pene quotidianus, et non sacerdotum ad sacram sinaxim hebdomadarius, recta bonorum administratio, conservatio titulorum seu documentorum, sigilli et pecuniae sub triplici clave, procuratio reformationis hic et ubique, auditio gravaminum, fructuosa temporis distributio, meditatio, examen conscientiae, ac visitatio annua et eius acceptatione*[184]*); haec omnia sunt et in Ordinis Praemonstratensis instituto. Si Communitas antiqui rigoris habeat in suis articulis quod debeant fratres observare Statuta Ordinis in quantum continent substantialia, et ea sine quibus vix potest vita regularis subsistere, habet Ordo in hoc instituto quod sine limitatione debeant omnia Statuta servare; si Communitas praedicta ad perpetuam abstinentiam et ieiunium hiemale obligavit, id fuit sub restrictione quamdiu scilicet huiusmodi ieiunium et abstinentia non impediunt congregationis reformata erectionem, in hoc etiam Generale Capitulo posset amicabiliter disquiri, an Congregatio sit adhuc erecta cum sit erecta solum Communitas quae pristinum caput illudque commune Ordinis retinet, Congregatio tamen secessionem imponat et novi Capitis erectionem. Deinde etiamsi erecta esset, considerari posset, an eiusmodi institutum sit vere reformatio, et quibus in illo professi sunt vere reformati? Cum reformari sit magis quam praeteritis temporibus accedere ad obedientiam, humilitatem, et christianae legis charitatem, quae virtutes consistere non possunt cum perpetuis contra Superiores litibus, cum continuis querimoniis, et improperiis ante saecularia tribunalia fieri solitis. Cum itaque dictam abstinentiam tam multa mala comitantur, disquiri, potest, an ea non sit pro meliore bono relinquenda, cum regnum Dei, quod est Ecclesia, non sit esca et potus, si in instituto Communitatis habeatur ratio administrationis temporalium reddenda singulis mensibus et huius rei facilis erit concordia, si et reddamus computum singulis mensibus; si Communitatis praedictae institutum habeat quod fratres non possint sine licentia sibi procurare beneficia cum Capitulum praesens reddidit fratres inhabiles ad obtinenda beneficia sine superiorum in scriptis obtenta licentia, quod amplius est. Si Communitas habeat quod fratres nulli Monasterio sint affiliati, sed censeantur de gremio eius Ecclesiae in quam a Superioribus missi fuerint, decretis Ordinis cautum est ut pro reformatione possint fratres mitti de Monasterio ad Monasterium cum iuribus inibi professionis, et si hoc non sufficiat pro componenda concordia, et integritate reformationis, fiat, si videbitur, per totum Ordinem Communitas, ita ut non sint plus*

[184]) In hoc loco citantur 22 *Articuli Reformationis Monasterii Sanctae Mariae Maioris Mussipontane*, Cfr. C. SAULNIER, *Statuta*, p. 434-435.

huius Monasterii quam alterius et orator pro sua parte paratus est, si huic Capitulo Generali bene visum fuerit, cedere omnibus iuribus filiationis et stalli quae licet indignus habet in Ecclesia Praemonstratensi omnium Ecclesiarum matre; et humiliter supplicat supra scripta considerari, (817) *et hanc suam expositionem ad Acta reponi, et Deus, etc. fr. Gregorius du Crocq, cum parapho seu signo manuali;* qua supplicatione perlecta, omnes Patres Capituli dixerunt posse sperari quod S. Norbertus, cuius Translatio eo die celebretur, effecturus sit bonam concordiam. Et Rev. Dom. Parcensis dixit sibi videri eam quidem concordiam non posse in hoc Capitulo iniri, eo quod RR. DD. a dicta Communitate antiqui rigoris non sufficientes habeant potestatem seu suadendem esse ipsis ut statim ac fierint domum reversi convocent Capitulum provinciale, in eo proponatur ut procuratores ab eadem Communitate bene mandati et informationibus instructi deputentur, qui cum Patribus a Capitulo Generali pariter deputandis tractent, et concordiam ineant, et tunc a RR. DD. Deputatis quaesitum fuit, quid desuper sentirent? Et responderunt rem esse gravis momenti, se quidem maxime etiam ad concordiam inclinari, sed, pro rei gravitate, rogare inducias ad respondendum usque in proximam sessionem, interim promittentes se suae ad concordiam inclinationis signa Capitulo Generali certissima daturos, et Capitulum inducias petitas concessit et Rev. Dom. Abbas Bonae Spei Monasterium suum ad dictam concordiam faciendam obtulit, et expensas.

[126] Item, lecta est supplicatio R.D. Furnensis, sequentis tenoris. *Exponit reverenter Abbas S. Nicolai Furnensis quod hisce diebus a Revmis Patribus capitulariter congregatis data fuerit sententia interlocutoria contra fr. Sanchez reum (pro qua orator maxime habet gratias continens quod praedictus reus debeat manere in carcere, ubi dudum fuerit usque ad Capitulum generale proximum post triennium. Cum tamen dubium sit utrum ibi manere debeat an retineri cum ea moderatione quem R.D. Domnimartinensis per suam provisionalem hic innexam praescripsit, an vero secundum rigorem Statutorum, ubi de incarceratis agitur, convertit se exponens ad Reverendum Capitulum, rogando amice ut super hoc declarare dignetur quid faciendum.* Lecta est etiam sententia interlocutoria memorata de 3a Aprilis 1659. Capitulum, absentante se propter hoc a sessione Revmo Domino Generali, diffinivit et diffinit fr. Franciscum Sanchez, canonicum S. Nicolai Furnensis debere retineri in carcere, sine charta et atramento, sed dandos ei pios libros qui ad conversionem inducant, non curiositatem nutriant et conventuali portione et vestitu est intertinendum

et hac diffinitione declarat Capitulum cessare dictam R.D. Domnimartini sententiam.

[127] Item, Rev. Dom. Sorethanus, Sueviae circator, rationem visitationum reddidit, et Curwaldiam[185]) esse in deplorando paupertatis statu, et futurum non multo loco esse, et conclusit ut dignetur Capitulum pecuniario subsidio concurrerre Curwaldiae. Capitulum concessit Curwaldiae duas tallias, et statim Rev. Dom. Parcensi dicente pro sua parte daturum centum florenos Brabantinos, alii ad eius imitationem obtulerunt hanc, quae sequitur, summam: Rev. Dom. Domnimartinensis dabit florenos seu libras Turonenses 30; Grimbergensis 50; Floreffiensis 50; Heilissemensis 28; S. Michaelis 50; Belli Reditus 20; Leffiensis 18; Hinsbergensis 20; Buciliensis 22; Mussipontanus 8; Vallis Serenae 29; S. Andreae in Nemore 30; Wilthinensis 100; Wadegotiensis 10; S. Ioannis Ambianensis 10; Cuissiacensis 20; Bonae Spei 20; Prior Branae 20; Steinfeldensis duas tallias; Camerae fontis 10 libras; Carthovorensis 10; Vallis Gaudii 20; Belli Portus 20; Dei Locus 20; Locus Restauratus 20; S. Petri Selincurtensis 20; Thenoliensis, 10; fr. Arveline, pastor in Corteri, 10; Perrodium novum unam talliam; Lisquensis 20; Septem Fontium in Therascia 10.

[128] Item, inter RR. DD. Grimbergensem et Furnensem est capitulariter conventum quod pro tractanda controversia de praecedentia, Rev. Dom. Furnensis elegit Rev. Dom. Truchiniensem[186]), qui Gandavi[187]) vel alibi, conveniant, et habitis instructionibus determinabunt, et quod si inter se non conveniant praedicti R.D. Commissarii tertium sibi iungent, et in ipsum (819) ex tunc compromittunt.

[129] Item, ex parte Rev. Dom. Georgii abbatis Adelbergensis[188]), Rev. Dom. Sorethanus legit certam chartam tenoris sequentis: *Debitum Roggenburgense, praevisa occupatione monasterii Adelbergensis anno 1565 facta ab haereticis, ultimus catholicus abbas Ludovicus, piae memoriae*[189]), *litteras censuales viginti circiter millium florenorum deposuit apud suum Patrem Abbatem Roggenburgensem, earumdem administrationem et annuorum censuum receptionem, sequentibus conditionibus, ad quas sancte*

[185]) Churwalden in regione Curiae (= Chur) dioecesis Curiensis in Helvetia (BACKMUND, I, 55-57).

[186]) Augustinus Merlijn abbas Trunchiniensis (= Drongen) annis 1648-1661. Cfr. N. WEYNS, art. *Tronchiennes*, in *Monasticon belge*, tom. VII, vol. III, p. 562.

[187]) Gandavum (= Gent), provincia Flandriae Orientalis in Belgio.

[188]) Georgius Schönhainz, abbas Adelbergensis.

[189]) Ludwig Wernher, 1547-1565 (BACKMUND, I, 46).

observandum dictus Abbas et Conventus Roggenburgensis, data obligatione sub manu et sigillo, se obligaverant hoc modo: 1. annuos census colliget R. Abbas Roggenburgensis; 2. ex iis in necessitate conventualium expulsorum impendat, sumpta ab illis accepti syngrapha, residuum vero annuorum censuum asservet; 3. quotannis dictis conventualibus expulsis computus accepti et expensi reddat; 4. Conventualibus omnibus extinctis, annuos census, si ad summam notabilem excrescant, pro censu annuo elocet; 5. et si Deo dante Adelberga restituatur, novo Abbati ibidem instituendo reddendo huius administrationis computum, litteras illas censuales, una cum pecunia ex iis collecta ad manus consignet; 6. ne vero gratis administratione praedicta fungatur, ex censibus annuis in salarium suum decerpat 35 florenos; extant super his omnibus litterae authenticae in pergameno cum adiectis sigillis Adelbergensibus et Roggenburgensibus; cum itaque DD. Abbates Roggenburgenses defuncti et modernus[190]) *iam a triginta annis ab abbate Adelbergensi pro reddendo computu saepius requisiti adduci non potuerunt quod computus redderent, et vere dicto Abbati Adelbergensi incumbat huius negotii liquidationem procurare, antequam moriatur, ne incurius Adelbergae administrator audiat, supplicatur Revmo Patri Generali ut commissionem decernat ad Dom. Abbatem Sorethanum, Capituli Generalis circatorem, pro expediendo hoc negotio authoritate Reverendissimi secundum iustitiam*; Capitulum Generale consentiendo Revmo D. Generali, committit Rev. Dom. Sorethano ut petitur. Item exponit D. Sorethanus quod dictus Abbas Adelbergensis nondum potuerit recuperare ab abbate Bellelagiae expensas a se factas ut vindicaret ius Ordinis in dictum Monasterium contra Episcopum Basileensem, Capitulum diffinivit et diffinit standum esse decreto ultimi Capituli Generalis, sess. 17[191]), desuper edito, et mandat expediri ad Illustrissimum Nuntium pro compellendo Rev. Dom. Abbate Bellelagiensi congruentes litteras.

Item, placuit forma litterarum intercessionalium pro (820) Adelbergensi ad Serenissimum Bavariae Electorem, mandatque eas expediri nomine Capituli.

[130] Item, proposuit Rev. Dom. Wilthinensis quod habeat ius habituale et inutile in Ecclesiam S. Jacobi Oenipontis, possetque commutationem fieri utilem, si videlicet acquiratur pro dicta Ecclesia alia nova, quae sub B. Virginis Auxiliatricis titulo aedificata est, et rogavit sibi licere

[190]) Fredericus Rommel, abbas Roggenburgensis (1639-1656), Bonaventura Schalk (1656-1661), BACKMUND, I, 69.

[191]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n. 142.

eiusmodi permutationem facere, Capitulum committit viciniori Abbati, scilicet Rev. Dom. Steingadensi, vel Scheflariensi ad se informandum de commodo et incommodo, et prout aequum fuerit, faciat, et authoritate Capituli Generalis permittat, et faciendam permutationem, si sit facienda, confirmat, et Reverendissimus suo decreto sessioni finem imposuit et ad tertiam pomeridianam aliam indixit.

Sessio 14a pomeridiana, diei 2a Maii 1660

[131] Sessioni huic 14ae serius solito datum est initium propter S.P. nostri Norberti Translationem, cuius Laudibus interesse decuit, sicut et piissimae et doctissimae per Rev. Dominum Norbertum, S. Michaelis Abbatem habitae concioni. Hora igitur quarta pomeridiana fusis in aula Capitulari precibus et de more, *Benedicite*, Rev. Dom. Abbas Vallis Serenae causae referendarius deputatus, proposuit, Capitulo plurimas chartas, et exposuit qualiter ad instantiam Rev. Dom. Abbatis Steingadensis[192]), Circariae Bavariae vicarii, et interveniente Revmi. Domini Generalis authoritate ad subsidium regularis disciplinae fuerint a duobus fere annis ex Belgio, ex monasterio Grimbergensi evocati in Bavariam Venerabilies Patres Georgius van Wemmele et Paulus van Dale[193]) quorum alteri fuerat in Praepositura Novae Cellae prope Frisingam datum prioris officium, alter vero eidem fuerat adiunctus in promovenda disciplina regulari socius, qualiter tamen successu temporis duo praedicti Patres venerint Bavaris in suspicionem, quasi eo missi fuissent ut exploratores et Revmo. P. Generali referrent quidquid Bavari Religiosi agerent adeoque visum fuerit pluribus quod ideo solum ad Belgium remissi fuissent a Rev. Dom. Urspergensi[194]), Patre Abbate Novae Cellae. Rev. tamen Abbas Urspergensis in relicto, seu ordinationibus visitationis dixit se eos remississe in patriam, tum quia pro reditu instanter supplicarunt, tum quia parum ob linguae imperfectionem apti essent audiendis confessionibus, concionibus faciendis, tum quia denique pacis stabiliendae necessaria carerent peritia. Lectae sunt quaedam eiusdem Urspergensis abbatis (821) litterae, quibus rogabat non praecitari sententiam sed cupere se audiri si aliqua contra praedicta a dictis duobus Patribus, se absente, dicerentur, auditi sunt et dicti Patres Georgius et Paulus, qui propterea quaesti sunt se non tantum dimissos,

[192]) Augustinus Bonenmayer.
[193]) Vide supra notas 35 et 36.
[194]) Matthaneus Höchenrieder.

sed turpiter eiectos, utpote quibus sit mandatum circa noctem discedere, et non nisi permissa pernoctandi post decreti publicationem licentia; addidit Pater Van Dale ita inique statutum autem fuisse ut a Rev. Dom. Urspergensi sibi fuerit imperatum omnes, quas haberet, etiam a suo Praelato, epistolas; quas cum in virtute S. Obedientiae iussus reddidisset, petiit eas sigillari, et sigillatas mitti ad Revmum. D. Generalem: quod cum factum esset, ipse nihilominus Abbas Urspergensis, eas reseravit et reseratarum atque lectarum copias transmisit, ut sunt in manibus Rev. Dom. Vallis Serenae referendarii, adiunctae litteris Rev. Dom. Urspergensis ad Revmum Generalem directis; circa quod dictus Pater Paulus rogavit ut Capitulum dignaretur advertere inter dictas ad diversos et a diversis epistolarum copias, non reperiri copias copiarum litterarum quas ipse Paulus direxisset ad Revmum Generalem; quas tamen dictus D. Urspergensis etiam et una cum praedictis extorsit, et in fasciculum compegit et sigillavit, et cum ad vesperam ierit, finis huic impositus est sessioni, cui non interfuerunt RR. DD. Floreffiensis, Cuissiacensis et Bonae Spei, utpote canonicae visitationi in Ecclesia Praemonstratensi occupati.

Sessio 15a matutina, die 3a Maii 1660

Commissione Revmi Generalis incoepit sessio haec, etc, praesidente R.D. Nicolai Ledé, abbate S. Andreae in Nemore et Ven. Pater Paulus van Dale, supra nominatus canonicus Grimbergensis, ad repetitam negotii Neocellensis discussionem, respondit ad puncta quibus Rev. Dom. Urspergensis iustificare intendebat se supradictos ad suum Grimbergense Monasterium remisse, et concludendo supplicavit ut Capitulum dignetur declarare quod D. Urspergensis non potuerit eos turpiter eiicere sicut fecit; quodque ipsi Georgius et Paulus sint innocentes et religiosi boni nominis et famae, et rogavit ut iudicet Capitulum de facto D. Urspergensis qui litteras, ut in postrema sessione explicatum est, extorsit et reseravit. Addidit D. Grimbergensis se supplicare tamen ut R.D. Urspergensis condemnetur ad reparationem famae suorum religiosorum et ad expensas itineris. Capitulum (822) diffinivit ut duobus dictis fratribus Georgio et Paulo exponentibus communicentur scripturae a Rev. Dom. Urspergensi ad Revnum D. Generalem vel Capitulum Generale transmissae, ut ad eas sedente Capitulo respondeant in scriptis, et ut eorum responsio transmittatur ad Rev. Dom. Abbatem Steingadensem, uti Capituli Generalis hac in parte commisarium, qui

dictam responsionem communicet Rev. Dom. Urspergensi, cum mandato et potestate eum compellendi ad respondendum in scriptis, in manibus eiusdem commissarii, qui postea tam dictorum Georgii et Pauli quam D. Urspergensis responsiones ad Revmum Dom. Praemonstratensem sub suo sigillo clausas remittat; et ipse Dom. Praemonstratensis visis actis et responsis supra petitionibus praedictis diffinitive iudicet. Diffinit etiam religiosos ad aliam Ordinis Ecclesiam authoritate Revmi Dom. Praemonstratensis vel Capituli Generalis missos, non posse inde a quocumque dimitti nisi ex consensu Revmi Domni Praemonstratensis vel Capituli Generalis, nisi enorme crimen, quod celari non posset, intercurreret.

[132] Item, Rev. P. Ioannes Luckenrath, prior Marensis, exposuit et conclusit ut Coenobio Griphensi[195]) in Carinthia et in dioecesi Bambergensi constituto, conclusit ut Coenobio in ad alienas manus veniendi periculo posito, consuleretur, Capitulum commisit et committit Rev. Dom. Abbati Plagensi[196]) in Austria, omnimodam eiusdem monasterii Griphensis curam cum potestate visitandi toties quoties expedire indicaverit, mittendi suos aut alios Ordinis religiosos ad dictum Griphense coenobium, ibique eos manere faciendi, et reformationem atque bonum regimen introducendi implorato etiam, si opus sit, consilio vel auxilio Vice-Domini Ecclesiae cathedralis Bambergensis, Domini Bernbach.

[133] Item, ad quaestiones a secretario nomine Circariae Bavariae propositas, Capitulum diffinivit Missam matutinalem applicari non posse pro Missis fundationis, et Missam matutinalem esse pro fundatoribus et fratribus Ordinis, ubi est sufficiens fundatio.

[134] Item, Capitulum diffinivit quod quando religiosus aliquis egreditur ex strictiori, ad quam convolare voluerat, Ordine, debeat statim se in habitu sui ordinis superiori suo sistere, et a dicto Superiore recipi, non quidem ad Conventum sed ad sequestrium, donec Revmus D. Generalis desuper requisitus, notificarit qualiter cum eo agendum fuerit. Quod si non statim ad monasterium suae professionis reversus fuerit, ut fugitivus habeatur et ut talis puniatur.

[195]) Griffen in Carinthia, diocesis Gurk-Klagenfurt, BACKMUND, I, 6-9.

[196]) BACKMUND, I, 378 Martinum Geysing non inserit in elencho abbatum canoniae Plagensis (= Schlägl), eiusque regimini tamquam praepositi finem imponit anno 1657, dum hoc anno, uti primus abbas gubernium prosequebatur et quidem usque ad mortem die 27a Octobris 1665. Vide L. PRÖLL-C. LANG, *Catalogus canonicorum regularium ... canoniae Plagensis*, Lincii, 1957, n. 120, p. 14, et recenter *Totenbuch des Stiftes Schlägl (1630-1800)*, ed. I. PICHLER, Aigen,-Schlägl, 1984, n° 1957, p. 153.

[135] Item, diffinivit antiquitatem monasterii attendi debere respective non ad fundationem, quae forte est Ordini antiquior, sed ad accessum ad Ordinem. (823) Item, diffinivit quod Ecclesia senior a Praeposito gubernata, debeat cedere minori, ad Abbatiam evectae, nec debere Praepositum cum Abbate concurrere, sed illi cedere.

[136] Item, diffinivit quod usus Pontificalium non iuvet ad conservandam praecedentiam.

[137] Item, Rev. P. Petro Thienville supplicante, ut Generale Capitulum gravetur explicare statutum Ordinis, Dist. 2, cap. 19. n. 28, ubi habetur: *Cappis laneis, sive ex alia honesta et modesta materia factis superpelliceis et almutiis, quae ex albis pellibus exclusa curiositate fieri debent, fratres in divinis officiis, temporibus in Ordinario praefixis, sibique uniformiter utantur*, Capitulum diffinivit almutio posse et solere fieri ex pellibus cuniculorum, musterarum et similium animalium, et eiusmodi pellium usus peti ab origine Ordinis, et mandat dictum usum ab omnibus servari.

[138] Item, Rev. Dominus Abbas St. Michaelis rogavit decerni uniformitatem in modo superpellicei per Abbates portandi. Capitulum mandavit et mandat in omnibus Circariis servari uniformitatem ut omnes Praelati mozettam superpelliceis superponant.

[139] Item, R.P. Ioannes Fossier, a Capitulo referendarius deputatus, retulit in Acta cuiusque visitationis in Monasterio Wilthinensi per Rev. Dom. Steingadensem factae; et qualiter f. Josephus Clementi fuisset propter fugam stallo privatus, tum Rev. Dom. Wilthinensis dixit omnia iam esse circa hoc pacificata.

[140] Item, Rev. Dom. Mussipontanus dixit se in maximas gratias habere Capitulo Generali quod velit ad concordiam procedere et quod ipsi etiam deputati maxime ad eam inclinentur et de facto scripserint ad Vicarium Communitatis antiqui rigoris[197]), et eumdem urgentibus verbis sollicitaverint ut veniret ad Monasterium Buciliense pro consultatione facienda super dicta concordia et Capituli Generalis desiderio, se etiam non vocasse Praemonstratum eo quod non sit verisimile eum posse accedere ante Capituli Generalis finem; interim supplicavit ut Capitulo placeat decretum generale edere, quo diffiniatur Capitulum non velle instituto Communitatis derogare, vel aliquid in eius praeiudicium diffini-

[197]) Augustinus Guillard, prior canoniae B.M.V. de Ardena, fuit Vicarius abbatis generalis pro Communitate Antiqui Rigoris. Cfr. Acta Capituli Communitatis Antiqui Rigoris, 5 maii et sequentibus 1658, Nancy, ms. 994, fol. 292r°.

re, sicut in una ex sessionibus praesentis Capituli per chartam eidem praesentatam petitum est[198]).

[141] Item, Revmus Dom. Generalis petiit a dicto Dom. Abbate Mussipontano aliisque Communitatis antiqui rigoris deputatis utrum annotationes impresssae quae incipiunt a verbo: *Articuli reformationis*, et finiunt in verbo: *fr. Ioannes Lopin*[199]) fuerint (824) subscriptae a bonae memoriae Petro Gossetio, Generali? Respondit Dom. Mussipontanus se dedisse omnes chartas et non habere alias. Item, Dom. Mussipontanus negavit quod Bulla Gregorii XV[200]) dicat Revmum P. Generalem subsignasse annotationes seu scripturas super articulis reformationis confectas.

[142] Item, Revmus D. Generalis eosdem deputatos interrogavit an praedictae annotationes, quae incipiunt: *Articuli*, etc. et finiunt in verbo: *fr. Ioannes Lopin*, sint illae scripturae, de quibus in Bulla Gregorii XV dicitur, *ac alias prout in scripturis desuper confectis et per Petrum Generalem*[201]), *ac Servatium et Ioannem etc. subscriptis, plenius dicitur contineri*? Responderunt: Non esse. Item, interrogati an illius scriptura quam ipse Dom. Mussipontanus exhibuit in hac 15a sessione[202]) et incipit a verbo: *Nos infracripti: Carolus Loisel, ecclesiae collegiatae S. Crucis apud Mussipontum canonicus, Nicolaus Roüot, iuris utriusque licentiatus, presbyteri dioecesis Tullensis, in dicta civitate Mussipontana commorantes, notarii apostolici in Curia Romana inscripti et immatriculati, testamur, etc.* et finit in verbis: *ac requisiti subsignamus, die 19 mensis Julii 1659, in dicto monasterio S. Mariae Majoris Mussipontano, in quo dictum originale reperimus*[203]): *Carolus Loisel, notarius Apostolicus, Nicolaus Roüot, notarius Apostolicus.* originale fuerit a dicto Petro

[198]) Supplex libellus ex parte Communitatis Antiqui Rigoris Actis huius capituli insertus est ad n. 123. Concessioni huiusmodi declarationis Gregorius du Crocq in scriptis sese opposuit (vide supra Acta n° 125), sed patres capitulares nihil hucusque hac de re decreverunt. Abbas Parcensis tantum proposuit colloquium instituendum esse postquam Communitas Antiqui Rigoris rite deputatos cum mandato explicito ablegaverit.

[199]) Documentum, de quo loquitur abbas generalis, comprehendit tam breves *Articulos Reformationis* quam *Annotationes ad articulos supradictos* et ab abbate Mussipontano una cum religiosis suae canoniae subscriptum fuit die 24 februarii 1613. Hoc Instrumentum ad amussim describitur a notariis Loisel et Rouot qui originale prae oculos habebant. Inseritur actus notariorum in Actis huius capituli n° 143.

[200]) Vide supra notam 180.

[201]) Petros Gosset.

[202]) Textus integer invenitur infra ad numerum 143.

[203]) In actu originali notariorum prout in n° 143 habetur, loco verbi *reperimus*, hic habetur *reliquimus*.

Gossetio Generali subscriptum? Responderunt dictum actum notariorum satisfacere interrogationi; et hic finita est 15a sessio et alia pomeridianum tempus hora circiter 2a et a pulsum solitae maioris campanae indicta est.

Sessio 16a pomeridiana. Die 3a Maii 1660.

[143] Fusis precibus solitis, dictoque a Rev. Dom Generali *Benedicite* reproducente secretario, lecta est charta illa quam in fine sess. 15ae porrexit Rev. Dom. Guinet, abbas Mussipontanus, et est sequentis tenoris: *Nos, infrascripti, Carolus Loisel, Ecclesiae collegiatae S. Crucis apud Mussipontum canonicus et Nicolaus Rouot, iuris utrisque licentiatus, presbyter Tullensis dioecesis, in dicta Civitate Mussipontana commorantes notarii apostolici, in Curia Romana inscripti et immatriculati, testamur, et notum facimus nobis oblatum fuisse, in Monasterio S. Mariae maioris Mussipontanae, eiusdem dioecesis Tullensis, Congregationis, seu Communitatis antiqui rigoris ordinis Praemonstratensis, librum scriptum chartaceum in quarto, pergameno coopertum* (825) *continentem folia scripta 30, cuius initium seu 1a pagina sic inscribitur: Articuli Reformationis Monasterii nostri S. Mariae maioris Mussipontanae, eiusque 1,2,3 et 4 folia habent descriptos articulos 23 praedictae Reformationis cum signaturis religiosorum praedicti monasterii, sub fine etiam 4i foli, verso, legitur: Approbatio et ratificatio totius huius libri sine ulla natura, nec ullibi cancellata, et a Revmo Generali Gossetio facta in his verbis: Reformationem suprascriptam et infra explicatam habemus ratam et gratam et authoritate qua fungimur stabilimus et confirmamus, hortantes Dom. Abbatem, priorem et religiosos S. Mariae Maioris Mussipontanae qui eam sunt fortiter amplexati, ut in ea permaneant, et conentur coeteros nostri Orinis alumnos ad eas allicere. Datum et Chryrographo sigilloque nostris communitum. Praemonstrati 2 iulii 1614. fr. Petrus Gossetius, Abbas Praemonstratensis et totius Ordinis Generalis, sub qua signatura videtur sigillum impressum sanum et integrum, initio etiam 5i folii incipit: Explicatio eorumdem Articulorum, sub hoc tenore: Annotationes ad articulos supra scriptos, etc. Quae Annotationes contentae foliis 17, conformes sunt et concordant de verbo ad verbum cum iis quae anno 1656 typis fuerunt mandatae, et incipiunt a pag. 3 libri impressi sub iisdem verbis: Annotationes ad articulos supradictos etc. finiuntque pag. 21. Sic et secundum haec et acta et decreta, etc, in quorum fidem, etc. Initio etiam folii 22 dicti libri manuscripti habentur: Renovationes professionum factae*

in Monasterio novo S. Mariae Maioris Mussipontanae anno 1613, ipso die divo Matthiae sacro subsignatae in sequentibus foliis: fr. Petro Desbans, coadiutore S. Mariae Maioris,: fr. Petrus Fery prior, cum parapho; fr. Petrus Thienville, diaconus, cum parapho; fr. Sebastianus Colignon, subdiaconus cum parapho; fr. Gerardus, subdiaconus, cum parapho; fr. Raguetius subdiaconus, cum parapho; fr. Paige, cum parapho; fr. Sebastianus Didelot, cum parapho; fr. Stephanus Gerardus, cum parapho; fr. Franciscus Stephanus; Nicolaus a Monte Acuto, cum parapho; et 25° verso subsignavit fr. Claudius Thomassin, vicarius cum parapho et fr. Bertrandus Mortier, pastor veteris villae et pro-Prior S. Mariae in Nemore cum parapho; de die 25a Martii 1613. Initio etiam folii 26 recto, signante die 6 Aprilis eiusdem anni 1613, fr. Ioannes Lopin, cum parapho. Initio etiam folii eiusdem 26 verso habetur: Articles de la reforme de S. Marie Majeure au Pont à Mousson translatés en françois en faveur des convers du meme lieu, etc. iis numero 23 et post 23 articulos habetur: les convers ont soussignnez ou fait soussigner les articles, Cejourd'huy 25e de Mars 1613. Aprez les serments qui s'en suit, nous soussignez iurons, etc. finitque fol. 28 recto, et est signatum; fr. Maugin Chipart cum parapho; fr. Michel le Jayr, cum parapho; fr. Christophe Mennequin cum parapho; sequuntur signaturae fr. Bertrandi Mortier et Lapostole, qui rogati a conversis scribere nescientibus, scilicet Mansueto Voirin, Petro Desarmoises, Ioanne Champendu, Ioanne Marquis, et Nicolao Forget, subsignarunt eodem folio 28, ibidem recto habetur: la renovation des professions des Convers de Sainte Marie Majeure au Pont à Mousson est faite à Sainte Marie aux Bois, ce vingtcinquième de Mars mil six cent treize: Nous soussignez repetons, etc. Finitque eodem folio verso, et est signatum: fr. Maugin Chippart, fr. Christophe Mennequin, fr. Michel la Sau cum parapho, habetur ibidem signatum fr. Bertrand Mortier qui rogatus fuit id facere pro conversis scribere non valentibus, folio 29 recto habetur, les renovations suivantes immediatement ont este faites a S. Marie Maieure au Pont a Mousson le 6 avril 1613. Je soussigne repete etc. finitque eodem folio 29 et est signatum fr. Thomas Marlier. cum parapho; sequitur: Je soussigné repete, etc. Signatum: fr. Nicolas Paige, ac finaliter folio trigesimo recto habetur: Renovatio: Je frere Antoine Lapostole, etc. die decima nona ianuarii millesimi sexcentesimi decimi quarti ab eodem signata: fr. Lapostole, cum parapho. Et qui nos praefati dictum libellum chartaceum manuscriptum a Rev. Dom. Abbate Sanctae Mariae exhibitum dictam Revmi Domini Gossetii, abbatis Praemonstratensis et generalis confirmationem continentem, vidimus, legimus et inspeximus, eamdemque cum suo

dicto originali, sano, integro, non vitiato, non cancellato, aut in ulla sui parte suspecto concordare de verbo ad verbum comperimus cum omnibus antecedentibus et consequentibus actibus, in hoc extracta fideliter et ad apicem designatis, in fidem rogati et requisiti subsignavimus, die decimo nono mensis Iulii anno 1659, in dicto monasterio S. Mariae Mussipontano, in quo dictum originale reliquimus: Carolus Loisel, notarius apostolicus et N. Rouot, notarius publicus.

Et ex hoc notariorum testimonio Patres Capituli signanter (827) notarunt, praetensam bonae memoriae Petri Gossetii subscriptionem esse mediam inter Articulos Reformationus ab eo approbatos, et eorum interpretationem, atque adeo totum esse suspectum, cum vir tantus non praesumatur sic errasse, ut sua singrapha approbaret, quidquid sub ea apponeretur.

[144] Item, dixit Rev. Dom. Abbas Mussipontanus, Communitatis antiqui rigoris deputatus, se exhibuisse Revmo. Dom. generali dictas *Annotationes in Articulos Reformationis*, et chartam iam recensitam non ut eas examinet Capitulum sed ut ostendant se procedere sincere, et Rev. Dom. Parcensis dixit quod Revmus Dom. Generalis et Capitulum non quaestiones sess. 15ae insertas fecerit ut fiat aliquid contra Bullas Communitati antiqui rigoris concessas, sed ut Capitulum scire possit, qualiter valeat se dirigere respectu eiusdem Communitatis; addidit secretarius eas esse etiam factas, ut sciatur inter scripturas quae spargun-tur in Communitate antiqui rigoris tamquam illius leges quaenam sint ab Apostolica Sede confirmatae, quaenam non, et ut Capitulum inter utramque reperiens discrimen, possit examinare non approbatas; et si quid in eis minus rectum fuerit eliminare et prohibere. Et Dom. Abbas Mussipontanus institit Capitulum Generale in ea re non posse ulterius procedere, quia est solius Pontificis omnia illa examinare, et protestatur se usurum mediis iuris contra Capitulum, si ulterius procedat.

[145] Item, Rev. Pater Norbertus Caillieu, prior Praemonstratensis nuper in Normannia visitator, conquaestus est quod Patres Communitatis antiqui rigoris occuparint monasterium Lucernense[204]), ad instantiam fratrum dicti monasterii, qui octiduo ante fuerant a se, visitatore, declarati rebelles suo Abbati locali regulari[205]), et quorum castigatio fuerat remissa ad Revmum Dominum Generalem et ne poenas subirent easque evadere sperantes advocarunt Patres Communitatis

[204]) La Luzerne (BACKMUND, III, 26-28).
[205]) Dionysius le Coirsonnois.

antiqui rigoris, qui statim venerunt, et una sabbati die, pacti sunt cum rebellibus, et Dominica sequente, rebelles admiserunt ad professionem, ita ut rebellio et sperata poenarum evasio fuerit eis pro novitiatu et pro merito ad Communitatis antiqui rigoris professionem. Quaesivit itaque dictus Prior Praemonstratensis an Communitas antiqui rigoris, potuerit se introducere in monasterium Lucernense sine assensu Abbatis regularis, et de solo assensu religiosorum qui per visitationem octiduo antea factam fuerant declarati rebelles in suum abbatem regularem, et inflictio poenarum fuerat remissa de consensu etiam aliquorum aliorum, qui noluerunt Reformationem eiusmodi acceptare et contenti sunt annua pensione per Communitatem eis danda[206]), reliquis fratribus professis dicti monasterii contra eiusmodi introductionem reclamantibus.

Postquam Dom. Mussipontanus (828) Abbas dixisset audiendos esse Vicarium et Lucernenses, se vero nescire an bene fecerint necne, coeterum per Bullam Pauli quinti[207]) licere, petita et non obtenta venia, Communitatis antiqui rigoris aggregari. Capitulum diffinivit et diffinit Communitatem non potuisse introduci in Monasterium Lucernense secundum propositam facti speciem, et proinde ut de facti specie doceatur, citandum esse Vicarium dictae Communitatis ut de facto suo reddat Revmo D. Generali rationem post huiusce Capituli Generalis solutionem.

[146] Item, Secretarius legit commissionem factam a Communitate antiqui rigoris, qua RR. DD. Guinet, Sauvage, Thienville abbates ad Capitulum Generale deputati sunt, et cum moveretur difficultas cui usui esset eiusmodi deputatio, cum omnes Abbates et priores Abbatiarum commendatarum tenerentur interesse Capitulo Generali, dixerunt dicti deputati se praetendere quod Communitas praedicta possit deputare qui illius nomine intersint Capitulo Generali, sicque eiusmodi usus et professio, non tamen per hoc praetendat reliquas Communitatis ut supra qualificatas non obligari venire ad Capitulum Generale, iuxta decretum huius Capituli antea edictum: Capitulum diffinivit et diffinit Communitatem posse quidem deputare aliquos qui nomine illius agant de eius iuribus, sed deputationes eiusmodi non impedire, quin et alii

[206]) De methodo adhibita in spargenda reformatione Lairueliana vide praesertim E. DELCAMBRE, *Servais de Lairuelz*, p. 173-178.

[207]) «Et insuper omnibus et singulis eiusdem Ordinis Professoribus Reformationem eamdem S. Mariae Mussipontanae amplecti in propriis vel praefatis monasteriis volentibus, petita venia, licet non obtenta, licitum et liberum esse ... declaramus.» Paulus V, *Exigit pastoralis*, LE PAIGE, BPO, 750.

omnes Abbates et priores teneantur in Capitulo comparare et in eo respective votare, sicut caeteri Orinis Patres.

[147] Item, dixerunt dicti deputati ad difficultatem quae movebatur de verbo *Congregatio*, se nil magis praetendere per eiusmodi vocabulum, quam per id quod est Communitas, sed utrumque nomen indifferenter sumi, et protestati sunt se venisse ad Capitulum Generale ut illi vere et sincere obediant, in iis decretis quae Constitutionibus Apostolicis eidem Communitati concessis non adversantur.

[148] Item, Rev. Dom. Ludovicus Sopitte, abbas Albae Curiae, proposuit quod frater Thomas Forceville, alias prior[208]), et Gerardus, supprior Albae Curiae, contra leges Regni et bonam oeconomiam vendiderint plurimas et magni pretii arbores, cum maximo monasterii damno et petiit deputari commissarois qui super dicto damno et aliis bonorum dissipationibus inquirant, et reos regulariter puniant. Capitulum deputat RR. DD. Mussipontanum et Vallis Serenae qui inquirant et regulariter, si dicti fratres rei fuerint, puniant, idque sumptibus Rev. Dom. Abbatis Albae Curiae requirentis.

[149] Item, proposuit Rev. Pater Franciscus Martin, prior Belli Portus, ad Dist. 1 Statutorum, cap. 12, n. 33, an in collationibus ieiuniorum posset ad panem addi aliquid fructuum? Capitulum respondit standum esse Statutis[209]).

[150] (829) Item, eodem proponente, Capitulum diffinivit lectionem mensae esse onus spectans ad non sacerdotes; ideoque si iuniores non fuerint, lectionem incumbere quatuor iunioribus sacerdotibus; et Rev. Dom. Domnimartinensis qui e media sessione iussu Revmi Dom. Generalis recedentis, praesederat, decreto sessionem clausit, alia ad octavam matutinam indicta.

Sessio decima septima, Die 4a Maii 1660 matutina

[151] Exposuit R.P. Antonius Lafaux, prior Perrodii Novi, fr. Iacobum de Bresine, ad habitum Ordinis admissum circa anuum 1654 in Coenobio de Lucerna ibidemque in novitiatu existentem permisisse recipi ab eodem Conventu de Lucerna summan circiter 1500 librarum

[208]) Uti talis aderat capitulo generali anni 1657. Cfr. Acta Cap. Gen., V. 1657, p. 13.

[209]) Statuta Dist. I, cap. 12, n. 33: «qua dicta, lector lectionarium ascendat, per totam collationem lecturus, et Conventus (cui praeter potum etiam panis temperate administratur) mensis assideat.»

Gallicarum ex venditione quorumdam bonorum quae ipsi in saeculo supererant, provenientem; idque, quia ipsi manserat de eiusmodi pecunia in favorem religionis et monasterii cui incorporaretur disponendi pensum; tamen Fr. Iacobum de Bresine non in Lucernensi sed in Perrodii Novi monasterio post absolutum probationis tempus et incorporatum et professum esse, ita scilicet statuente Revmo Dom. Generali in visitationum suarum provinciae Normanniae decursu, et ultro consentiente et cupiente ita fieri, conventu de Lucerna, ubi dicti fratris valetudo non videbatur usque adeo fore bona; cumque praefata pecuniae summa consequenter a conventu Lucernensi refundi debuisset Communitati de Perrodio Novo eaque integra, utpote cum ex aliis pecuniis dictus frater pro suis vestibus et necessario supellectili communitati de Lucerna satis fecisset, et aliunde nihil pro victu novitiorum in dicta provincia solvi consuetum sit, sed nec quidpiam pro victu peti possit, cum ipse novitiatus eius tempore quidam religiosi de Lucerna in coenobio Perrodii Novi omnino gratis in studiis alerentur eam tamen pecuniae summam neutiquam refusante; quapropter dictus prior petiit a Revmo Capitulo Generali cum nullus ex parte conventus Lucernensis in praesentiarum compareat, qui respondere possit, deputari commissarios coram quibus receptae a Lucernensibus praefatae pecuniae probatio constitui valeat, et interim condemnari religiosos Lucernenses ad solutionem refusionemque praefatae pecuniae si quasi dicti Commissarii ab iis eo modo exponitur receptam fuisse et non refusam compererint idque non obstante qualibet oppositione et appellatione, et absque illarum praeiudicio. Capitulum deputat RR. PP. Franciscum Martin, priorem Belli Portus et Stephanum Binet, priorem Stellae, vel eorum alterum qui inquirunt et iudicent, seu eorum alter inquirat et iudicet et ad solutionem, si casus fuerit, via iuris compellant, non obstantibus oppositionibus aut appellationibus quibuscumque et absque illarum praeiudicio.

[152] Item, R.P. Priori Praemonstratensi supplicanti designari loca (830) studiorum Theologiae et Philosophiae pro Circariis Normanniae, dixit Revmus. Dom. Generalis se cum Prioribus dictae Circariae designaturum.

[153] Item, ad relationem Rev. Dom. Ninivensis, referendarii, Capitulum mandavit et mandat Rev. D. Ioanni Fraisinne, abbati Knechtstedensi, ut Knechtstedium revertatur et regat monasterium donec et quousque aliter per Sedem Apostolicum fuerit ordinatum[210]).

[210]) Vide supra notam 15.

Item, Capitulum inhibet omnibus et singulis Religiosis Knechtstedensibus ne in quoquam RR. DD. Praepositis Langwadensi et Kaiserbocensi[211]) Capituli Generalis commissariis inferant, aut inferri faciant gravamen ex ratione expensarum litis adhuc pendentis, idque sub poena excommunicationis.

Item, Capitulum, audita relatione Rev. Patris Ioannis Luckenrath, prioris Marensis et deputati referendarii, recognovit expensas, quas RR. DD. Praepositi Langwadensis et Kaiserbocensis, uti Capituli Generalis commissarii, in executione suae commissionis in lite Knechtstedensi fecerint ascenduntque ad 337 et medium Imperiales, quorum solutionem ab Ordine ipsis faciendam remittit ad litis decisionem.

Item, lecto libello praepositi Hinsbergensis, quo repetit 125 libras, quas sub eius chirographo dicti monasterii Langwadensis et Kaiserbocensis levaverunt; Capitulum remittit usque dictam litis decisionem, ut tunc auditis commissariis fiat quod aequum fuerit.

[154] Item, Vener. P. Lafaux, prior Perrodii Novi, exposuit Capitulo qualiter Rev. Dom. Abbas Albae Curiae prorsus turbaverit conventum Perrodiensem, committendo fratri Petro Jarry, hac in re parti, executionem cuiusdam arresti dicto Abbati assignantis pecuniae aliquam summam; et narrator historiae addidit dictum Abbatem peccasse in Statutis, Dist. 4, c. 28,[212]), eo quod imprimis traduxerit conventum Perrodiensem ad tribunal saeculare super pensione praetensa, ratione fratris Jarry cumque fr. Jarry a Revmo Domino Generali ad Ecclesiam Praemonstratensem per expressam et specialem ordinationem missum, miserit ad ecclesiam Perrodiensem, eique ad hoc litteras dederit obedientiales, et conclusit supplicando Capitulo Generali ut dictus Abbas ad exemplum puniatur. Capitulum committit RR. DD. Abbatibus Ninivensi et Vallis Serenae, qui separati, sedente Capitulo, partes audiant, eisque iustitiam administrent.

[155] Item, Rev. P. Iosepho Rudelle referente, Capitulum mandavit et mandat fr. Bernardo Maillot praesenti ut obtemperet decreto visitationis grangiae de Vico[213]) et se conferat ad dictam grangiam, in ea mansurus et beneficiario de Tabaux[214]) deserviturus, nec rediturus ad proprium

[211]) Cfr. Acta Cap. Gen, V, 1657, n° 189.

[212]) Statuta, Dist. IV, cap. 28, nn. 1-9.

[213]) Praepositura de Vic-Fezensac, départ. Gers, dioecesis Auscensis (= Auch), BACKMUND, III, 203.

[214]) Vide supra notam 56.

monasterium, nisi de Vicarii generalis licentia, et interim agnoscat gratiam sibi factam a Capitulo, quod a poenis per ipsum meritis temperat.

[156] (831) Item, Capitulum mandat Vicario Gasconiae, ut sine mora contentiosos Casae Dei religiosos et in suum Priorem protervos compescat, et, si opus sit, reos emittat.

[157] Item, R.P. Ioseph Rudelle proponente quod alias fuerit concordatum in monasterio suo Capellae prope Tolosam, ut novitii non admitterentur ad habitum nisi de consensu Abbatis commendatarii quodque eiusmodi concordatum praeiudicium inferat disciplinae regulari; Capitulum diffinit non teneri Priorem Capellae vel aliorum monasteriorum commendatorum requirere, vel habere consensum Abbatis commendatarii ad recipiendos novitios, et mandat Priori Capellae aliisque Prioribus ut libertatem in recipiendis novitiis similiter conservent, non obstantibus quibuscumque per religiosos factis transactionibus in contrarium facientibus; quas in hac parte Capitulum nullas esse declarat, et, quatenus opus sit, annullat.

[158] Item, Capitulum ammonuit Patres Gasconiae tam praesentes quam absentes, ut habitum suum ad Statutorum normam omnino accomodent, et coronam capilitiam iisdem Statutis conforment[215]), alias a Visitatoribus puniendos.

[159] Item, diffinit non esse creandum in Gasconiae circaria Promotorem, nisi in processibus extraordinariis, idque per Visitatorem aut alios Ordinis Commisarios.

[160] Item, quaesivit dictus P. Rudelle utrum grangiarii Gasconiae habeant vocem in Capitulo provinciali, etiam in praesentia Superioris Monasterii a quo pendet grangia? Capitulum diffinit grangiarios, qui praesunt religiosis viris cum iurisdictione vocari debere ad Capitulum provinciale, et in eo habere vocem, ut priores claustrales.

[161] Item, petiit an duo in primo et secundo gradu consanguineitatis recipi valeant in Monasterio, ubi duodecim solum religiosi ali possunt? Capitulum diffinit non repugnare Statutis recipi in duodenario numero vide duos, ut supra, consaguineos, dummodo non praevideatur pax propter eos turbanda; inhibet tamen Capitulum ne in octonario vel minori numero religiosorum, duo in primo vel secundo gradu consanguineitatis recipiantur.

[215]) «Corrona capilliata trium digitorum sit latitudinis et usque ad aures descendat, nec ultra, sitque, ut supra ita et infra, aequaliter rotunda.» Statuta, Dist. I, cap. 23, n. 2.

[162] Item, Capitulum mandat ut in Gasconiae circaria erigatur novitiatus communis, ad quem tam Abbates quam Priores teneantur sub poena mediae annuae pensionis tot novitiorum quot habebunt novitios eidem novitiatui communi applicandae, et haec erectio fiat infra annum ab huius Capituli solutione computandum; idem diffinivit de studio communi.

[163] Item, petiit ut possint ad tribunal saeculare trahi religiosos qui expensas, a Visitatore ratione visitationis factas, solvere debent et tamen nolunt. Et quaestiones extendit ad expensas quae a deputatis fiunt, in itinere ad Capitulum Generale? (831) Capitulum diffinit eos cogi posse omni iuris via, et etiam per recursum ad tribunal saeculare; quod tamen decretum non sit intelligendum nisi pro Gallia.

[164] Item, Capitulum audito, quod cessit haereticorum violentia qua fratres Ordinis hactenus impediti fuerunt a divinis officiis in Monasterio S. Nicolai de Guardone in dioecesi Vicensi[216]) celebrandis, et ab eiusmodi occupatione, mandavit et mandat Vener. P. Iosepho Rudelle, priori Capellae prope Tolosam, ut aliquot ex suis vel Circariae Gasconiae canonicis mittat ad dictum S. Nicolai de Guardone coenobium, eosque illi incorporet, et faciat cum effectu illos in eo manere, officia divina celebrare, compellendo, si opus est, omni iuris via, Abbatem commendatarium ad dictorum Religiosorum congruam sustentationem.

[165] Item, Capitulum diffinit non esse contra Statuta si supprior curam parochialem monasterio vicinam gerat, debere tamen Visitatorem considerare locum, circumstantias et permittere vel inhibere. Item, definit non fieri iniuriam suppriori si simpliciter et ad nutum ab officio suo absolvatur.

[166] Item, Rev. Dom. Franciscus La Fosse, abbas Corneolensis, exposuit humiliter miserabilem statum sui Monasterii, et renuntiavit omnibus a se ante hac actitatis sive cum eo quem vocavit praetensum coadiutorem, sive cum resignatorio, sive cum Patribus Communitatis antiqui rigoris, et supplicavit Revmum Dominum Praemonstratensem, ut dignetur sibi permittere resignare abbatiam suam Corneolensem in favorem Vener. P. Claudii Mitenne, Capitulo praesentis, abbatiae presbyteri canonici et prioris. Tunc R. P. Thienville petiit admitti ad defendenda iura Communitatis antiqui rigoris, quae posset in re, vel ad rem acquisivisse, occasione contractus, per ipsum Franciscum La Fosse,

[216]) Agitur de monasterio Sancti Nicolai de Fondarella, in dioecesi Vicensi (= Vich), circariae Gasconiae, BACKMUND, III, 180-181.

[217]) Vide supra notam 48.

abbatem, cum Communitate antiqui rigoris initi, et etiam rogavit ad eiusmodi iura defendenda, et expensas ab ipso La Fosse repetendas, admitti Patres Antonium Aubertin, et Michaelem Warin[218]), priorem Flabonis Montis; Capitulum reliquit et relinquit Patribus Communitatis antiqui rigoris quibuscumque liberum sua iura contra resignantem prosequensi, et Revmus Dominus Generalis, cum ipso competat ius admittendi eiusmodi resignationem, reservavit eandem ad tempus pomeridianum[219]).

[167] Item, petiit dictus P. Claudius Mitenne, prior Corneoli, litteras capitulares ad Parlamentum Dolanum, intercessionales pro recuperandis bonis dicti Monasterii, vili pretio et cum damno alienatis,

[168] Item, referente Patre Ioanne Mereau, priore Sancti Pauli (833) Senonensis, quod Rev. Dom. Claudius Duchast[220]), abbas regularis dicti coenobii, non gestet amplius habitum Ordinis, sed praetendat privilegium pontificium, quod tamen non exhibet. Capitulum mandat Syndico Ordinis ut coram Revmo Domino Generali dictum Duchast citari curet infra duos menses a significatione praesentis decreti computandos, ad docendum de dicto privilegio, vel videndum se condemnari ad resumendum Ordinis Praemonstratensis habitum, sub poenis Statutorum. Item decreto Revmi finis impositus est sessioni et alia indicta est ad horam secundam pomeridianam.

Sessio 18a pomeridiana, die 4a Maii 1660

[169] Decimam octavam sessionem occuparunt quae nondum proposita fuerant Bohemiae negotia de iis disserentibus Rev. Dom. Ninivensis per litteras privatas Rev. Dom. Vincentii abbatis Strahoviensis[221]) instructo, et Rev. P. Priorem Praemonstratensis Ecclesiae deputato referendario, qui scripturas ad Revmum Dom. Praemonstratenem et ad Capitulum Generale transmissas provolvens, quid in iis contineretur referebat, ex quorum discursu visum est Patribus difficultates omnes ad

[218]) Michaël Warin nominatus fuit prior canoniae Flabonis Montis (= Flabémont) départ. Vosges, dioecesis St. Dié, in capitulo Communitatis antiqui Rigoris 1658, Cfr. Nancy, ms. 994, fol. 295v°.

Antonius Aubert (Aubertin) fuit prior canoniae Cuissiacensis (= Cuissy), Communitati Antiqui Rigoris aggregatae, *Ibidem*, fol. 295v°.

[219]) Decretum de acceptatione resignationis abbatis La Fosse non datur in actis huius capituli; attamen in n° 188 praedictus abbas uti cedens designatur.

[220]) Ex hoc decreto minime patet abbatem Claudium Duchat, usum pontificalium usurpasse uti asserit BACKMUND, II, 531 praesens decretum advocans.

[221]) Vincentius Macarius Franck, 1658-1669, BACKMUND, I, 382.

tria puncta reduci: primum: Monasterium Milovicense[222]), Strahoviae, ut asseritur, datum a Caesare eidem Strahoviae incorporandum sit, necne? Secundum: an ius paternitatis in Monasterium Siloense[223]) sit penes Strahoviam, an vers penes Steinfeldiam?[224]) Tertium: quid dicendum de asserta litterarum a Rev. Dom. Vincentio abbate Strahoviensi ad Rev. adm. Dom. Matthaeum Paul abbatem S. Vincentii Wratislaviensis, Bohemiae vicarium generalem diebus 15 Octobris anni proxime praeteriti 1659, 16 Novembris eiusdem anni, 1ae decembris eiusdem etiam anni aliisve diebus transmissarum acerbitate? quae puncta, cum partim ex originalium documentorum inspectione, partim ex facti confessione, dependere visa sint, Capitulum sperans pacem inter partes deinceps intercedere, decrevit commitendum, et praesenti decreto committit RR. DD. Zabrdovicensi[225]), et Geracensi[226]) in partibus, ut instituant processum super difficultatibus notis occasione Milovicensis coenobii, et super iure paternitatis in Siloense monasterium, similiter quoque se informare de praedictarum litterarum acerbitate, usque ad sententiam diffinitivam exclusivam, quem processum in informatione remittant ad Revmum Dom. Praemonstratensem pro diffinitiva sententia, cui partes acquiescere tenebuntur.

[170] Item, retulit P. Prior Praemonstratensis quod Rev. D. Abbas Lucensis[227]) (831) petat sibi dari patrocinium in Ecclesiam G. Vincenti Wratislaviensis[228]), sine ulla restitutione et conditione. Capitulum man-

[222]) Milevsko, abbatia olim insignis in oppido eiusdem nominis in Bohemia merionali, dioecesis Pragensis, nunc Budvicensis (= Č. Budějovice). In cap. Prov. Bohem. anni 1659 decretum fuit ut abbas Strahoviensis Milovitium instauraret tamquam abbatiam sui iuris. Ast iste se iniunctum sibi opus non perfecisse videtur. Anno 1683 Milovitium factus est prioratus cum decem canonicis a Strahovia dependens. BACKMUND, I, 365. Cfr. Cap. Gen. 1657, n° 59.

[223]) Zeliv in Bohemia, dioecesis Reginae-Gradicensis (= Kralovske Hradec).

[224]) Vide de hac re supplicem libellum abbatis Viti Rössler insertum in Actis Cap. Gen. V, 1657, n° 193. Commissum tunc fuit abbati Matthaeo Paul, Vicario Bohemiae et Godefrido Olenius, abbati Zabrdovicensi, ut sese certiorem facerent et quod iuris fuerit deciderent.

[225]) Godefridus Olenius, 1650-1678, †1682, cfr. *Totenbuch des Siftes schlägl*, p. 161.

[226]) Ioannes Westhaus (1650-1674) canoniam Gerusenam (= Geras) nunc in Austria inferiori, in confinibus Moraviae, dioecesis Sancti Hyppoliti (= Sankt Pölten) rexit, BACKMUND, I, 354.

[227]) Norbertus Pleyer, annis 1659-1678 praefuit canoniae Lucensi (= Louka) in Moravia, dioecesis Brunensis (= Brno), BACKMUND, I, 361-364; *Totenbuch des Stiftes Schlägl*, p. 92.

[228]) Lapsa disciplina in canonia Sancti Vincentii Wratislaviensis (= Wrocław) ope praelatorum Bohemorum instaurari potuit. Ideo anno 1650 illi circariae adiuncta fuit sub paternitate abbatum Lucensium. BACKMUND, I, 404.

davit communicari D. Steinfeldensi rationes a Dom. Lucensi per epistolam Capitulo Generali propositas, et interim aestimat convenire ut propter illas et alias rationes a Capitulo ponderatas, Abbas Steinfeldensis cum suo Conventu per publicum instrumentum tradat et resignet totum ius paternitatis quod habere potest in praedictum monasterium S. Vincentii R.D. Lucensi et successoribus illius siquidem et Revmus Dominus Generalis qui dictum ius paternitatis immediate dicit ad se spectare pro bono Ordinis et dicti monasterii S. Vincentii, idipsum ius totaliter et in posterum transtulit et transfert ad abbatem et Ecclesiam Lucensem, iuxta formam Ordinis et hic finita est sessio, et alia in crastinum hora octava matutina fuit indicta.

Sessio decima nona, die 5a Maii 1660. matutina

[171] Fusis precibus et ex commissione Revmi Praemonstratensis praesidente Rev. Dom. Domnimartinensi, quaesivit secretarius an Praelatus debeat habere titulum Visitatoris, propterea quod filiales ecclesias quas visitare possit, habeat? Capitulum diffinivit non propterea quis potest simpliciter gaudere titulo visitatoris.

[172] Item, Capitulum commisit Revmo Generali nominationes Circatoris pro Circaria Bohemiae.

[173] Item, facta per secretarium relatione, quod occasione *Bibliothecae Praemonstratensis* a Ioanne le Paige edita et alias ab Ordine reprobatae[229]), libro 4. pag. 859, impune spargatur ab aliquibus Statuta Ordinis, anno 1630 confirmata, non obligare, et proinde in Francia et Germania non observari. Capitulum declarat Statuta eiusmodi obligare, prout iacent, et in Gallia et in Germania, ac ubique in ordine observari, dictamque *Bibliothecam* fuisse ab Ordine quoad aliqua reprobatam, et iterum, quatenus opus est, reprobat; illamque Capitulum, eiusque auctorem, in punctis quibus dicta statuta impugnabat, fuisse in Senatu regio Parisiis condemnata; ac propterea Capitulum inhibet omnibus et

[229]) Agitur de libro: Ioannes Le Paige, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633 (cfr. Goovaerts, II, 9).

In hoc opere multas fontes historicas publici iuris fecit, sed et acri calamo renovatam codificationem Statutorum Ordinis Praemonstratensis crisi subiecit ac relicta visitationum ab ipso in variis canoniis Ordinis peractarum suo volumini inseruit. Cfr. Pl. Lefevre, *Une appréciation sur la Bibliotheca Praemonstratensis par un abbé belge en 1633*, in *An. Praem.*, 19, 1943, 59-60. Hugo, Annales, Praefatio, auctorem iudicavit dicens: «Vir ambiguae fortunae, lectionis multae, criterii mediocri, bene audiit apud doctos, melius audiret si Ordinis scrinia fuisset scrutatus.»

singulis Ordinis religiosis, sub poena triduani ieiunii ne praedicta vel quid simile in dictorum Statutorum vilipendium spargere de coetero praesumant et denuo mandat servari dicta Statuta prout iacent non obstantibus consuetudinibus in contrarium, si quae forte adhuc essent, (835) facientibus. Et quia in dicta *Bibliotheca* inseruntur pleraque vera, et Ordini utilia, Capitulum mandat Rev. Dom. Liberto, abbati Parcensi, ut dictam *Bibliothecam* revideat, falsa, erronea, et scandalosa expungat et si quae bona et utilia habuerit adjungenda, praevia Revmo. Dom. Generalis approbatione adjungat.

[174] Item, mandat omnibus Vicariis ut authenticas ex omnibus monasteriis privilegiorum copias a Superioribus localibus exigant, et acceptas ad dictum Rev. Dom. Parcensem transmittant. — Ad mediam hanc sessionem Revmus D. Generalis venit ad aulam capitularem et praesedit.

[175] Item, Rev. p. Prior Praemonstratensis exposuit durum videri decretum Capituli Generalis anni 1657[230]), quo cautum est ut Prior Praemonstratensis, vacante Ecclesia, nihil possit decernere, quoad administrationem spiritualium et temporalium, nisi de consilio et de consensu quattuor Canonicorum, a Conventu eligendorum, cum sit in possessione et privilegio contrarii. Capitulum mandat desuper audiri Conventus Ecclesiae Praemonstratensis.

[176] Item, quaesivit Rev. Dom. Vallis Serenae abbas an licuit celebrare de Dedicatione in Ecclesiis non consecratis, sed tantum benedictis? Capitulum diffinivit: licere.

[177] Item, Capitulum dispensavit ad sesquiannum novitiatus cum fr. Dominico Guerni, novicio Capellae iuxta Tolosam[231]), dummodo accedat consensus maiorum de domo.

[178] Item, R. Patre Priore Praemonstratensi petente an Virgines Boleslavienses[232]), non sufficienter dotatae, ab Ordine, sint dotatandae, an vero sint relinquendae emori, aut collocandae in aliis Ordinis

[230]) Vide Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 22 ubi patres capitulares decreverunt conventum Praemonstratensis archicoenobii audiendum esse priusquam confirmarent privilegium prioris Praemonstratensis quo, sede vacante, ad ipsum solum spectabat regere archicoenobium in spiritualibus et temporalibus. Postea, in n° 30, privilegium prioris innovavit «hoc addito quod eidem Priori Praemonstratensi in administratione praedicta adiungantur quattuor Canonici a Conventu eiusdem Ecclesiae eligendi, sine quorum consilio et consensu ad pluralitatem vocum nihil possit decernere.»

[231]) La Capelle, départ. Haute Garonne, dioecesis Tolosana (= Toulouse). BACKMUND, III, 168-170.

[232]) Boleslawiec, canonia sororum, sub paternitate abbatis de Witow. BACKMUND, I, 402-403, et 420. Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 158.

monasteriis? Capitulum diffinit scribendum ad Illustrissimum D. Archiepiscopum Gnesniensem[233]) et Illustrissimum Dominum Tholiboschy, episcopum[234]), pro earum auxilio, et relinquit Vicario facultatem de dicta Boleslaviensi congregatione Faciendi quod videtur expedire.

[179] Item, audito Rev. Dom. Mussipontano referendario, Capitulum declarat doctrinaliter et non iudicialiter quod religiosi ordinis Praemonstratensis gaudeant privilegiis Ordinis mendicantium, et aliarum privilegiatarum Congregationum, inhibet tamen Religiosis, ne sine licentia Superiorum iis privilegiis utantur, nisi iuxta tenorem Constitutioneum Apostolicarum.

[180] Item, audita relatione secretarii, quod Patres Bohemiae sess. 7a ultimi Capituli provincialis[235]) dicunt non esse usum cinguli coriacei novitiis, sed a professis ex non usu cappae, seu pallii choralis distingui, Capitulum diffinit esse abusum, et mandat eum tolli et Statutis stari.

[181] Item, dixit quod apud Patres Circariae Bohemiae ventilatum fuisset, sess. 9a (836) dicti Capituli provincialis[236]) decretum Capituli Generalis anni 1657, sess. 7a. in quo haec leguntur: *Vacantibus ecclesiis, Patres Abbates earum et non Capitulum, seu Priores earum habebunt omnimodam administrationem tam in spiritualibus quam in temporalibus* et Patres comperisse hoc decretum in partibus istis utiliter practicari non posse, nec praxim illius a principe terrae non tolerari, unde petere, quoad eas partes revocari. Capitulum diffinit manere decretum ultimi Capituli Generalis, et addit omnimodam illam administrationem sic intelligi, ut sit in utilitatem vacantis Ecclesiae, per personas eiusdem Ecclesiae si in ea fuerint idoneae.

[182] Item, quaesitum fuit an ubi a 400 annis vel etiam 500, concurrente magna populi frequentia et devotione canitur Matutinale Sacrum B. Virginis, diebus Sabbatinis, ibidem non debeat continuari tale Sacrum, quod iam non possit omitti sine populi scandalo et obloquio? Capitulum

[233]) Wenceslaus Leszynski fuit, annis 1658-1666, archiepiscopus Gnesniensis (= Gnezen), GAMS, 347.

[234]) Adalbertus Tholibowsky, professus canoniae de Witow, praepositus canoniae de Plock anno 1644 episcopus titularis Lacedaemoniensis creatus est et suffraganeus principis Caroli Ferdinandi, fratris Regis Vladislavi IV, episcopi Wratislaviensis et Plocensis. Anno 1654 episcopus Poznanensis. Obiit 22 Iulii 1663. Cfr. A. ZAK, *Episcopatus ordinis Praemonstratensis*, in *An. Praem.*, 4, 1928,82; GOOVAERTS, II, 249, IV, 339; GAMS, 355.

[235]) «Usus laneorum propter pretium institui non potest neque ideo lineorum (quae facile comparantur) subtilium aut delicatorum usus conceditur. Consuetus item non est usus cinguli coriacei novitiis quia a professis ex non usu cappae seu pallii choralis dignoscuntur.» Cap. Prov. Bohem., 91.

[236]) Cap. Prov. Bohem., 92 et Acta Cap. Gen. V, 1657, n° 30.

relinquit iudicio Capituli provincialis ut dictum Sacrum abroget, vel approbet; interim dictum Sacrum continuetur nominatim in ecclesia Grimbergensi prout hactenus.

[183] Item, an non debeant cani Laudes Venerabilis Sacramenti post Vesperas diebus Dominicis et aliis solemnioribus, exigente hoc loci consuetudine et populi devotione? Capitulum decernit standum esse decreto Capituli generalis anni 1657, quod est tenoris sequentis: *Diffinivit Capitulum non esse conventui imponendas preces, nisi quae in Statutis et ordinario praescribuntur, extra casum publicae necessitatis, praeter Litanias Lauretanas post Completorium recitari solitas*[237]).

[184] Item, quaesitum est an exercitium cathechisandi sit ita annexum officio Pastoris vel Vicepastoris, ut illud non possit Praelatus iniungere cuilibet alteri religioso suo? Capitulum diffinit quod potest Praelatus iniungere cuilibet exercitium cathechisandi quia Ordo totus curis animarum dedicatus est.

[185] Item, utrum authoritate Praelati non possint subinde cani Missae votivae Virginis et de sancto Rocho, Antonio, etc.? Capitulum diffinivit posse Praelatos in publica necessitate praecipere omnibus Religiosis, ut Missas votivas celebrent, ita tamen ut non sint perpetuae, nec si gravent religiosos ut a studiis impediantur.

[186] Item, quaesivit Rev. Dom. Vallis Serenae quid faciendum iis, qui ob fractionem silentii videlicet aut aliquam petulantiam refugiunt subire moderatam poenitentiam, et volunt delictum suum probari, antequam dictam poenitentiam persolvant? Capitulum dixit debere puniri.

[187] Item, quaesivit an Lector Theologiae vel Philosophiae possit admittere discipulos suos ad cubiculum, vel discipulorum cubicula intrare, ratione peculiaris instructionis? Capitulum dixit non posse, sine speciali Superioris licentia.

Item, quaesivit an Lectores non debeant se accusare in (837) Capitulo sicut et alii religiosi? Capitulum dixit: debere.

Item, quaesivit an Circator possit aliorum cubicula intrare, libere agere cum novitiis, et aliis iunioribus, hoc solo titulo quod sit unus ex Superioribus Conventus? Capitulum dixit non posse nisi, in aliorum Superiorum absentia, sit domus Superior.

Item, suo decreto Revmus D. Generalis sessionem conclusit, aliamque ad 2am pomeridianam indixit.

[237]) Acta Cap. Gen. V, 1657, nº 136.

Sessio vigesima pomeridiana, die quinta Maii 1660.

[188] Fusis precibus, dictoque a Revmo. Domino Generali: *Benedicite*, proposuit Rev. adm. Dom. Cuissiacensis sibi deberi pecunias a Rev. Dom. Francisco de la Fosse, abbate Corneolensi cedente, et nonnullis aliis de Communitate antiqui rigoris. Capitulum mandat ut computus fiat inter partes coram RR. DD. Wadegotiae et Vallis Serenae, qui solutionem debitori decernant.

[189] Item, Rev. adm. Floreffiensis Capitulo retulit, se et Convisitatores visitasse Ecclesiam Praemonstratensem et in ea per Dei gratiam vigere disciplinam regularem et omnes responderunt se Matri suae de spirituali sanitate congratulari.

[190] Item, pro emergentibus, quae Capitulum futurum commode non poterunt expectare, Capitulum Generale committit vices suas Revmo Dom. Generali, et RR. DD. Floreffiensi et Cuissiacensi et aliis Praelatis, si quos Revmus Generalis duxerit advocandos, ad diffiniendum, concludendum, et omnimode determinandum de singulis emergentibus, et si necesse fuerit, sigillo Capituli Generalis communiendum.

[191] Vicarios suos Revmus D. Praemonstratensis nominavit ut sequitur et sunt:

Franciae: Revmus D. Praemonstratensis sibi reservat.

Floreffiae et Flandriae: R.D. Floreffiensis.

Pontivi: Rev. Dom. Abbas S. Andrea in Nemore.

Brabantiae et Frisiae: Rev. Dom. Parcensis.

Westphalia: Rev. Dom. Steinfeldensis

Wadegotiae et Iveldiae sunt unitae ut in Actis[238])

Pro monasteriis Regiae Vallis[239]), Jovillaris[240]),

Capellae ad Plancas[241]), Monticelli[242]), Bassi Fontis[243])

Septem Fontium in Burgundi[244]), Belli Loci[245]), Corneoli et Bellelagiae[246]) Revmus Generalis etiam sibi reservat; eorumdem

[238]) Vide supra numerum 119.

[239]) Rengéval, départ. Meuse, dioecesis Virdunensis, BACKMUND, II, 96-98.

[240]) Jovilliers, départ. Meuse, dioecesis Virdunensis, BACKMUND, III, 78-81.

[241]) Chapelle-aux-Planches, départ. Haute Marne, dioecesis Lingonensis (= Langres), BACKMUND, II, 490-491.

[242]) Moncetz, départ. Marne, dioecesis Catalaunensis (= Chalons), BACKMUND, II, 516-517.

[243]) Bassefontaine, départ. Aube, dioecesis Trecensis (= Troyes), BACKMUND, II, 479-481.

[244]) Septfontaines-en-Bassigny, départ. Haute Marne, dioecesis Lingonensis (= Langres), BACKMUND, 108-110;

[245]) Beaulieu, départ. Aube, dioecesis Trecensis (Troyes), BACKMUND, II, 481-483.

[246]) Corneux et Bellelay.

Circator: Rev. P. Prior Praemonstratensis Ecclesiae.

Normanniae: Prior Belli Portus

Gasconiae: Rev. Dom. Abbas Joannes de Castella[247]) (838) cum adiuncto sibi Rev. P. Ios Rudelle, priore Capellae

Hyspaniae: Rev. Dom. Grimbergensis

Averniae: R.P. Prior S. Andreae Claromontensis[248])

Sueviae: R. Dom. Soretanus

Bavariae: Rev. Dom. Steingadensis[249])

Bohemiae: Rev. Dom. Mattheus, abbas S. Vincentii Wratislaviensis[250])

Poloniae et hungariae, Saxoniae et Norvegiae: idem

Angliae: Prior Praemonstratensis

Tusciae, Siciliae, Cypri, et terrae ierosomytanae: Procurator Ordinis in Curia Romana[251])

quibus omnibus potestatem facit substituendi.

[192] Circatores a Capitulo Generali nominati:

Franciae: Rev. Dom. Domnimartinensis

Floreffiae et Flandriae: Rev. Dom. Bonae Spei

Pontivi: Rev. Dom. Vallis Serenae

Brabantiae et Frisiae: Rev. Dom. S. Michaelis Antverpiensis.

Westphaliae, Wadegotiae et Iveldiae: R.D. Rommerstorviensis[252])

Communitatis Antiqui rigoris: R.D. Abbas Mussipontanus cun adiuncto socio sibi bene viso.

Gasconiae: prior Sarranciae[253])

Hyspaniae: Rev. Dom. Ioannes de Castella, cum adiuncto sibi P. Joanne Rudelle, priore Capellae.

Averniae: Prior S. Gilberti[254])

Sueviae: Abbas Cellae Omnium Sanctorum[255])

[247]) Ioannes II de Lompagieu 1659-1675 abbas canoniae St. Jean-de-la-Castelle, départ. des Landes, dioecesis Tarbellanensis (= Dax), BACKMUND, III, 196.

[248]) Clermont Saint-André, BACKMUND, III, 148.

[249]) Augustinus Bonenmayer.

[250]) Matthaeus Paul.

[251]) Petrus Carrette.

[252]) Gerardus von Enzen, praefuit canoniae in Sayn (BACKMUND, I, 248) postea abbas in Rommersdorf, Kreis Neuwied, dioecesis Trevirensis (= Trier), BACKMUND, I, 244.

[253]) Sarrance, départ. Basses Pyrénées, dioecesis Bajonensis (= Bayonne), BACKMUND, III, 196-197.

[254]) Neuffontaines, Sancti Gilberti, départ. Allier, dioecesis Claromontanae (Clermont), BACKMUND, III, 151-153.

[255]) Anastasius Schlecht.

Bavariae: Abbas Wilthinensis
Bohemiae, etc. nominabit Revmus. Dom. Generalis
Angliae: Prior Lisquensis[256])
Tusciae, etc.: Prior Collegii Praemonstratensis
quibus omnibus fecit potestatem substituendi.

[193] Item, procuratorem generalem Ordinis in Curia Romana: R.P. Petrus Carette, cum sustentatione ipsi in ultimo Capitulo Generali assignatus[257])

Item, syndicum Ordinis: R.P. Nicolaum Aubert, cum sustentatione ei alias assignata[258])

[194] Item, Capitulum Generale pro conferentia inter ipsum et Communitatem antiqui rigoris habendam destinat Monasterium Bonae Spei, gratenter acceptans Rev. Dom. Abbatis dicti, benevolum in totum Ordinem animum, et deputat ad eiusmodi conferentiam admodum Rev. Dom. Floreffiensem, Rev. Dom. Bonae Spei et Rev. Dom. Parcensem, Rev. Dom. Domnimartinensem, Rev. P. Priorem Praemonstratensem.

(839) *Sessio vigesima prima. Die 6a Maii 1660, matutina.*

[195] Fusis precibus, dictoque a Revmo Generali *Benedicite*, idem Revmus indixit Capitulum Generale ad annum Christi 1663, ad diem 22 mensis Aprilis, quae in Dominica *Cantate* incidit, nisi idem Revmus Dominus citius duxerit convocandum, idque Praemonstrati celebrandum.

[196] Item, ad petitionem Rev. P. Petri Thienville, requirentis de modo communicandi decreta Capituli Generalis, diffinit Capitulum providendum esse secretario de copista, qui decreta describat et a secretario subscripta transmittet.

[197] Item, Capitulum mandavit et mandat omnibus qui difficultates habuerint Capitulo Generali proximae proponendas, illas sex ante mensibus mittant ad Revmum Dom. Generalem, quas, si viderit graves, eas communicare poterit Vicariis quibus visum fuerit, et Vicarii eas examinabunt, et Capitulo sensum suum referent.

[198] Item, diffinit Capitulum Circatores tertio solum anno, Vicario vero prioris duobus annis canonice visitaturos, idque ad proximum Capitulum Generale etiamsi ultra triennium contingeret differri.

[256]) Dominicus Butor, Cfr. supra notam 69.
[257]) Acta Cap. Gen., V, 1657, sess. 29.
[258]) Acta Cap. Gen., V, 1657, nº 123.

[199] Item, diffinit annos visitationum esse a Generali ad Generale Capitulum computandi.

[200] Item, Capitulum confirmat decretum Capituli Generalis anni 1657, sess. 5a, quod est huius tenoris: *Capitulum decrevit quod vacante Ecclesiae Praemonstratensi, iurisdictio Circariarum est penes Vicarios Revmi. Dom. Praemonstratensis, et in casu mortis Vicariorum erit penes Visitatores, seu Circatores, authoritate capituli Generalis creatos*[259])

[201] Item, protestatus est R.P. Norbertus Caillieu, prior Praemonstratensis, de nullitate decreti ultimi Capituli Generalis quod est tenoris sequentis: *Capitulum Generale examinavit decretum alterius Capituli Generalis anni 1523*[260]), *in quo dicitur quod vacantibus Ecclesiis, Patres Abbates earumdem, et non Capitula, seu Priores earum, habebunt omnimodam administrationem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, dempto Priore Praemonstratensi sufficienti possessione et debito privilegio fundato, supplicationemque pro parte Praemonstratensis conventus proposita eidem Capitulo ut dignaretur dictum decretum quoad priorem Praemonstratensem ad incudem revocare audita Praemonstratensis conventus mente, innovat, et quoad priorem Praemonstratensis Ecclesiae innovatam declarat, hoc addito* (840) *quod eidem Priori Praemonstratensi in administratione praedicta adiungantur quattuor Canonici a Conventu eiusdem Ecclesiae eligendi, sine quorum consilio et consensu ad pluralitatem vocum nihil possit decernere*[261]), et protestari se dixit, ut supra, utpote quod dictum decretum sit contra privilegium a Sede Apostolica dicto Priori concessum, et ut tale agnitum per multa Generalia Capitula et contra possessionem plurium saeculorum, etiam agnitam a multis Capitulis Generalibus, ante 137 annos et hucusque confirmatam, atque contra usum et morem Ordinis, immo contra Statuta. Capitulum, discussis dictis decreto et protestatione eiusmodi in contrarium facta, diffinivit et diffinit administrationem in spiritualibus futuram, Ecclesia Praemonstratensi vacante, penes Priorem Praemonstratensem, et, habiturum eamdem temporalium administrationem, iuxta Statuta, adhibito tamen consilio et consensu duorum canonicorum a conventu Praemonstratensi deputandorum.

[202] Item, mandatum est Rev. Dom. Abbatibus Domnimartinensi et Grimbergensi, ad examinanda sigillanda deputatis, ut Acta Capituli praesentis reviderent et examinarent.

[259]) Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 20.
[260]) Acta Cap. Gen., II, p. 305.
[261]) Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 30.

[203] Item, tractatum est quid de exuviis Beati Hugonis[262]), primi abbatis Praemonstratensis et primi S. Norberti socii, fieret? Capitulum sese conformandum decretis Concilii Tridentini, quae lecta sunt, diffinivit et finita est sessio, et alia ad tertiam pomeridianam indicta in loco Capitulari Conventus habenda.

Sessio vigesima secunda pomeridiana. Die sexta Maii 1660.

Revisis Capituli huiusce actis per RR. DD. Abbates Domnimartinensem et Grimbergensem, pulsante maiori campana ad Capitularem locum Praemonstratensis, ubi dicto *Benedicite*, Revmis D. Praemonstratensis exposuit Patribus Capituli decreta fuisse pia intentione edita, rogare se, et nihilominus mandare omnibus ut illa observent, et statim eiusdem Revmi iussu, Secretarius, acta et diffinitiones Capituli alta voce legit et publicavit, usque ad sessionem undecimam cuius sequentium promulgatio in crastinum dilata fuit; qua adveniente et patribus ad eumdem locum congregatis et rursum per Revmum D. Praemonstratensem dicto *Benedicite*, legit Secretarius similiter alta voce reliqua acta et diffinitiones.

Acta lecta et publicata in dicto Conventus Praemonstratensis loco capitulari, praesentibus supradictis RR. DD. Capitulantibus qui praesentibus subscripserunt, aliisque pro Capitulo Generali congregatis praesentibus; die septima mensis Maii anno Domini 1660, hora circiter decima matutina.

fr. Augustinus (841) le Scellier, Abbas Praemonstratenis et Generalis.
fr. Isidorus Amour, abbas Cuissiacensis[263])
fr. Philippus Babeur, abbas Domnimartinensis
fr. Norbertus, abbas Sancti Michaelis
fr. Libertus, abbas Parcensis
fr. Augustinus, abbas Bonae Spei
fr. Augustinus, abbas Sorethanus
fr. Claudius Lestandard, abbas Vallis Secretae
fr. Dionisius De Loris, abbas Vallis Serenae
fr. Dominicus, abbas Wilthinensis, loco Circariae Bavariae
fr. Nicolaus Ledé, abbas S. Andreae in Nemore
fr. Ioannes Raulez, abbas Heilissemensis

[262]) Vide W.M. GRAUWEN, art. *Hugo van Fosses*, in *Nationaal Biografisch Woordenboek*, 3, 1938, col. 412-421.

[263]) In manuscriptis Laudunensi et Nanceiiano deest subscriptio abbatis Caroli de Severi Floreffiensis, tertii primi-patris, quin detur motivum absentiae.

fr. Nicolaus Guinet, abbas S. Mariae Maioris Mussipontanae
fr. Ioannes Fraisinne, abbas Wesaliensis et Knechtstedensis
fr. Philippus, Monasterii Sanctae Mariae V. in Wadegotia abbas
fr. Antonius Jamar, abbas Belli Reditus Leodii
fr. Ioannes Nevius, abbas Ninivensis
fr. Sopite, humilis abbas Albae Curiae
fr. Perpetuus, Iveldiensis et Leffiensis abbas
fr. Edmundus Sauvage, abbas Buciliensis
fr. Ioannes a Dillen, praepositus Hinbergensis
fr. Norbertus Caillieu, prior Praemonstratensis et Collegii Parisiensis qui et perstitit in sua protestatione quoad administrationem temporalem Monasterii Praemonstratensis, sede vacante, et manu tenere in possessione sua. fr. N. Caillieu, diffinitor Capituli Generalis, qui et signat[264]).
fr. Petrus Thienville, senior abbas S. Mariae Maioris Mussipontanae, prior Sancti Pauli Virdunensis, deputatus a Communitate antiqui rigoris.
fr. Ioannes Luckenrath, S. Theologiae licentiatus, prior Marensis, deputatus Westphaliae, Gueldriae et Wadegotiae.
fr. Josephus Rudelle, prior Capellae, deputatus Gasconiae.
fr. Franciscus Martin, prior Belli Portus.
D. Abbas Furnensis non subscripsit, quia ante finem abiit, a Revmo Generali missus Viconiam pro negotiis illius monasterii.

Post eiusmodi factam subscriptionem, Revmus Dominus Praemonstratensis stola indutus et pedum abbatiale manibus tenens, excommunicavit omnes canonicos et conversos sibi et Capitulo Generali subditos proprietatem habentes, incendiarios et falsarios litterarum Ordinis nostri, conspiratores et lusores deciorum et portantes cultellos acutos ad nocendum, apostatas, et illos qui ad suorum mandata Praelatorum ecclesias parochiales quas tenent nolunt resignare, accepta humili eaque generali omnium Capitulo praesentium in genua provolutorum confessione, omnibus solemnem benedictionem triplici crucis signo impertivit, die 4a mensis Maii anni 1660, hora circiter decima matutina, in loco

[264]) Norbertus Caillieu, tenacitate in defendendis iuribus sui Ordinis, archicoenobii vel officii prioris Praemonstratensis, multa aerumna in se attraxit. Contra opuscula *Inquisitio in privilegia Praemonstratensis Ordinis* et *Capituli Laudunensis Ecclesiae ius apertum in monasteria praemonstratensium* a Ioanne Launoy, mandante episcopo Laudunensi, Cesare cardinali d'Estrées, anno 1658 Parisiis publici iuris facta, vehementer egit conscribendo refutationem argumentorum Launoii *Responsio ad inquisitionem I. Launoii Parisiensis theologi in privilegia Praemonstratensis Ordinis* ..., Parisiis, 1661. Ob vigorem quacum redarguit, variis episcopis gallicis displicuit et exul ad canoniam Viconiensem, dein extra regni confines ad abbatiam Bonae-Spei in Hannonia relegatus fuit. Cfr. GOOVAERTS, I, 100.

capitulari Conventus Praemonstratensis et accepta benedictione, omnes ad Revmum Generalem accedentes eidem multos annos apprecati sunt.

Sic signatum: fr. Gregorius du Crocq, Capituli Generalis secretarius.

Hac die Maii. praesens copia cum suo originali concordat et in fidem subscribo.

fr. Gr. du Crocq, secretarius, qui supra ...

* * *

Resolutiones colloqui Bonae-Spei

Acta colloquii quod, annuente Capitulo Generali anni 1660 (cfr. n° 194), abbas Generalis Augustinus le Scellier ac deputati Capituli Generalis ibidem selecti inierunt cum deputatis Communitatis antiqui rigoris, partes integrantes habendae sunt regiminis ipsius Capituli. Deputati enim mandatum receperunt ut nomine Capituli generalis dissensiones pendentes solverent.

Hinc est quod paragraphos huiusmodi Resolutionum numero signavimus qui numeris succedunt articulis ipsius decretis Capituli impositis.

Textum edimus iuxta tenorem fasciculi typis impressi qui collectario n° 994 Bibliothecae municipalis Nanceianae insertus fuit foliis 253r° usque 256v°.

Articuli propositi a Reverendissimo Patre Augustino le Scellier, Abbate Praemonstratensi, totius Ordinis Generali, et aliis infrascriptis Reverendis Dominis Praelatis a Capitulo Generali eiusdem Ordinis, Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo Deputatis & aliis Patribus a Communitate Antiqui Rigoris eiusdem Ordinis & infrascriptis pro formanda unione et

[265]) Series collisionum inter capitulum generale, abbatem generalem et fautores Reformationis a Servatio Lairuelz introductae, refertur in capitulo generali anni 1630. Vide Acta Cap. Gen., IV, p. 149-151. Historia contentionum, praecipue ex fontibus Reformationis exhausta, invenitur apud E. DELCAMBRE, *Servais de Lairuelz et la Réforme des Prémontrés* (Bibliotheca Analectorum Ordinis Praemonstratensis, fasc. 5), Averbode, 1964, p. 179-197.

Positiones partium summarie describi possunt prout sequitur. Abbas et capitulum generale Ordinis nihil obstare autumabant quominus quidam Praemonstratensis Ordinis religiosi arctiorem vivendi regulam sequerentur quam uti redintegrationem antiqui ordinis rigoris sibi imponebant. Aegre tamen ferebant erectionem Communitatis antiqui rigoris, vi litterarum Apostolicarum peractam, quibus, regimine capituli generalis Ordinis totaliter intermisso, iura abbatis generalis ad paucos tantum gubernii actos restringebantur. Circa quaestiones iurisdictionales variae exortae sunt lites quia Reformatorum reformandi zelus, iuramento firmatus ac approbatione pontificia roboratus, extensionem et influxum Communitatis Antiqui Rigoris persequebatur non obstantibus exinde defluentibus in Gallia sequelis miserandis. Vide E. DELCAMBRE, *op. cit.*, p. 182.

Notandum quod iam antea, die 25a Iunii 1627, deputati capituli generalis et ablegati Communitatis antiqui rigoris colloquendi gratia in abbatia Viconiensi convenerant. Vide Laon, Bib. mun., ms. 538, t. II, p. 631-632; Acta Cap. Gen. IV, p. 124-125. De infelici exitu huius coadunationis vide E. DELCAMBRE, p. 181.

uniformitate totius Ordinis et sopiendis isto unico principali medio, omnibus litibus et difficultatibus quae a tot annis inter Reverendissimum Dominum Generalem, Capitulum Generale et dictam Communitatem cum magnis expensis et fraternae charitatis laedendae periculo deductae sunt et adhuc dudum deducentur et agitantur[265]).

[204] Primo eum in finem convenere juxta dicti Capituli Generalis decretum[266]) in Monasterio Bonae Spei, in Hannonia, eiusdem Ordinis, ad diem undecimam Iulii anni millesimi sexcentesimi sexagesimi primi, Sanctissimo Patri nostro sacram, Reverendissimus Pater ac Dominus Augustinus le Scellier, Abbas Praemonstratensis et Generalis, Rev. Dominus Carolus de Severy, Abbas Floreffiensis, tertius Ordinis pater, Circariarum Floreffiae et Flandriae Vicarius Generalis, Rev. Dominus Libertus de Pape, abbas Parcensis, per Brabantiam et Frisiam Vicarius generalis, Rev. Dominus Philippus Babeur, abbas Dommartinensis, Rev. Dominus Augustinus de Felleries, abbas Bonae Spei et Rev. P. Norbertus Caillieu, sacrae Theologiae doctor Parisiensis et prior archicoenobii Praemonstratensis quibus accessit Rev. Dominus Dionisius de Loris, abbas Vallis Serenae[267]).

[205] Et parte Communitatis Antiqui Rigoris, Rev. Dom. Nicolaus Guinet, abbas Sanctae Mariae Mussipontanae, doctor theologus, et in dicta Communitate Vicarius generalis, Rev. Dom. Edmundus Sauvage, abbas Buciliensis, Rev. P. Petrus Thienville, sacrae Theologiae doctor, prior Sancti Pauli Virdunensis, Rev. P. Sebastianus Collignon, superior Residentiae Nanceanae[268]), Rev. P. Vincentius Cunin, prior Ressoniensis[269]) et Rev. P. Iosephus Thorel, prior Montis Dei[270]).

[266]) Proponente abbate Parcensi, Liberto de Pape, in sessione 13a, diei 1ae Maii, abbas Bonae Spei, Augustinus de Felleries, deputatos tam capituli generalis quam Communitatis Antiqui Rigoris hospites in sua abbatia recipere paratus se declaravit ut ibi de concordia instauranda colloquerentur (Acta Cap. Gen., V, 1660, n° 125). Deputati praedicti Communitatis ad invitationem accipiendam sese inclinatos declaraverunt (Acta Cap. Gen., V, 1660, n° 140). Deputati capituli generalis in sessione 20a, diei 5 maii constituti fuere (Acta Cap. Gen., V, 660, n° 194).

[267]) Abbas Vallis Serenae, Dionysius de Lorris, verosimiliter postea ab abbate generali nominatus fuit cum non appareat in actis capituli generalis inter deputatos a capitulo ablegatos. In diario Liberti de Pape inter praesentes nominatur prior Laudunensis, Basilius Liégault (Paul LENAERTS, *Journal de Libert de Pape, abbé du Parc*, in *Analectes de l'Ordre de Prémontré*, VII, 1911, p. 190-192). Sed deest eius mentio in actis huius colloquii.

[268]) Sebastianus Collignon, unus ex primis et fidelissimis Servatii Lairuelii sequacibus (E. DELCAMBRE, *op. cit.*, p. 109), annis 1661-1665 praefuit domui Nanceanae, quae anno 1635 a Communitate acquisita fuerat, (BACKMUND, III, 134-135).

[269]) Vincentius Cunin, definitor capituli anni 1659 communitatis Antiqui Rigoris

Omnes Capituli Communitatis definitores, quibus item accessit Rev. Pater ac Dominus Isidorus Amour, abbas Cuissiacensis, quartus Ordinis Pater.

[206] Qui, celebrato Sanctissismi Patris Noberti festo, officium divinum peragente Revmo Patre Generali, postera die quae fuit duodecima dicti mensis Iulii, in aulam dicti monasterii maiorem secedentes, lecta Antiphona *Veni Sancte Spiritus* praehabita a Revmo Domino Generali apposita ad materiae naturam oratione. Lecta fuit communi consensu ex *Bibliotheca Praemonstratensi* a Rev. Dom. Abbate Bonae Spei Bulla Gregorii XV, Communitatis antiqui rigoris erectiva[271]). Ad cuius primum articulum Patres dictae Communitatis antiqui rigoris sunt concordes cum tot Ordine[272]).

Ad secundum articulum quoad locorum Communitatem, discordant[273]).

In tertium articulum, scilicet, electione Vicarii, etiam discordant[274]).

(Nancy, ms. 994, fol. 294r°) electus prior claustralis canoniae Ressonii (= Ressons) in commendam retentae a Petro de Broc St. Mars (BACKMUND, II, 560-561).

In diario Liberti de Pape (op. cit., p. 190) prior Benedictae Vallis (= Benoîtevaux), prioratus a canonia Stagni (= L'Etanche) dependentis (BACKMUND, III, 61), — qui tunc erat Albertus Gastelet — inter deputatos Communitatis enumeratur, cuius tamen nullum vestigium invenitur in Actis colloquii Bonae Spei, nec in Summario Resolutionum Communitatis Antiqui Rigoris (Nancy, ms. 994, fol. 319).

[270]) Iosephus Thorel in Capitulo Communitatis Antiqui Rigoris anni 1658 prior Montis Dei (= Mondaye, Calvados) electus fuit (Nancy, ms. 994, fol. 294r°).

[271]) Bulla *Ad sacram beati Petri sedem*, diei 17 Aprilis 1621, ed. LE PAIGE, BPO, 751-756.

[272]) «Videlicet quod supradicta Monasteria et aliae quae de coetero rigori huiusmodi subjici contigerit, nullum aliud praeter ipsum Petrum Abbatem Generalem Caput habeant, vocent et dicant, sed ipsum et praemonstratensem Abbatem pro tempore existentem, non modo ut caetera totius praedicti Ordinis Monasteria, suum Generale Caput, sed etiam Speciale, sine cuiusquam praeiudicio, appellent, agnoscant ac in omnibus revereantur, ut monasteriorum tam subjectorum de praesenti quam subjiciendorum, quae sese libere hisce conditionibus et legibus cum effectu submiserint, universitas nomine Communitatis antiqui rigoris appelletur, sintque propterea in iis Religiosi omnes ita communes ...»

[273]) «... ut nullus magis huius quam illius Monasterii dicatur et habeatur professus, sed ad quodcumque Monasteriorum dictae Communitatis legitima authoritate transmissus, iisdem omnino juribus et causis ac rationibus tam in spiritualibus quam in temporalibus gaudeat atque si expresse inibi professionem emisisset ...»

[274]) «... ut Capitulo privatim annis singulis a Monasteriis dictae Communitatis pro bono eius regimine instituendo ex unoquoque Monasterio duo semper et interdum, si opus fuerit, plures intersint, quorum jure ordinario sit Abbas, si quidem praedictum rigorem agnosceret et sequeretur ac hic legibus pareret, alias Prior; alter autem, et si qui praeterea alii mittendi fuerint, a conventu deputetur seu deputentur et eorum deinde communibus iisque suffragiis Diffinitores Capituli eligantur ut in huiusmodi annuo Capitulo a Diffinitoribus per vota similiter secreta de triennio in triennio Visitator eligatur ...

In quarto, scilicet de Vicario Communitatis, qui cum Definitoribus, Priores, Magistros Novitiorum ac Provisores eligit, etiam discrepant, excepta nominatione magistri Novitiorum pro Novitiatu Communi, qui instituitur a Capitulis provincialibus in Ordine[275]).

In quinto, scilicet, quoad admissionem Novitiorum, reperta est discrepantia in modo admissionis ad professionem et habitum, ratione votantium ad professionem et vestitionem[276]).

In sexto, quoad distributionem Religiosorum per diversa Monasteria est etiam discrepantia, stante communitate Monasteriorum[277])

In septimo, quoad Religiosos Communitatis qui non debent mitti ad Monasteria, quae non sunt dictae Communitatis, et qui ad ordines Sacros mitti debent, reperitur etiam discrepantia[278]).

In octavo, quoad missionem ad pastorales curas etiam discrepant[279]).

In nono, dicto *Benedicite* in Capitulo, omnes Officiales sunt depositi, etiam priores, in quo puncto est discrepantia[280]).

In decimo, est etiam differentia quoad Vicarium qui eligitur, et non est revocabilis. In Ordine creantur in Capitulo Generali, et sunt revocabiles.

In undecimo, forma professionis est etiam discrepans[281]).

[275]) «Idemque praeterea Vicarius similiter cum Diffinitoribus Priores, Magistros Novitiorum ac Provisores eligat, caeteros vero officiales uniuscuiusque Monasterii, secundum mensarum separatarum bullas et scripturas super articulis Reformationis confectas, Abbas, si regularis et dictae Communitatis legibus subjectus sit, sin minus Prior instituat; ...»

[276]) «Ut noviciatus communes, si pluribus opus erit, in Monasteriis a dicto Capitulo designandis institui et in illis Novicii ad habitum et professionem de Abbatis, si Communitatem agnoscet et sequetur, sin minus et alias semper de Vicarii et Diffinitoris pro Consiliario deputati, et Prioris, Supprioris, Magistri et Vice-magistri noviciorum consensu a loci Superioribus admitti debeant:»

[277]) «Caeterum tam Novicii professione admissa quam alii quilibet Religiosi sub dictae Communitatis regimine viventes, eiusdem Communitatis a Capitulo, extra autem Capituli tempus a Vicario Abbatis et successorum praedictorum cum unius ex Diffinitoribus consensu distribuantur;»

[278]) «ut dictae Communitatis religiosi neutiquam ad alia monasteria eidem non subjecta, neque item ad Sacros Ordines sine Capituli consensu mittantur;»

[279]) «ad pastorales vero curas eiusdem Ordinis cum solo praedicti Vicarii et unius vel plurium Diffinitorum consensu et non alias mitti possint;»

[280]) «ac incepto Capitulo quotannis et pronuntiato ab illius praeside *Benedicite*, eo ipso Officiarii omnes ab officiis per eos exercitatis absoluti sint, singulique professionis suae stallum illico repetere teneantur, ibique Vicarius tertii cuiusque anni absoluto Capitulo absolutus sit ab officio, statimque ad novam electionem procedi ...»

[281]) «Ego frater N. offerens trado meipsum Communitati antiqui rigoris et promitto conversionem morum meorum, emendationem vitae et stabilitatem; promitto etiam paupertatem, castitatem et obedientiam perfectam in Christo secundum Christi Evangelium, regulam Beati Augustini et instituta dictae Communitatis Reverendissimo Generali nostro moderno et successoribus suis canonice electis, necnon praedictae Communitatis superioribus.»

Perlecta Bulla praefata Gregorii XV, idem Rev. Dominus Abbas Bonae Speiensis, de communi etiam consensu deputatorum legit Bullam Pauli V, ubi circa abstinentiam a carnibus et ieiunium adiuncta fuit lectio Articuli explicantis dictae abstinentiae et ieiunii modum, in quo est discrepantia a reliquo Ordine[282]).

Item est differentia in eo quod in professione Communitatis fiat iuramentum super certis punctis in formula professionis non contentis[283]). Et hic finita fuit prima sessio.

Sessio Secunda

[207] Eadem die duodecima Iulii, hora secunda pomeridiana, convenere eodem in loco Patres utrinque deputati, in quo praemissa antiphona: *Veni Sante Spiritus*, ac dicto *Benedicite* a Revmo Generali, Rev. Pater Abbas Mussipontanus, Vicarius Generalis Communitatis antiqui rigoris, retulit puncta controversa Romae[284]).

[282]) «abstinentia perpetua a carnibus et jejunium a die festo Exaltationis Sanctae Crucis usque ad festivitatem Paschatis» ita in bulla Pauli V, *Exigit pastoralis*, 28 Iulii 1617; cfr. *Articuli Reformationis*, nº 3 in SAULNIER, *Statuta*, p. 434. In *Annotationibus ad articulos praedictos*, art. 3, SAULNIER *Statuta*, p. 438-440 legitur: «Hic renuntiamus dispensationi Pontificiae [a Iulio II, in bulla *Rationi congruit*, 26 Novembris 1503 in exordio Statutorum O. Praem. anni 1630 impressa sed in editione Saulnier scienter omissa in qua etiam praevia historia dispensationum in materia abstinentiae et ieiunii exponitur] qua in principio Statutorum abstinentia illa perpetua commutatur in jenunium Adventus et dierum Veneris et in abstinentiam Septuagesimae et dierum Mercurii, idque ad majoris poenitentiae (in qua consistit Religionis monasticae status) exercitium et ad vitam nostram sanctae Patrum nostrorum vitae confirmandam, castitatemque nostram iisdem armis, quibus illi, tutandam ...». Deinde enumerantur casus non pauci in quibus dispensatio pontificia non reiicitur.

[283]) Iuramenta a sodalibus Communitatis praestanda erant variis in circumstantiis quae enumerantur in *Additionibus ad articulos supradictos*, n. 23, cfr. SAULIER, *Statuta*, p. 453-454.

[284]) Quaestio praesertim agitata fuit de iurisdictione abbatis generalis in Communitatem Antiqui Rigoris. Asservantur in ASV, Miscellanea VIII, vol. 101, fol. 212-278vº positiones variae tam nomine abbatis generalis Augustini le Scellier a Gregorio du Crocq eiusque iurisperito Antonio Francisco Payeno, quam nomine Communitatis a Claudio Morizet eiusque iurisconsulto Gratiosi Uberto prolatae. Processus coram *Congregatione particulari pro negotiis Ordinis Praemonstratensis* praeside cardinali protectore Uldarico Carpineo, participantibus membris Marco Aurelio Maraldo, secretario Brevium, Prospero Fagnani, Carolo Paolucci, ex collegio votantium Signaturae Justitiae et P. Hilarione Rancati, procuratore generali Cisterciensium, intentatus fuit ab abbate generali. Huius actionis iudicialis finis erat revocatio Brevis Apostolicae *In supremo Apostolatus solio*, ab Urbano VIII, ad instantiam procuratoris Communitatis Antiqui Rigoris, concessae tempore quo cardinalis de Richelieu sedem abbatialem praemonstratensem injuste usurpaverat, 27 Iulii 1638 (Copia in ASV, Miscellanea, Armadio VIII, vol. 101, fol. 265rº-277vº). Per breve Innocentii X, *Militantis Ecclesiae regimen*, 1652, 29 novembris (ed. *Bullarum ... Amplissima Collectio*, tom. VI, pars IIIa, Romae, 1700, p. 239-240) bullas constitutivas

Primum, praetendit Reverendissimus Generalis indicare locum Capituli futuri singulis annis quando praesidet Capitulo Communitatis, idque solus ad exclusionem aliorum Definitorum.

Secundum, praetendit etiam cum praesidet Capitulo annuo Communitatis mutare decreta ab ipso Praesidente et Diffinitoribus facta, additque suo chirographo reservata nobis potestate ea annullandi, immutandi, augendi, minuendi pro casuum necessitate.

Tertium, depositiones secretas factas in scrutinio coram Visitatoribus, Reverendissimus vult mitti Praemonstratum.

Quartum, praetendit Reverendissimus visitans Monasteria Communitatis mutare Religiosos de loco in locum etiam extra Capituli tempus.

Quintum, Patres Abbates respective tam ordinis quam Communitatis praetendunt, visitare filiationes suas, sive sint Ordinis, sive Communitatis.

Sextum, praetendit Reverendissimus Religiosos Communitatis posse confugientes retinere et segregare in aliis Monasteriis quae non sunt Communitatis.

[208] Ad quae cum fuissent varia hunc inde agitata, haesitatum est in puncto quarto, et super explicatione articuli Bullae Gregorii XV tangentis dictum punctum, suggestum est ex parte Revmi Domini Generalis medium sopiendi controversiam illam: scilicet ut Reverendissimus Dominus Generalis possit mutare religiosos sive visitans, sive extra Capituli tempus petito consilio adiuncti sui cum visitat vel Vicarii aut alterius ad hoc deputari a Communitate extra tempus Capituli: ratio illius medii est quod Reverendissimus Dominus Generalis credit omnino se omnia posse quae potest Vicarius illius in Religiosos dictae communitatis idque regulae omni et rationi esse conforme cum Vicarius non plura possit quam suus principalis, sicut autem idem credit articulum illum Bullae Gregorii decimi quinti attribuere dictam potestatem Vicario, qui ut talis visitans omnia Communitatis monasteria, censetur e notitia quam habet status et conditionis omnium religiosorum et necessitatis domorum melius consulturum mutationi religiosorum, ita et adiungendo consilium adiuncti aut Vicarii consuletur omnimode intentioni articuli Bullae, similiter in difficultate mittendi religiosos ad ordines seu Pastoratus consuli posset.

Communitatis corroborati sunt, sed breve *In supremo Apostolatus* in praeiudicium abbatis generalis extortum declaratur et eiusdem abbatis auctoritas in Communitatem Antiqui Rigoris non tantum uti ius honorificum et reverentiale, sed uti ius verum et omnimodam iurisdictionem in sodales Communitatis continens corroboratur.

[209] Reverendi autem Patres Communitatis dixerunt non fundare se in dicta ratione sed in terminis Bullae Gregorii decimi quinti, qui videntur ipsis clari, praesertim cum Religiosi Communitatis erectione suae Communitatis cesserint iuri suo stabilitatis in favore dicti Vicarii ad exclusionem Revmi Domini Generalis, et addiderunt non concedere se illam propositionem universaliter quod Reverendissimus possit omnia quae potest Vicarius in sua Communitate et resolutio dilata fuit in sequentem diem.

Ad primum punctum de quo supra Romae controversum cum aliquandiu disceptatum fuisset, reiecta item fuit illius maior discussio in sessionem tertiam.

Sessio tertia

[210] Die decima tertia hora octava matutina denuo convenere supradicti Deputati et, resumpta discussione puncti illius primi, dixere Patres Communitatis antiqui rigoris quod Diffinitores Capituli etiam debeant concurrere ad designationem loci in quo Capitulum futurum celebrari debeat. Primo quia est de iure canonico[285]), cap. *In sigulis Regnis*, et de iure Ordinis per Statuta, dist. 4, cap. 1, n. 1 et 2[286]), et per decreta Capitulorum Generalium, de quo ultimo non convenit Reverendissimus; secundo de speciali iure Communitatis ex Bulla Gregorii XV, quae concedit ei celebrare quotannis Capitulum, et dat facultatem edendi decreta ad sui conservationem utilia et opportuna, quorum unum fuit designatio loci pro Capitulo futuro a Definitoribus; quod decretum Revmus Dominus Gossetius confirmavit tamquam iuri conforme, imo et ipsa Bulla confirmat *secuta et sequenda*, quorum unum est illud: unde et se dixerunt esse in possessione quadraginta annorum: verum quidem esse quod aliquando Reverendissimi Generales indixerint diem et locum, et opposuerint se aliquot vicibus, sed illorum indictiones non habuerunt effectum, scilicet D. Gossetius semel indixit, et Reverendissimus modernus semel, sed ut dicunt sine respectu ad illas indictiones celebrata

[285]) Decretales Gregorii Gregorii IX, lib. III, tit., 35, cap. 7 *In singulis regnis*, ubi agitur de coadunatione abbatum qui ex iure suo proprio nondum ad celebrationem capituli generalis adstringuntur.

[286]) Statuta, Dist. IV, cap. 1, n. 2: «Quod si in postremo capitulo, locus pro futuro Capitulo non fuerit designatus, poterit Dominus Praemonstratensis, de consilio Patrum Abbatum et aliquorum quos iudicaverit advocandos vel consulendos, alium commodum locum pro Capitulo Generali celebrando constituere.»

fuerunt Capitula a Communitate in locis per Definitores designatis, et reservarunt sibi potestatem plura addendi.

[211] Ex parte autem Revmi Domini Generalis dictum est: primo non esse de iure secundum caput *In singulis Regnis*, quia illud caput debet intelligi de capitulis aut Congregationibus, in quibus Superior seu Praeses est primus tantum inter aequales et subest legibus Capituli prout Generalis subest Capitulo Generali, non autem Capitulis quae subsunt absolute Generali Ordinis, ita ut Capituli Decreta sint nulla nisi ab ipso confirmentur et ea possit mutare, imminuere et augere pro exigentia casuum; non esse etiam de iure Ordinis per Statuta cum sit disparatio inter Capitulum Generale et Capitulum Communitatis propter rationem supradictam; deinde si non fuerit designatus locus pro Capitulo Generali per eadem Statuta, Generalis potest designare et in Capitulo Generali debet id fieri cum assensu illius, quanto magis poterit designare locum Capituli Communitatis. Secundo in Bulla Gregorii decimi quinti nulla fit mentio de designatione loci, neque ad illum extendi debet clausula *secuta et sequenda* aut inter Decreta ea comprehendi, confirmatio autem Decretorum quam fecit Revmus Dominus Gossetius non debet involvere designationem loci. Tertio non convenit de possessione quia et ipsius praedecessor Dominus Gossetius, semel designavit monasterium Longowadense et modernus Cuissiacense per quod actus turbata dici potest possessio, deinde in continuis litibus ab illo tempore fuit Communitas cum generalibus, ideoque possessio fuit violenta, tandem etiam post Bullam Gregorii decimi quinti, Reverendissimus Gossetius confirmando unum ex Capitulis Communitatis, designavit locum futuri capituli, de quo postremo non conveniunt Patres Communitatis reservatis aliis suo tempore a Reverendissimo Domino Generali alligandis.

Super qua disceptatione resolutum fuit: ut Rev. Dominus Abbas Parcensis ex parte Ordinis consulat Iuris Doctorem Lovanii et ipsorum resolutionem mittat ad Reverendissimum Dominum Generalem, qui simul cum Patribus Communitatis eliget Parisienses Iuris et Theologiae Doctorem, et illi Doctores electi poterunt si non conveniant eligere tertium Doctorem, stabiturque iudicio et sententiae illorum; designabit autem Pater Vicarius unum Patrem pro illa consultatione, si ipsemet adesse non possit.

[212] Ad secundum punctum: Reverendissimus Dominus Generalis explicavit mentem suam et dixit per illam reservationem immutandi, minuendi Decreta, etc. non aliud intelligere se quam istud ius sibi competat de iure communi tamquam Superiore generali et ad tollendam

difficultatem offerre se ad non aliud addendum quam se subsignare dicta Decreta «*salvis iuribus Abbatis Praemonstratensis et Capituli Generalis*», cui declarationi utraque pars acquievit et consensit.

[213] Ad tertium. Quoad depositiones secretas factas in scrutinio visitationis declarat Reverendissimus Dominus non aliud intendere se quam ut Visitator mittat ad se Decreta visitationum et rationes Ordinationum, si eas poscat informetque de statu Monasteriorum secundum Statuta ubi de Visitatoribus, Dis. 4, cap 17, n. 3, cui etiam resolutioni ex utraque parte consensum fuit.

[214] Ad quartum. Iterum resumpta disceptatione quoad mutationem religiosorum quod (sic!) in hanc diem dilata fuerat, Reverendus Pater Abbas Mussipontanus, Vicarius et alii condeputati a Communitate dixerunt quod etsi ius eorum videatur satis fundatum in Bullis, tamen pacis causa, et ad manifestandam inclinationem quam habent erga solidam animorum unionem, et pro reverentia Patrum hic congregatorum iam censeant consentiendum esse ut Reverendissimus Pater Generalis in actu visitationis monasteriorum Communitatis, audito adiuncto dictae Communitatis, et collatis cum eo rationibus, possit in Domino secundum exigentiam casuum, mutare religiosos de loco in locum intra Communitatem; et extra Capituli tempus in casu appellationis, auditis rationibus Vicarii, et idem in eodem appellationis casu, intelligatur de mittendis ad Ordines, et pastorales Curas, ad quae omnia consensit Reverendissimus P. Generalis pro bono pacis, et hic finita est sessio.

Sessio quarta

Eadem die decima tertia Iulii hora tertia pomeridiana, comparuere denuo Reverendissimus Dominus Generalis et alii supradicti ex utraque parte deputati.

[215] Et reducto in examen puncto de designatione loci pro Capitulo futuro variis adhuc hinc inde propositis et disceptatis, visum est, ad resecandas omnes in pacificandis litibus moras et offendicula multa compendiosius et utilius si punctum illud absolute et impraesentialiter decidatur et componatur.

Itaque concordatum est, ut Reverendisimus Dominus Generalis praesens in Capitulo possit designare unum ex tribus Monasteriis aptis et commodis a Definitoribus bona fide ipsi praesentandis pro celebratione futuri Capituli.

[216] Tum deventum est ad quintum punctum quo controvertebatur an Patres Abbates tam de Ordine quam de communitate possint visitare sua Monasteria filialia, respective sive illa sint de Ordine, sive de Communitate, post multa agitata.

Conclusum est etiam pro bono pacis Patres Abbates de Ordine non visitaturos filias Abbatias adjunctas Communitati, et Patres Abbates de Communitate vicissim non visitaturos Abbatias quae non sunt de Communitate[287]), salva tamen erunt Patribus Abbatibus sive sunt de Communitate, sive non, iura, scilicet praesidendi in electionibus filiorum Abbatum, et eas confirmandi; permutationem et alienationem bonorum temporalium permittendi, inspiciendi, et ordinandi aedificia et alia temporalia prout Statuta Ordinis praefigunt.

[217] Pro sexto puncto, de segregatione Religiosorum confugiendis ad Reverendissimum Generalem, dictum est illud fuisse sufficienter decisum alias per Breve Apostolicum Innocentii X[288]) et Bulla Gregorii XV, quae utrinque exacte observabantur.

[218] Item, mota iterum difficultate de collari lineo a Religiosis Communitatis assumendo, conformiter ad decretum Capituli Generalis anni 1657[289]) dictum est eos relinquendos in suo usu, quod Capitulo Generali proxime celebrando deferetur. Et huic sessioni finis datus est.

Sessio Ultima

Die autem decima quarta eiusdem mensis Iulii, facta relatione dictorum Articulorum seu punctorum, quae Roma controvertebantur, habita sunt pro resolutis, et hoc facto, omnes lites super iis motae in Curia Romana sopientur et sopitae manebunt.

[220] Sequentes vero articuli fuerunt agitati et discussi in hoc colloquio ut possint tam in Capitulo Generali ab Ordine, quam in Capitulo Communitatis a Patribus ibidem Capitulantibus, maturiori examine

[287]) Simile decretum latum fuit in capitulo generali anni 1657, cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 219.

[288]) Innocentius X, *Militantis Ecclesiae regimen*, 1652, 29 Novembris, ed. *Bullarum ... Amplissima Collectio*, tom. VI, pars III, Romae, 1700, p. 239-240.

Corroboratur ius abbatis generalis visitandi per seipsum tantum, adiuncto sibi Vicario Communitatis vel alio visitatore a Vicario deputato, omnia monasteria Communitatis toties quoties expedire iudicaverit; ius confirmandi Vicarium Communitatis a capitulo Communitatis electo; ius confirmandi statuta capituli Communitatis; ius cognoscendi causas appellationis contra decreta capituli Communitatis.

[289]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n° 28.

perpendi et resolvi, pro confirmatione omnium monasteriorum in Gallia absque utriusque partis praeiudicio.

[221] Ad secundum articulum Bullae Gregorii XV initio propositum, in prima sessione, propositum est posse fieri Communitatem monasteriorum hoc est ut religiosi sint plane communes cum formula professionis paululum immutata si necesse sit.

[222] Solum superest difficultas pro Monasterio Praemonstratensi ob rationem electionis canonicae quae debet fieri a filiis seu iis quae sunt de gremio.

Pro qua tollenda difficultate varia media proposita sunt.

Primum, ut qui modo sunt professi Ecclesiae Praemonstratensis possint quamdiu vixerint uti iure suo eligendi Abbatem.

Secundum, quod qui tunc erunt Praemonstrati, authoritate legitima transmissi, poterunt habere vocem cum antiquis professis.

Tertium, quod mortuis antiquis professis ius eligendi manebit penes eos qui ibi reperti fuerint commorari, exclusis illis qui non erunt in sacris Ordinibus.

Quartum, quod Revmus Dominus Praemonstratensis possit in unoquoque Capitulo Generali communicatis cum definitoribus rationibus assumere Religiosos ad certum numerum qui formabunt Conventum Praemonstratensem in ordine ad electionem, salvis tamen iuribus Patrum Abbatum, et intactis clausulis aliis in electione Abbatis Praemonstratensis solitis.

Quintum, ut caveatur electioni canonicae, possit domus Praemonstratensis sibi soli relinqui et esse tamquam Provincia separata.

[223] In tertio Articulo Bullae quoad electionem Vicarii in Provinciis, quia in Communitate antiqui rigoris Vicarius eligitur per vota secreta definitorum in Capitulo: Vicarii autem Domini Praemonstratensis designantur in et extra Capitula Generalia.

Dicto est primo eos posse designari in Capitulis Generalibus pro triennio per Reverendissimum Dominum praemonstratensem et definitores et hoc medium esse secundum formam Statutorum generalium.

Secundo debere eos eligi in Capitulo Generali per Revmum Dominum Praemonstratensem et definitores, *et non sint amovibiles*, quod est conforme Statutis Communitatis Antiqui Rigoris.

Tertio, quod fieri possent in Capitulis Generalibus in quo Capitulo coalescente ex toto Ordine, absolutis rebus generalibus, Capitulares ex

Communitate Monasteriorum remanentes, et continuantes Capitulum poterunt dicti Vicarii designari a Reverendissimo Domino Generali vel per electionem cum definitoribus vel aliter.

In quarto articulo dictae Bullae, idem potest fieri sicut in Communitate Antiqui Rigoris habito respectu ad provisores qui non erunt facile mutandi.

In quinto supposita Communitate Monasteriorum, idem fieri debet quod apud Communitatem Antiqui Rigoris.

In sexto idem, in septimo idem; in octavo idem, a Vicario cuiusque Provinciae; in nono idem, in decimo suggestum est superius medium in tertio puncto.

In undecimo poterit esse eadem formula professionis, mutato solum: *Trado meipsum Ordini vel Communitati* prout videbitur.

[224] Quoad punctum abstinentiae perpetuae a carnibus et ieiunii, dixerunt Patres Communitatis Antiqui Rigoris se non velle deserere dictam abstinentiam et ieiunium et nec velle nec posse consentire ut a Summo Pontifice pro ipsis petatur dispensatio; reliqui autem Patres Ordinis deputati relinquunt Summo Pontifici dispositionem huius Articuli ne nimirum per illam abstinentiam et ieiunium impediatur perfecta Monasteriorum conformatio.

Quoad iuramentum quod iungitur professioni Communitatis antiqui rigoris, illud potest acceptari.

Acta, resoluta, et discussa respective et a Patribus supranominatis subsignata in antedicto Monasterio Beatae Mariae Bonae Spei in Hannonia, die decima quarta Iulii anno millesimo sexcentesimo primo[290]). Sic signarunt: Augustinus le Scellier, Abbas Praemonstratensis et generalis; fr. Carolus, abbas Floreffiensis; fr. Augustinus, abbas Bonae Spei; fr. Libertus de Pape, abbas Parcensis; fr. Philippus Babeur, abbas Dommartinensis; fr. Dionysius de Lorris, abbas Vallis Serenae; fr. Norbertus Caillieu, prior Praemonstratensis; fr. Guinet, abbas Sanctae Mariae Maioris Mussipontanae et Vicarius Generalis Communitatis; fr. Is. Amour, abbas Cuissiacensis; fr. Edmund Sauvage, abbas Buciliensis; fr. Petrus Thienville, prior Sancti Pauli; fr. Sebastianus Collignon, Residentiae Sancti Ioseph superior; fr. Vincentius Cunin, prior Ressoniensis; fr. Joseph Thorel, prior Montis-Dei.

[290]) Notavit Libertus de Pape abbas Parcensis in diario suo: «12,13,14 Iulii integris diebus fuimus occupati ad faciendam concordiam cum reformatis nostris de communitate antiqui rigoris, quam, Deo laus, perfecimus, et puncta diversa difficultatis super quibus Romae litigabatur composuimus.» P. LENAERTS, *Journal de Libert de Pape, abbé du Parc*, p. 192.

7 A 246

UNIV. BIBL. TÜBINGEN

1663

Acta integra huius capituli generalis prostant in manuscripto n.1767 (994): *Collectio capitulorum tam generalium quam provincialium ordinis Praemonstratensis, 1735* asservato in NANCY, Bibliothèque municipale, fol. 257v°-269r°.

Editio sequens tenorem huius redactionis sequitur.

Transsumpta summaria ex Actis Capituli Generalis in Archicoenobio Praemonstratensi celebrati 22 Aprilis et sequentibus anno 1663 custodiuntur in armario abbatiae Parcensis, corpus VII, XXXI, 1, n°104 et in archivio canoniae Tongerloensis sect. IV, nn.47/1, 47/2, 47/3, 47/4, 47/5.

Transsumpta solam canoniam Tongerloënsem spectantia ibidem inveniuntur sect. IV, nn.53, 48/1, 48/2, 48/3, 48/4, 48/5 et 49. Cetera transsumpta exstant in collectariis p. 103 recensitis.

Quoad preparationem praesentis capituli servatur elenchus: *État des préparatifs et provisions pour le chapitre général de 1663 dressé par le frère Jean Vigneux convers et le vénérable maître Charles Croquelois, archi-cuisinier, sous l'abbé général Augustin Lescellier*, edidit Ch. TAIEE, *Prémontré*, II (1512-1783), Paris, 1873, p. 234-238.

*
* *

Acta et definitiones Capituli Generalis Praemonstrati celebrati anno Domini 1663, die vigesima secunda aprilis et sequentibus.

(257r°) Interfuerunt:

Reverendissimus Dominus Augustinus le Scellier Praemonstratensis abbas et generalis[1]).

Admodum R.D. Isidorus Amour, de Communitate antiqui rigoris, et quartus Ordinis Pater[2]).

R.D. Augustinus de Felleries, Bonae Spei abbas et circariae Floreffiae et Flandriae vicarius[3]).

R.D. Libertus de Pape, Parcensis abbas, Brabantiae et Frisiae vicarius[4]).

[1]) Vide supra p. 10, notam 1.

[2]) Vide supra p. 10, notam 2.

[3]) Vide supra p. 105, notam 7.

[4]) Quoad praesentiam abbatum circariae Brabantiae, die 29 martii 1663 in domo Parchensi Bruxellis congregati fuerunt RR.DD. Grimbergensis, Averbodiensis, Ninoviensis et Diligemensis una cum Parchensi atque statuerunt ut ad capitulum generale proximum Praemonstratum irent RR. Averbodiensis, Ninoviensis et S. Michaelis, si tempestive saltem installari posset, una cum Parchensi. Tongerloensis, demortuo praelato Augustino Wichmans, nondum nominatus erat unde de eo statui nihil poterat. Grimbergensis et Diligemensis excusabantur, tum propter aedificia quibus implicabantur, tum quia expedire videbatur ut illi saltem qui vicini aulae Bruxellensis erant, domi manerent ad comparendum

R.D. Nicolaus Guinet, abbas S. Mariae Mussipontanae, in Communitate antiqui rigoris vicarius et ab ea deputatus[5]).

R.D. Philippus Babeur, abbas Domnimartinensis et Franciae circator seu visitator et procurator Abbatiae S. Andreae in Nemore, et prioris Lisquensis[6]).

R.D. Dionysius de Lorris, abbas Vallis Serenae et Pontivi visitator seu circator[7]).

R.D. Claudius L'Etandart, abbas Vallis secretae[8]).

R.D. Perpetuus Noizet, abbas Leffiensis[9]).

R.D. Ioannes de Neve, abbas Ninovensis[10]).

R.D. Servatius Vaes, abbas Averbodiensis[11]).

R.D. Macarius Simeomo, abbas S. Michaelis Antwerpiensis[12]).

R.D. Claudius de la Rüe, abbas Viconiensis[13]).

R.D. Hugo Du Camp, abbas S. Augustini et deputatus ab abbate S. Nicolai Furnensis[14]).

R.D. Siardus Julien, abbas Sancti Foillani[15]).

R.D. Adolphus a Gulica, abbas Saynensis, tam proprio quam circariarum Westphaliae, Wadegotiae et Iveldiae nomine[16]).

R.D. Norbertus van de Kerkove, abbas Trunchiniensis[17]).

R.D. Michael Roguet, abbas Castri Mauretaniae[18]).

in congregatione Statuum si contingeret illos interim convocari. Vide Abbatiae Parchensis Armarium, corpus VII, XXXII,1, n°83. — Peculiariter ab abbate generali vocatus, Libertus de Pape, iam die 19 aprilis Praemonstrato pervenit. Vide P. LENAERTS, *Le journal de Libert de Pape, abbé du Parc,* in *Analectes de l'ordre de Prémontré,* VII, 1911, p. 222.

[5]) Vide supra p. 10, notam 5.

[6]) Vide supra p. 10, notam 3; p. 106, notam 6.

[7]) Vide supra p. 10, notam 7.

[8]) Vide supra p. 11, notam 9.

[9]) Vide supra p. 15, notam 51.

[10]) Vide supra p. 107, notam 21.

[11]) Servatius Vaes, cfr. Milo KOYEN, *Abbaye d'Averbode,* in *Monasticon belge,* IV, p. 666-667.

[12]) Vide supra p. 108, notam 34.

[13]) Vide N. BACKMUND, II, 437.

[14]) Hugo Ducamp, annis 1651-1677 canoniam Sancti-Augustini Tervanensis (=Thérouanne), (dioec. Atrebatensis=Arras) rexit. Cfr. N. BACKMUND, II, 424.

[15]) Siardus Julien, cfr. U. BERLIERE, *Abbaye Saint-Feuillien du Roeulx,* in *Monasticon belge,* I, p. 417. Regimen abbatiale exercuit annis 1649-1677.

[16]) Adolphus Gülich, abbas Saynensis, in dioecesi Trevirensi (1657-1697). Vide N. BACKMUND, I², 248.

[17]) Norbertus van de Kerckhove, abbas Trunchiniensis (=Drongen, Belgium), vide N.J. WEYNS, *Abbaye de Tronchiennes,* in *Monasticon belge,* tom. VII, p. 652-563. Canoniae praefuit annis 1662-1672.

[18]) Michel Roguet, annis 1656-1675 canoniam Castri Mauritaniae (=Châteaudieu), dép. Nord, dioc. Cameracensis (=Cambrai) rexit. Cfr. BACKMUND, II, 408.

R.D. Alexander de France, abbas Vallis Dei[19]).

R.D. Antonius Duhamel, abbas de Moncellis[20]).

R.D. Servatius Regnault, abbas Iustimontis, proprio nomine et Communitatis antiqui rigoris nomine[21]).

R.D. Ioannes Baptista Penillon, abbas Albae Curiae[22]).

R.D. Albertus Bals, abbas Heylessemensis[23]).

R.D. Epiphanus Loüis, abbas Stivagiensis, proprio nomine et Communitatis antiqui rigoris nomine[24]).

R.D. Petrus Le Brun, abbas senior Belli Loci[25]).

R.D. Franciscus Lafosse, quondam abbas Corneoli[26]).

R.D. Ioannes a Dillen, praepositus Hinsbergensis, a Westphalia, Iveldia et Wadegotia deputatus[27]).

R.D. Ioannes Pontoux, grangiarius Vici in Vasconia[28]).

Ven. P. Michaël Colbert, Lector Sacrae Theologiae, Prior Praemonstratensis[29]).

Ven. P. Basilius Liegault, S. Theologiae Doctor et prior S. Martini Laudunensis[30]).

Ven. P. Carolus Furnaux, prior Floreffiensis[31]).

Ven. P. Claudius Faure, S. Theologiae Baccalaureus et prior Branae[32]).

[19]) Alexander H. de la Tour de France, canoniae Vallis Dei (Lavaldieu) dép. Ardennes, dioec. Remensis (= Reims) annis 1659-1679 praefuit. Vide N. BACKMUND, II, 385.

[20]) Antonius Duhamel II, annis 1658-1693 regimen canoniae Moncelli (Moncetz), dép. de la Marne, dioec. Catalaunen. (= Chalons) tenuit. Vide N. BACKMUND, II, 518.

[21]) Vide supra p. 12, notam 20.

[22]) Joannes Penillon qui iam uti prior capitulo generali anni 1657 intererat, demortuo abbate Ludovico Soppite, anno 1661 eiusdem successorem constitutus fuit canoniamque rexit usque ad annum 1702. Canonia Albae Curiae sita erat non longe a Poissy, dép. Seine-et-Oise, dioecesis Versaliensis (= Versailles). Vide N. BACKMUND, II, 543. — GOOVAERTS, II, 27-28.

[23]) Lambertus Bals, die 17 decembris 1662 regimen canoniae de Heylissem assumpsit eumque retinuit usque ad annum 1668. Vide M. KOYEN, *Abbaye de Heylissem à Opheylissem*, in *Monasticon belge*, IV, p. 765-766.

[24]) Vide supra p. 13, notam 30.

[25]) Petrus Lebrun rexit ecclesiam Belli Loci (Beaulieu), dép. de l'Aube, dioecesis Trecensis (= Troyes) ab anno 1622 ad annum 1650, quo anno munus deposuit. Anno 1663 praelatus de regimine erat Nicolaus Aubert. Vide N. BACKMUND, II, 483.

[26]) Vide supra p. 107, notam 24.

[27]) Vide supra p. 108, notam 25.

[28]) Prioratus Vic-Fezensac quondam grangia a canonia Casae-Dei in Gasconia dependens, anno 1630 autonomiam sub grangiario adeptus est. Cfr. N. BACKMUND, III, 203.

[29]) De Michaële Colbert vide GOOVAERTS, I, 129-131.

[30]) Vide supra p. 112, notam 63.

[31]) Carolus Furnaux die 2 martii 1662 prior Floreffiae constitutus fuerat. Cfr. V. BARBIER, *Histoire de l'abbaye de Floreffe*, tom. I, 1892, p. 369.

[32]) Vide p. 108, notam 32.

Ven. P. Claudius Caillieu, prior Cartovorensis[33]).

Ven. P. Nicolaus Le Mixte, prior Montis S. Martini[34]).

Ven. P. Bonifacius a Foro, prior Selincurtensis[35]).

Ven. P. Ioannes Bifaux, prior Urdaci in Vasconia et pro ea deputatus[36]).

Ven. P. Bernardus Simonet, prior Septemfontium in Thierascia[37]).

Ven. P. Antonius Hardy, prior Gaudii Vallis et nomine prioris Sancti Andreae Claromontensis[38]).

Ven. P. Iacobus a Foro, prior Vallis Christianae[39]).

Ven. P. Martinus Ganeron, prior Camerae Fontis[40]).

(257v°) Ven. P. Samson Dolé, prior Dei Loci et nomine prioris Sancti Mariani[41]).

Ven. P. Iacobus Neupont, prior Septem Fontium in Burgundia[42]).

Ven. P. Robertus Cayet, prior Sancti Justi[43]).

Ven. P. Iosephus Duboislambert, prior Hermeriarum[44]).

Ven. P. Ioannes Le long, prior Loci Restaurati[45]).

Ven. P. Claudius Robert, prior Capellae ad Plancas[46]).

Ven. P. Vincentius Royer, prior Belli portus[47]).

[33]) Vide p. 108, notam 31.

[34]) Vide supra p. 108, notam 31.

[35]) Sélincourt, dép. Somme, dioc. Amiens, cfr. N. BACKMUND, II, 566. Abbatia in commendam data fuit Claudio du Val.

[36]) Canonia in provincia Navarra, dioc. Pamplona, Hispania. Vide N. BACKMUND, III, 198-201.

[37]) Vide supra p. 109, et Acta Cap. Gen., 1660, n. 15.

[38]) Vide supra p. 17, notam 84 et p. 109, notam 39.

[39]) Canonia Vallis Christianae (= Valchrétien), dép. de l'Aisne, dioc. Soissons commendata fuit hocce tempore Caesari Le Duc. Cfr. N. BACKMUND, II, 533-534.

[40]) Vide supra p. 110, notam 44.

[41]) Vide supra p. 93, notam 365 et p. 109, notam 38.

[42]) Jacobus Neupont iam anno 1658 munus prioris abbatiae Septem Fontium in Burgundia exercuit. Vide ROUSSEL, *L'abbaye de Septfontaine en Bassigny*, in *An. Praem.*, XX, 1944, 71.

[43]) Prior claustralis abbatiae Sancti Justi (= Saint-Just-en-Chaussée), dép. de l'Oise, dioc. Bellovacensis (= Beauvais). Cfr. BACKMUND, II, 564-565.

[44]) Prior claustralis canoniae Hermeriarum (Hermières), dép. Seine-et-Marne, dioc. Meldensis (= Meaux) sub abbate commendatario Iacobo Carolo Amelot. Cfr. BACKMUND, II, 506-507.

[45]) Abbatia Loci-Restaurati (= Lieu-Restauré), dép. Oise, dioc. Bellovacensis (= Beauvais) commendatario Petro de Berthier commissa. Cfr. BACKMUND, II, 513-515.

[46]) Capella ad Plancas (= Chapelle-aux-Planches), dép. Haute Marne, dioc. Lingonensis (= Langres) abbatia in commendam data Francisco Guichard de Beureville. Cfr. BACKMUND, II, 490-492.

[47]) Abbatia circariae Normanniae Borealis Bellus Portus (= Beauport) prope Paimpol, dioc. Saint-Brieuc, dép. Côtes du Nord in commendam data. Cfr. BACKMUND, II, 14-18.

Ven. P. Alexius Bellecocq, prior Dei Loci in Jardo[48]).

Ven. P. Ioannes Mereau, prior Sancti Pauli Senonensis[49]).

Ven. P. Franciscus Placet, prior Bellosanae[50]).

Ven. P. Antonius Godart, prior Sancti Andreae in Nemore sui abbatis nomine[51]).

Ven. P. Franciscus van Scaetbroock, prior Parcensis[52]).

Ven. P. Ioannes de Breiteur prior Heylessemensis[53]).

Ven. P. Philippus Van Etriswinckel, pastor in Duffel deputatus a Tongerloa[54]).

Ven. P. Ambrosius Thilens, S. Theologiae Licentiatus et deputatus a Tongerloa[55]).

Ven. P. Petrus de Pert Prochacq Vasconiae deputatus.

Ven. P. Carolus Vateau, procurator Tenoliensis[56]).

[48]) Alexius Bellecocq, professus canoniae Praemonstrati, partes notarii egit in capitulo generali anni 1660. Vide supra p. 115, notam 77. Cfr. GOOVAERTS, I, 59-60 s.v. *Billecocq, Alexis,* qui erronee eum uti secretarium capituli praedicti designat, quo munere functus est Gregorius du Crocq. Tamquam peritus in re musica novam editionem missalium, antiphonariorum et processionalium praeparavit. Acta Cap. Gen., 1660, n.45.

[49]) Vide supra p. 112, notam 62.

[50]) Franciscus Placet, publici iuris fecit quaedam opera apologetica (GOOVAERTS, II, 49-50), dum, uti claustralis prior, sub abbate commendatario, abbatiam Bellosannae (= Bellosanne), dép. Seine Maritime, dioc. Rotomagensis (= Rouen), rexit. Cfr. BACKMUND, III, 39-41.

[51]) Antonius Godart vices gessit abbatis Nicolai Lédé qui praecedentibus capitulis generalibus interfuit. Vide supra p. 15, notam 39, p. 104, notam 4.

[52]) Agitur de Francisco Van Schaetbroeck, qui per 27 annos munere prioris claustralis abbatiae Parcensis propre Lovanium functus est ac die 27a decembris 1685 obiit. Cfr. R. VAN WAEFELGHEM, *Le nécrologe de l'abbaye du Parc,* Bruxelles, s.d., p. 503.

[53]) Joannes Fraiteur (vel *De Fraiteur*) officum prioris explevit in abbatia Heylissemensi ab anno 1658 usque ad 1678. Cfr. AAA, sect. IV, n.200, p. 10, n°23: *Index seu catalogus abbatum, priorum, provisorum, magistrorum novitiorum...monasterii Beatae Mariae Heylissemensis.*

[54]) Sub hac orthographia correpta indicatur Philippus Van Hoeswinckel, professus Tongerloënsis et pastor in Duffel. Vide GOOVAERTS, II, 304-305. In *Instructione secundum quam se regulabunt VV. Domini et fratres nostri Philippus Van Hoeswinckel pastor in Duffel et Ambrosius Tielens, S.T.L. et Lector Collegii Lovaniensis a nobis ad Capitulum generale proximum in Praemonstrato deputati,* regentes canoniae Tongerloensis vacantis asserunt ad ipsos spectare regimen canoniae viduatae tam in temporalibus quam in spiritualibus absque interventu patris abbatis. AAT, IV, 53, n°44. Commissum fuit insuper deputatis Tongerloensibus ut, contra sententiam negativam capituli generalis, appellarent ad Sedem Apostolicam. AAT, IV, 53, n°45.

[55]) Vide supra p. 111, notam 53.

[56]) Abbatia Thenoliensis (= Thenailles) sita erat in dioecesi Laudunensi (= Laon), nunc Suessionensi (= Soissons) dép. de l'Aisne. Cfr. BACKMUND, II, 400-402. Nicolaus Boucher eam in commendam retinuit.

Ven. P. Norbertus Biermant, S. Theologiae Baccalaureus, Floreffiensis[57]).

Ven. P. Albertus Beenen, S. Theologiae Baccalaureus, et professor Bonae Spei[58]).

Ven. P. Isfridus van Varick, provisor et secretarius abbatis Sancti Michaëlis Antwerpiae[59]).

Ven. P. Martinus Leghere, lector S. Theologiae, Ninoviensis.

Ven. P. Bernardus Hanum, secretarius D. Abbatis S. Augustini Morinorum[60]).

Ven. P. Thomas a Kempis, religiosus Grimbergensis[61]).

Ven. P. Paulus Penon, religiosus Blanchae Landae, nomine sui prioris[62]).

[1] Die igitur Dominica quae dicitur *Cantate* et incidit in 2a aprilis anni 1663, Reverendissimus Dominus Abbas Praemonstratensis celebrationem capituli generalis auspicaturus assistente sibi admodum R.D. abbate Cuissiacensi, pontificalibus indutus, prae more toto conventu Praemonstratensi processionaliter ab Ecclesia ad arcam maiorem procedens, Capitulares omnes antedictos, qui ad indictionis diem convenerant, excipiens aquae lustralis aspersione et thurificatione, reverenter adhibitis, eos praeeuntes secutus, statione facta in Ecclesiae navi, de more solemne Sacrum in iisdem pontificalibus celebravit, quo absoluto, ipse Revmus cum omnibus capitularibus ad locum capituli conventus se recepit in quo prius decantato *Veni Creator Spiritus,* habita fuit e pulpito a R.P. Michaele Colbert, priore Praemonstratensi, apposita et docta de unitate, aequalitate, unitatis aequalitatisque concordia dissertatio latina, qua

[57]) Agitur de Norberto Piermans, professus Floreffiensis, qui anno 1626 theologiam docuerat in canonia Praemonstratensi et postea collegium circariae Floreffiae in Lovanio inde ab anno 1628 rexit. Vide V. Barbier, *Histoire de l'abbaye de Floreffe,* II, p. 348.

[58]) Bona-Spes (= Bonne-Espérance), in Hannonia (Belgio), dioc. Tornacensi. Cfr. Backmund, II, 361-364. Nomen huiusmodi lectoris qui forsan uti *Bunen* legi potuerit non insertum videtur in Obituario ab E. Brouette in lucem edito.

[59]) Isfridus Arnoldus van Varick, obiit in paroeciae sua de Minderhout postquam per plures annos munus provisoris abbatiae S. Michaelis Antwerpiae exercuit. Vide *Obituarium ecclesiae Sancti Michaelis Antverpiae...* sub 30 Iunii (1685).

[60]) Abbatia Sancti Augustini Morinorum quae etiam Tervanensis dicitur sita in dép. Pas de Calais, dioc. Atrebatensi (= Arras). Cfr. Backmund, II, 424.

[61]) Thomas Kempen, professus Grimbergensis, pulsandi organa peritia insignis, ad varios Ordinis conventus Galliae missus fuit ut cantum doceret. Qua occasione vitia cantus liturgici praemonstratensis in lucem prodiit ac emendare curavit. Praeparavit editionem Antiphonarii, Gradualis et Processionalis Praemonstratensis anni 1688. Cfr. Goovaerts, I, 439.

[62]) Canonia Blanchae Landae (= Blanchelande) sita erat in dép. de la Manche, dioc. Constantiae (= Coutances). Cfr. Backmund, III, 18-20.

finita, publicata est de mandato Revmi Domini Generalis sessio prima in secundam pomeridianam.

Sessio prima. Die vigesima secunda aprilis pomeridiana.

[2] Eadem die hora secunda pomeridiana conveniens Revmus Dominus Generalis cum omnibus iisdem capitularibus in aula capitulari, decantato hymno *Veni Creator* et subiuncta collecta, ac dicto ab eodem Revmo *Benedicite* vocati sunt ad obedientam praestandam in manibus Revmi Domini Praemonstratensis singuli abbates et praelati infra memorati qui eam nondum praestiterant, quam omnes ipsi Domino Praemonstratensi et capitulo generali flexis genibus singulatim spoponderunt videlicet:

R.D. Ioannes Penillon, abbas Albae Curiae,
R.D. Claudius Delarüe, abbas Viconiensis,
R.D. Siardus Julien, abbas Sancti Foillani,
R.D. Hugo Du Camp, abbas S. Augustini Morinensis,
R.D. Macarius Simeomo, abbas Sancti Michaelis Antverpiensis,
R.D. Servatius Vaes, abbas Averbodiensis,
R.D. Adolphus de Guliach, abbas Saynensis,
R.D. Lambertus Bale, abbas Heylessemensis,
R.D. Epiphanius Loüis, abbas Stivagiensis,
R.D. Alexander de France, abbas Vallis Dei,
R.D. Antonius Duhamel, abbas de Moncellis,
R.D. Norbertus Van De Kerckove abbas Truncinensis,
R.D. Michael Roguet, abbas Castelli Mauretaniae, Abbas autem Corneolensis et Grangiarius de Vico ad obedientiam non sunt admissi[63]), donec praetensiones in sequentibus sessionibus fuerint discussae.

[3] Tum Revmus, abbate Cuissiacensi et Circariarum Vicariis in consilium abhibitis, assumpsit in definitores praeter admodum RD. Abbatem Cuissiacensem:

[63]) Franciscus de la Fosse, antea abbas Corneolensis, non admissus fuit ad obedientiam quia, sedente capitulo generali anni 1660 (n. 166), munus suum deposuit postquam cum Communitate antiqui rigoris de cedenda sua canonia pactum inierit. Post resignationem, Claudio Mitaine regimen abbatiale concreditum fuit. Demortuo nunc abbate Mitaine, Franciscus de la Fosse petiit ut a capitulo generali in pristinam suam dignitatem redintegraretur. Quae petitio in fine praesentis capituli generalis (cfr. infra n. 145) examinata fuit. Anno 1660 abbas generalis eum ad oboedientiam non admisit (n. 3). Grangiarius Vici, iam sedente capitulo generali anni 1660, petierat ut ei daretur dignitas et figura iuridica praepositi autonomi. Iterata eius petitio in decurso huius capituli de novo examinata fuit (cfr. infra n. 138).

R.D. Abbatem Bonae Spei; R.D. Abbatem Vallis Serenae; R.D. Abbatem Parcensem; R.D. Abbatem Dommartinensem; R.D. Abbatem Averbodiensem; R.D. Abbatem Leffiensem; R.D. Abbatem Mussipontanum; R.D. Abbatem Saynensem; R.D. Abbatem Ninoviensem et Vener. Priorem Praemonstratensem, cuius est, de more, interesse Capituli Definitorio, qui omnes de fidelitate Capitulo servanda, iuramentum praestiterunt.

[4] In talliarum et sumptuum in hoc Capitulo faciendorum collectores designati sunt: RR.DD. Abbates S. Foillani, Stivagiensis, et prior S. Petri Selincurtensis; qui officio suo, prout praefigitur in Statutis, adiuncto in consilium P. Priore Praemonstratensi accurate fungantur.

[5] Recipient excusationes Abbatum, aliorumque absentium, RR.DD. Abbates Vallis Serenae, et S. Augustini Morinensis, et an sint vel non sint fundatae, de iis iudicabunt.

[6] Concedent litteras orationis RR.DD. Abbates S. Michaelis Antverpiensis et Trunciniensis, iidemque litteras omnes Capituli Generalis sigillatas et sigillandas discutient prout Statuta decernunt. Prior tamen senior Praemonstratensis designatur ad easdem litteras sigillandas.

[7] Electus fuit in secretarium Capituli R. Abbas Dommartinensis, et in notarios ipsi subservientes assumpti sunt R.D. Abbas Stivagiensis et pater Hugo Gallien, canonicus Praemonstratensis[64]); quo deficiente, aut extra monasterium Praemonstratense dimisso, alium substituet Revmus D. Praemonstratensis, pro actorum Capituli Generalis custodia, et subsignandis transsumptis in casuum exigentia cuius subsignationi plena fides abhibeatur.

[8] In portarios Capituli designati sunt: Priores Hermeriarum et Dei Loci. In Circatorem: pater Prior Branensis.

[9] Item, designati sunt R.D. Abbas Heilessemensis, RR.PP. Priores S. Martini Laudunensis et Parcensis, qui examinabunt et excerpent decreta duorum praecedentium Capitulorum Generalium, quae totum Ordinem concernunt; quasque transire debent in vim legis, et ea proponant Capitulo discutienda et ordinanda[65]). Hi omnes supradicti in

[64]) De patre Hugone Gallien vide GOOVAERTS, I, 289. Scripsit: *Réflexion sur le priorat des abbayes possédées en commende, où il est iustifié que la disposition de la Règle touchant le supérieur, son élection, déposition, assistance au chapitre général, juridiction spirituelle etc. a lieu et se doit observer au regard du Prieur de l'abbaye possédée en commende, in 4°*, 48 pp. et *Dissertatio de regimine abbatiarum commendatarum ordinis Praemonstratensis, in 4°*, 37 pp.

[65]) Hic in mentem revocandum est decretum Statutorum ordinis Praemonstratensis anni 1630, Dist. IV, cap. 6, nn.2 et 3 quod ita sonat: *Est autem firmiter decretum, ut circa constitutiones novas haec tria perpetuo observentur... Deinde, ut subsequenti generali capitulo,*

manibus Revmi D. Praemonstratensis fidelitatis iuramentum praestiterunt.

[10] Tum singuli Visitatores et omnes qui officium vel aliquam habebant commissionem ad manus ipsius Revmi Domini huiusmodi litteras et instrumenta resignaverunt; quibus acceptatis declaravit Capitulum omnes et singulos tam praesentes quam absentes, cuiuscumque nominis aut dignitatis Officiales, authoritate Ordinis antea constitutos, a suo respective officio et commissionibus absolutos, prout de facto absolvit revocavitque.

[11] (258v°). His peractis, Revmus D. Praemonstratensis proposuit quae pro bono communi Ordinis in hoc Capitulo praesenti tractanda erunt et in primis quaesitum fuit an pro conservanda arctius disciplina regulari in singulis Monasteriis, non expediat etiam inseri in missione Circatorum seu Visitatorum Capituli Generalis, clausulam hanc, *cum potestate substituendi*, cum ex rerum eventibus, morbis, et impedimentis, contigerit Circatorum aliquos non posse visitare Monasteria sibi commissa, Capitulum resolvit, eam clausulam inseri oportere, adeoque praedictos Circatores, seu Visitatores in casu impedimenti legitimi, aut morbi, teneri ad substituendum.

Sessio secunda. Die vigesima, tertia Aprilis matutina.

[12] Decantata solemniter Missa a Rev. admodum Abbate Cuissiacensi convenerunt Revmus D. Praemonstratensis aliique PP. ad coetum capitularem, in quo, praemissis precibus solitis, iuxta propositionem antea factam, de tractandis in hac sessione, diversa Memoralia, varii libelli supplices et alia, quae Circariarum negotia concernunt, porrecta sunt ad manus Revmi D. Praemonstratensis et Definitorum.

[13] Libellus supplex Olinghausani Monasterii Virginum[65]) in Westphalia datus fuit ad referendum R.D. Abbati Ninoviensi. Causa appellationis Conventus Tongerloensis[67]) commissa fuit RR.DD.AA. S.

eadem decreta nova examinentur et discutiantur, et si nullus ea oppugnet, nullumque in eis incommodum reperiatur, mandetur ut in debita observatione permaneant. Et vero si aliquis contradicere aut ea oppugnare velit, eius rationes audiantur et perpendantur, ac si quid sit faciendum, per Capitulum vel per Definitores decernatur. Demum ut tertio Capitulo rursum eadem decreta, ut iam est dictum, ad incudem revocentur et exactissime exemaninentur, ac omnimode vel approbentur vel reprobentur, aut si sint nimis severa, vel dura, mitigentur. Vi huius praescripti decreta capitulorum annorum 1657 et 1660 nunc ultima vice examini subiicienda erant, atque, post ultimam emendationem, vim legis stabilis obtinebant.

[66]) Vide infra n.39. Cfr. Acta Cap. Gen. 1657, n.105.

Mariae Mussipontanae et Saynensi. Item causae et quae submissae sunt a Circariis Bohemiae[68]), commissae sunt ad referendum RR.DD.AA. S. Michaelis Antverpiensis et Averbodiensi. Submissa a Circaria Bavariae[69]) itidem commissa sunt RR.DD.AA. Sancti Foillani et Stivagiensi, ut referant.

Quae a circaria Sueviae commissa sunt RR.DD.AA. Saynensi ut pariter referat. Supplex libellus S. Ioannis Ambianensis cum cartis adiunctis, porrectus fuit ad manus R.D. Dommartinensis, patris Abbatis dicti Monasterii, ut ad locum ipsum se transferat, et auditis religiosis et inspecto statu rerum, decernatur quid iuris erit et rationis.

Praetensiones D. Grangiarii de Vico in suo libello supplici sunt contentae cum adiunctis titulis et monumentis[70]) referet idem Abbas Dommartinensis.

[14] Item, proponente Revmo D. Praemonstratensi Visitatores deputatos in ultimo capitulo generali[71]) ad visitationem faciendam in suo Monasterio Praemonstratensi non potuisse ab eo tempore convenire ad officium visitationis implendum, propter infirmitatem et mortem secutam R. admodum Abbatis Floreffiensis[72]), Capitulum censuit indilate procedendum ad dictam visitationem, dum Patres cum Capitulo Generali hic sunt congregati, ne ea visitatio patiatur aliquid impedimentum si diutius differatur. Hinc praesentis decreti tenore, nominavit et deputavit, nominat et deputat RR.adm.DD.AA. Cuissiacensem, Bonae Spei et Leffiensem, ut, sedente Capitulo, monasterium Praemonstratense tam in capite quam in membris, iuxta privilegia a S. Sede Apostolica domui Praemonstratensi concessa visitent. — Et hanc sessionem secundam terminavit Revmus D. Generalis, indicta in 2am pomeridianam altera.

[67]) Appellaverunt Tongerloënses contra iniunctionem Vicarii abbatis generalis pro Circaria Brabantica, Liberti de Pape, sese conformandi decretis capituli generalis quoad iurisdictionem patris abbatis in abbatias filias tempore vacationis. Vide infra n.40.

[68]) Vide infra nn.57-69.

[69]) Vide infra n.48.

[70]) Vide supra notam 63.

[71]) Non absque difficultate capitulares anni 1660 in visitatores abbatiae Praemonstratensis constituerunt abbates Floreffiensem, Cuissiacensem et, loco Laudunensis qui erat commendatarius, abbatem Bonae-Spei in Hannonia, duobus primis abbatibus renuentibus officium visitatoris, quod a iure detinebant, sibi a capitularibus committi et ab ultimis tertium visitatorem mandari dum huiusmodi cooptationem sibi competere vindicaverant. Cfr. Acta Cap. Gen., 1660, nn.22, 24.

[72]) Decessit abbas Carolus de Severi pridie nonas septembris anni 1662. *Nécrologe de l'abbaye de Floreffe*, in *Analectes pour servir à l'histoire ecclésiastique de la Belgique*, XIII, 1876, p. 246.

Sessio tertia. Die vigesima tertia Aprilis pomeridiana.

[15] Praemissis solitis precibus, et dicto *Benedicte,* discussi sunt articuli libelli supplicis priorum claustralium in Abbatiis commendatis, et ipsi per os prioris S. Martini Laudunensis attente auditi et rationes disceptatae, quo facto iussi a capitulo recedere dum super iis deliberaretur, ad 1. articulum respondet Capitulum inhaerendum esse decreto Capituli Generalis anni 1657 concepti sess. 4 die 30 Aprilis[73]) (259r°). Ad 2um respondit Capitulum priores in Abbatiis commendatis habiles esse ad visitandum in Gallia, quando deputabuntur, non posse tamen deputari ad visitandum Abbates regulares, neque filias Ecclesias iure paterno eo quod decedente Patre Abbate ius illud devolvavur ad Revmum D. Praemonstratensem; si vero contingeret casum exigere, ut deficiente Abbate regulari capace, expediret, imo necesse foret priorem claustralem delegari ad visitandum abbatem aut abbates regulares, posset Revmus D. Praemonstratensis priorem eiusmodi deputare ad visitandum etiam Abbatem regularem prout iudicaverit expedire.

Declarat etiam Bullam Nicolai quarti datam apud Urbem Veterem Kalendas Iulii, pontificatus anno 4°[74]) supponere, esse in provincia personam qualificatam quae possit obire munus Patris Abbatis in electione regenda, cum tamen ab Ordine sufficienter modo provisum sit ut Vicarii vel Visitatores possint supplere defectum Patris Abbatis. Ad 3um responsum est per primum articulum. Ad 4um satis declaratum est per Statuta, decreta Capitulorum Generalium et Priorum claustralium in Abbatiis commendatis iurisdictio in subditos et regimen in spiritualibus et temporalibus.

[73]) Vide Acta Cap. Gen. 1657, n.7. In capitulo generali anni 1660 quaestio de voto deliberativo priorum claustralium sub abbate commendatario constitutorum iterum mota fuit (Acta Cap. Gen., 1660, n.15), sed, prioribus praesentibus foras emissis, decreverunt abbates capitulares votum deliberativum in sessionibus capituli generalis solis abbatibus competere (Acta Cap. Gen., 1660, n.16). Nomine priorum claustralium praesentium, Perrodii Novi prior Antonius La Faux, huic decreto sese opposuit, rogans ut votum deliberativum omnibus definitoribus capituli detur inter quos et priores claustrales connumerari valebant. Abbas generalis iudicavit quaestionem tunc tantum de novo examinari posse, cum supplicem libellum debito modo priores praesentarent (*Ibidem,* n.17). Corroborando decreta capitularia annorum 1657 et 1660, capitulares abbates exoptatam participationem priorum in deliberandis capituli negotiis repudiaverunt. Priores vero ad Sanctam Sedem recursum habuerunt ac per litteras apostolicas sub forma brevi datas, die 19 decembris 1664, obtinuerunt ut deinceps inter definitores capituli generalis assumi valerent, non obstante repulsione ex parte abbatum iuris vi decreti capitularis a prioribus claustralibus acquisiti. Vide *Bullarium Romanum, editio Taurinense,* vol. 17, p. 327-328.

[74]) Nicolaus IV, *Petitionibus vestris,* 1291, 1 Iulii, deest in J. Le Paige, BPO, copia in AAT, *Cartularium S. Michaëlis Antverpiensis,* n.181.

[16] Item, resumpta fuit propositio in Capitulis praecedentibus facta de corrigendo Ordinis cantu et imprimendis codicibus, quae toti Capitulo denuo placuit, mandavitque ad cantus correctionem faciendam indilate procedendum esse et 1° inchoandum esse ab impressione Processionalium, ad quorum calcem, submitteretur formula de fratrum sepultura, rubricis et figuratis notis, ubi opus erit interstincta. Ad hunc codicem concinandum, deputatur p. Quintinus Bonvalet canonicus Praemonstratensis[75]), qui ab aliquo tempore illi operi iam vacavit; addatur etiam formula cantus Evangeliorum. Epistolarum, versuum et similium. Et quia Ordinis bibliopola[76]) obtulit se ad impressionem Processionalis et iteratam recensionem maiorum Breviariorum Ordinis suis impensis accurate faciendam, dummodo exemplare aliquod bene correctum ipsi tradatur, Capitulum ratum habuit illud officium, mandatque ut exemplaria correcta Processionalis et Breviarii quam primum aptentur ipsi tradenda, et in ordinem dirigenda per eos quos ad id proposuerit Revmus D. Praemonstratensis; cantum etiam Processionalis ordinatum R.D. Dommartinensis et Pater Ioannes Loisel, religiosus eiusdem loci[77]).

Sessio quarta. Die vigesima quarta Aprilis matutina.

[17] Fusis precibus, relecta sunt quaedam Capitulorum Generalium annorum 1657 et 1650 celebratorum decreta, et denuo discussa decretum Capituli Generalis anni 1657, quo in initio sess. 5ae derogat Statutis, et relinquit in antiqua et non interrupta possessione priorum Praemonstratensium, qui diem electionis Abbatis Praemonstratensis indicit tribus primis Abbatibus, et omnibus aliis qui ei debent interesse[78]), Capitulum

[75]) Ad libros liturgicos ordinis Praemonstratensis quoad cantum recognoscendos in capitulo generali anni 1660 (nn.44-45) constituti erant Alexius Bellecocq, canonicus Praemonstratensis, et Ioannem Loisel, canonicum Domimartinensem. Quentin Bonvalet inde ab anno 1635 officium supprioris ecclesiae Praemonstratensis exercuit necnon curam sacristiae gerebat. Obiit 28 septembr 1668. Cfr. *Obituaire de Prémontré*, p. 189 ubi nomen eius erronee uti *Boitvalet* legitur.

[76]) Fredericus Leonard, Bruxellensis, Parisiis degens, ab abbate generali Augustini le Scellier Ordinis Praemonstratensis typogaphus adlectus fuit vi privilegii dati Parisiis die 22 augusti 1662. Cfr. *Breviarium canonici ordinis Praemonstratensis Reverendissimi in Christo Patris Domini Augustini Le Scellier, abbatis Praemonstratensis totius Ordinis Generalis iussu et auctoritate impressum 1663.*

[77]) In arte musica apprime versatus Ioannes Loisel, professus Domnimartinensis, officium primi cantoris explevit in Antverpiensi canonia Sancti Michaëlis (1644-1646) ac, postea anno 1649, in ecclesia Ninovensi. Cfr. GOOVAERTS, I, 532-533.

[78]) Acta Cap. Gen., 1657, n.17.

praesens decretum illud supra dictum denuo confirmat, derogatque hac in parte Statutis Ordinis, contra quod decretum R.D. Abbas Cuissiacensis protestatus est pro conservatione sui iuris Patris Abbatis, conformiter ad Statuta et arrestum Regis.

[18] Item, decretum est quod in primo puncto sess. 6ae dicti Capituli Generalis anni 1657[79]), ubi sic dicitur, *quotiescumque pro bono reformationis continget aliquos religiosos a legitima authoritate in aliud Ordinis coenobium diversum a suae professionis Monasterio submitti, sive ut sint Officiales, sive Conventuales* (260r°), *sint gavisuri omnibus iuribus et causis, voce activa et passiva, simul et stallo seu loco suae professionis ac si essent in Monasterio, ad quod mittuntur, professi,* praesens Capitulum confirmat.

[19] Item, decretum quod legitur post medium 14ae sessionis dicti Capituli Generalis 1657, et est eiusmodi[80]): *Capitulum decrevit quod Revmus Dominus Praemonstratensis eiusque Vicarii aut etiam Visitatores possint assumere religiosum ex Monasteriis, et ad alia, reformationis introducendae causa, transmittere, non obstante proprii Praelati contradictione, quando eumdem Praelatum auditum iudicant non rationabiliter contradicere* Capitulum praesens confirmat.

[20] Decretum etiam, in fine sessionis sess. 15ae, quod tale est: *Decernit quod cellae religiosorum seris claudantur, ita tamen ut Superiores claves ad eius pro sua voluntate aperiendas habeat*[81]). Capitulum praesens confirmat etiam hoc decretum.

[21] Ad Capitulum Generale anni 1660, eiusque sess. 3, in qua cautum erat pro Monasterio Marchasii Radulphi, ut per Patrem Abbatem vel Visitatores, efficaciter ei provideretur[82]), Revmus etiam Generalis coactus fuerit loci Abbatem suspendere a regimine temporali et spirituali ad tres annos[83]), et modo supplicatur ut fiat bonorum divisio ne, suspensione expirante, recidat monasterium in priorem statum. Capitulum praesens relinquit hoc iudicio et dispositioni Revmi D. Generalis vel Visitatoris.

[79]) Acta Cap. Gen., 1657, n.24.
[80]) Acta Cap. Gen., 1657, n.105.
[81]) Acta Cap. Gen., 1657, n.126.
[82]) Acta Cap. Gen., 1660, n.21.
[83]) In elencho abbatum quem profert BACKMUND, II, 559, sedes abbatialis Marchasii Radulphi (=Marcheroux) vacasse videtur inde a resignatione, anno 1654, abbatis Caroli Boulanger. Ex actis praesentis capituli generalis elucet abbatem, cuius nomen non inseritur, anno 1660 ad triennium poena suspensionis ab exercitio regiminis tactum fuisse. Iuxta praecitatum elenchum novum abbatem regimen canoniae Marchasii Radulphi assumpsisse videtur inde ab anno 1663.

[22] Quoad visitationem monasterii Praemonstratensis quae hactenus ob quaedam impedimenta omissa fuerat, quaeque fieri requirebatur, Capitulum, ad instantiam Revmi Domini Praemonstratensis supra, sess. 2[84]) nominavit Visitatores qui, sedente hoc Capitulo, monasterium hoc visitent, nominabitque alios pro futuro triennio.

[23] Porro decretum sess. 6ae anni 1660[85]), circa medium, quod sic habet: *Capitulum diffinit de facto omnes et singulos Ordinis Praemonstratensis religiosos uti suos subditos obedientiarios, et quorum professio sit Superioribus obedire, et in omni vitae suae instituto, ab eis dependere, reddit ex nunc inhabiles ad quaecumque regularia beneficia curata, vel simplicia, impetranda, acceptanda vel possidenda, nisi ante eorum impetrationem, acceptationem vel possessionem, fuerint muniti in scriptis obtenta licentia, quam religiosi inferiores habeant a Superiore suo regulari, Priores vero in Abbatiis commendatis a Vicario Circariae, vel Patre Abbate, vel D. Praemonstratensi.* Capitulum praesens confirmat, et extendit ut religiosi Communitatis antiqui rigoris habeant a Vicario et suo Definitore licentiam, vel a D. Praemonstratensi, iuxta terminos colloquii Bonae Spei anni 1661[86]).

[24] Item, decretum quod est circa medium sess. 21ae[87]), huius tenoris: *Capitulum diffinit administrationem in spiritualibus futuram, Ecclesia Praemonstratensi vacante, esse penes Priorem Praemonstratensem et habiturum eandem temporalium administrationem iuxta Statuta, adhibito tamen consilio et consensu duorum Canonicorum a Conventu Praemonstratensi deputandorum* Capitulum praesens confirmat, prout iacet.

[25] Item, quaesitum est an solus Abbas, vel solus prior, possit novitios, inconsultis vel etiam dissentientibus maioribus domus, eiicere et ad saeculum remittere, Capitulum declarat solum Abbatem, vel priorem solum posse novitios dimittere, id tamen temere ab ipsis fieri non debere sed consulto priore et magistro novitiorum, nisi aliqua ratio specialis obstiterit.

[26] Caeteris quibusdam aliis quaesitis in porrecto libello respondit Capitulum per Statuta efficienter provisum esse.

[84]) Acta Cap. Gen., 1663, n.14.
[85]) Acta Cap. Gen., 1660, n.53.
[86]) Acta Cap. Gen., 1660, n.214.
[87]) Acta Cap. Gen., 1660, n.201 in fine.

Sessio quinta. Die vigesima quarta Aprilis pomeridiana.

[27] Post preces solitas, lectus fuit libellus supplex P.F. Petri de Hullegarde (260r°), Ordinis Fratrum Minorum, conventus Lovaniensis guardiani, procuratoris eiusdem Ordinis in Curia Romana pro obtinenda canonizatione martyrum Gorcomiensium[88]), quo humiliter rogat novum subsidium in expensas ob eam rem faciendas ultra tres tallias quas Capitulum anni 1660 consensit, esse a Vicariis in qualibet Circaria colligendas. Capitulum agnoscit duos e suis canonicis numero SS. Martyrum adscribendos[89]), et inclinans animam tam pio operi, concessit denuo in sublevamen expensarum tamdiu exspectatae canonizationis tres alias consuetas Ordinis tallias, quas dicti Vicarii generales colligere possint, ita tamen ut trium talliarum solutionem hoc anno procurent, easque ad manus Procuratoris generalis Ordinis nostri in Curia Romana transmittant, pro re nata suo tempore in eum finem expendendas, tres autem alias ab hoc Capitulo concessas colligere procurent, quando a Procuratore nostri Ordinis submonebuntur esse ad praedictum effectum necessariae.

[28] Ad petitionem R.D. Ninovensis, quam in hoc Capitulo iterat, pro obtinenda solutione undecim talliarum quae per decretum Capituli Generalis ultimi, sess. 12a ipsi attributae fuerant[90]), in refusionem expensarum toleratarum ab Abbate Ninoviensi Procuratori generali totius Ordinis in curia Romana, iuxta decreta Capitulorum praecedentium[91]), quas undecim tallias unumquodque monasterium Ordinis, quibusdam per illud exceptis, solvere tenebantur, solutio tamen nulla secuta fuerit. Capitulum praesens renovat decretum Capituli ultimi, mandatque fieri promptam solutionem, quae ut facilior et tolerabilior reddatur a plerisque monasteriis quae sunt modici redditus, eam extendit ad triennium, ita ut singulis annis tertia pars solvi debeat, et ad hoc invigilabunt Vicarii Circariarum, cogentque renuentes aut negligentes omni via iuris et Statutorum; contra quod decretum deputati a Communitate antiqui rigoris insistunt protestationi a se factae in ultimo Capitulo Generali, eamque renovat.

[88]) Acta Cap. Gen., n.110, nota 169.

[89]) Agitur de Adriano Beckano et de Jacobo Lacops, professis canoniae praemonstratensis de Middelburg, Walcheren, Zelandia qui in odium fidei a militibus mercede conductis simul cum septemdecim aliorum ordinum sodalibus in Gorinchem (Gorkum) necati fuerant. Vide I. VAN SPILBEECK, *S. Adrien et S. Jacques martyrs de Gorcum*, Tamisiae, 1900, 130 pp.

[90]) Acta Cap. Gen., 1660, n.120 cum notis 176 et 177.

[91]) Acta Cap. Gen., 1660, notae 176, 177.

Sessio sexta. Die vigesima quinta Aprilis matutina.

[29] Fusis, de more, precibus, auditae sunt per certos libellos Capitulo praesentatos, quorumdam religiosorum obmurmurationes, ab anonimo quodam fuerit factum impressum, in quo praetenditur Bullam Iulii II. Statutis praefixam[92]) esse subreptitiam; super quo auditi RR.DD. Abbates S. Mariae Mussipontanae, Iustimontis et Stivagiensis, Vicarius generalis, et deputati a Communitate antiqui rigoris, clare et diserte affirmarunt se non nosse auctorem illius libelli, et declarare publice, toto sedente Capitulo, se habere et tenere dictam Bullam Iulii II Statutis praefixam pro legitima et nullo modo subreptitia.

[30] Proposita etiam fuit difficultas super terminis Bullae Innocentii quarti, continentes compositionem Odonis episcopi Tusculani, legati Sedis Apostolicae, quae habetur in *Bibliotheca Praemonstratensi*[93]), fol. 668, qui sunt tales. De Definitoribus etiam convenerunt, quod annis singulis mutentur, et quod Abbas Praemonstratensis, de consilio tamen supradictorum trium Abbatum, eos eligere et nominare valeat, quos ad hoc officium utiliores crediderit, et viderit expedire, per hoc etiam non derogabitur tribus dictis Abbatibus, qui ipsi fuerint Definitores cum aliis, eo modo quo consueverant tempore retroacto, ex quibus aliqui videntur dubitare an legitimus sit usus Ordinis, quo plerumque fit aliquos Definitorum non mutari in singulis Capitulis, et de facto, in hoc sedente Capitulo, aliqui assumpti sunt in Definitores qui aliis praecedentibus Capitulis fuerunt de numero Definitorum; cui difficultati, re mature perpensa, et auditis omnibus, declarat Bullam istam sic semper intellectam esse, quod per novam assumptionem Definitorum, et plurium variationem quae fit in singulis Capitulis, sufficienter satisfieri intento Bullae, cum vere et proprie dici possit mutatio eo modo, quo magistratus mutari dicuntur et renovari etsi aliqui ex veteribus denuo eligantur.

[31] Item R.D. Abbas Ninoviensis ultra petitionem ab ipso sessione praecedente factam[94]) supplicavit sibi caveri de interesse currente, quod ipsius Ecclesia adhuc modo solvit de pecunia a praedecessoribus suis

[92]) Vide Acta Cap. Gen., 1660, n.173, cum nota 229 ubi repressae fuere sermones de nullitate Statutorum anni 1630 quae, vi bullae *Rationi congruit* Iulii II anni 1503, promulgata et imposata fuerunt sola capituli generalis auctoritate.

[93]) Concordia per Odonem episcopum cardinalem Tusculanum (=Tivoli) inita cum Praemonstratensibus die 26 Ianuarii 1245, — quae per litteras apostolicas diei 27 martii 1246 *Rei quam* ab Innocentio IV fuit corroborata (cfr. J. Le Paige, BPO, 668) — ius trium proto-abbatum in communitatem Praemonstratensem confirmavit. Huic iuri standum esse decrevit capitulum generale anni 1660, n.22, cum nota 100.

[94]) Acta Cap. Gen., 1663, n.28.

mutuo accepta, et pro Ordinis negotio Romae expensa; Capitulum respondit, capitali persoluto, postea rationem habendam interesse, seu summarum currentium. Fuit etiam expositum a dicto R.D. Abbate Ninovensi, a quodam Tissio[95]) fuisse mutuo datas pecunias R.D. Carolo Menius canonico Ninovensi, et procuratori generali Ordinis in Curia Romana[96]), ad summam trecentorum et amplius florenorum, pro cuius solutione cogeretur in Concilio Flandriae Abbas Ninovensis a quodam Bacchio, advocato Gandensi, dicti Tissii haerede, cuius scripturas et rationes exhibuit dictus Abbas Ninivensis; Capitulum, audito rei merito, dictas scripturas et rationem tradidit RR.DD. Abbatibus Ninovensi et Trunchinensi, ut cum Bacchio conveniant, et pro solutione facienda Vicarius generalis Brabantiae tallias in circaria sua debitas et currentes, in id impendant donec debitum extinguatur.

[32] Visis libellis supplicibus RR. Praepositorum Monialium in Langwaden et Keizersbosch, quibus referebant summa, quam expenderant in executione commissionis ipsi a Capitulo anni 1657 demandatae in causa depositionis f. Leonardi Teueren, quondam Abbatis Knechtstedensis[97]), petentes super hoc sibi provideri; Capitulum mandat dictis Praepositis ut coram Vicario generali Westphaliae iustificent liquidentque summam expensarum, quam in executione dictae commissionis consumpserunt facto, recurrent ad quodcumque tribunal ecclesiasticum vel saeculare, ut omni via iuris dictam summam repetant a monasterio Knechtstedensi ad quam persolvendam dictum monasterium ex nunc condemnat.

Sessio septima. Die vigesica quinta Aprilis pomeridiana.

[33] Post preces solitas, et dictum *Benedicite*, audita relatione R.D. Abbatis Vallis Serenae, status monasteriorum quorumdam quae visitaverat, compertum est desiderari religiosos in monasteriis Iovillaris[98]),

[95]) Agitur de Laurentio Thys, mercatore flandrensi in Urbe degente ibidemque nummarium agente. Vide v.g. AAT, Coll. Rom., III, 402.

[96]) Carolus Menius (*Moenius, Moninckx, Moens*), professus Ninoviensis, anno 1627 abbatem suum, Ioannem David, a capitulo generali in procuratorem generalem constitutum ut contra Communitatem antiqui rigoris coram Sacra Romana Rota ageret, in itinere Romam versus comitavit, cui abbas, anno 1628, in patriam regressurus, vices procuratoris generalis commisit. Ad proprias revocatum, in abbatia Steingadensi anno 1641, 28 Ianuarii, mors inopinata suppressit. Cfr. *Chronicon breve Ecclesiae Cornelio-Cyprianeae Ninoviensis*, AAT, sect. V, ms. 81, p. 185.

[97]) Acta Cap. Gen., 1657, n.190, cum nota 342; 1660, n.106, cum nota 164.

[98]) Jovilliers, dép. de la Meuse, dioc. Virdunensis (= Verdun). Cfr. Backmund, III, 78-81. Abbatia Communitati antiqui rigoris postea anno 1670 aggregata.

Moncellensis[99]), et aliis quibusdam in conventibus Campaniae. Capitulum mandat Visitatori provinciae dictis monasteriis providere.

[34] Item, ab eodem R.D. Abbate Circariae Pontivi visitatore, relatum est monasterium Insulae Dei[100]) opus habere Priore claustrali ad id munus capace, eo quod Prior modo existens sit octogenarius, et nimis imbecillis. Quod etiam Lisquense monasterium[101]) indigeat Priore in spiritualibus et temporalibus bene instructo, quodque aliqui Priores in Abbatiis commendatis sint nimium negligentes in efficaci observantia decretorum visitationis, et quandoque recipiantur novitii latinitatis rudes et non bene qualificati. Super quibus Capitulum intendit a Visitatoribus remedium adhiberi. Quoad monasterium Grandicampense[102]) ferme aequatum solo, et religiosis destitutum, Revmus D. Praemonstratensis dixit se adlaborasse et porro adlaboraturum ut a ruinis suis exurgat.

[35] Discussum quae et qualis recreatio danda sit scholaribus? Capitulum resolvit dandam esse singulis annis recreationem aliquam seu deambulationem honestam, moderandam tamen secundum iudicium Superiorum, ad loca scilicet non longe distantia a monasteriis in quibus studiis sunt occupati.

[36] Item, facta relatione status Circariae Brabantiae a R.D. Abbate Parcensi, Vicario (261r°) generali, qui apparuit omnino laudabilis, exhibuit duos libellos supplices praedictus Vicarius unum a R.D. Abbate Grimbergensi, alterum a Praeposito Ostroothano[103]), Capitulo huic Generali directos, quibus postulant reductionem fieri quorumdam obituum et Missarum, festumque Sancti Quirini celebrari posse in dicto monasterio Ostroothano instar duplicis. Capitulum committit reductionem istorum obituum et Missarum eidem R.D. Abbati Parcensi, ut de ea disponat, sicut et de festo S. Quirini, prout Statuta decernunt.

[37] Exposuit suo libello supplici R.D. Godefridus, abbas S. Nicolai Furnensis, latam esse sententiam arbitralem a RR.DD. Abbatibus Ninovensi et Trunchinensi, vigore commissionis in ultimo Capitulo Generali

[99]) Moncetz, dép. de la Marne, dioc. Catalaunensis (=Chalons-sur-Marne). Cfr. BACKMUND, II, 516-517.

[100]) Ile-Dieu, dép. de l'Eure, dioc. Ebroicensis (=Evreux). Cfr. BACKMUND, III, 43-45.

[101]) Licques, dép. Pas de Calais, dioc. Tervanensis (=Thérouanne). Cfr. BACKMUND, II, 411-413.

[102]) Grandchamps, dép. Seine-et-Oise, dioc. Versaliensis (=Versailles). Cfr. BACKMUND, II, 552-554.

[103]) Agitur de canonia sororum ordinis Praemonstratensis in Oosterhout (Brabantia Septentrionali) in Neerlandia, dioc. Bredanae (=Breda). Praepositus erat Henricus Assels (1655-1675). Invenitur apud BACKMUND, II, 326-330 sub titulo Sint-Catharinadal (Vallis Sanctae Catharinae).

datae, ad controversiam de antiquitate fundationis monasteriorum Furnensis et Grimbergensis[104]), dirimendam. Quam sententiam dictus R.D. Abbas Furnensis asserit esse praeiudicialem veritati, adeoque ab ea appellare ad Capitulum Generale praesens, petitque recipi pro appellante. Capitulum admittit dicti Abbatis Furnensis appellationem, eumque ab ea relevat, mandatque eam insinuari R.D. Abbati Grimbergensi, et omnes scripturas adiunctas in eam rem producere, eidem Abbati Grimbergensi communicari, et ad proximum Capitulum Generale referri, ut in eodem discussae et examinatae, statuatur quid iuris erit et rationis, manente interim illibata possessione paternitatis R.D. Abbatis Grimbergensis in monasterium Furnense, et praecedentias iuxta sententiam provisionalem, a qua appellatum est.

Sessio octava. Die vigesima sexta Aprilis matutina.

[38] Post fusas ad Deum preces, dictoque, pro consuetudine, *Benedicite,* quaesitum est an Capituli provincialis Circariae Franciae et Pontivi decretum de reddendo singulis trimestribus computu observari debeat ab omnibus monasteriis Galliae, etiam ubi praesunt Abbates regulares habentes communitatem perfectam? Responsum est debere observari; ubi tamen perfecta est inter Abbates et Conventum communitas, redditus computuum pendebit a directione Abbatis, ita tamen ut, iuxta Statuta, generalis singulis annis reddatur.

[39] Porrecto libello supplici a Monialibus conventus Olinghausani in Ducatu Westphaliae, quo conquerentur de variis vexationibus quas patiuntur ab aliquibus nobilibus et officialibus Serenissimi Electoris Episcopi Coloniensis[105]), Capitulum paterno compatiens affectu ordinandum duxit Syndico Ordinis Parisiis ut a christianissimo Rege commendatitias litteras obtineat ad dictum Serenissimum Electorem dirigendas pro impetrandis protectionibus et compescendis dictorum nobilium et officialium quotidianas molestias et insultus. Quoniam vero in dicto libello supplici plures aliae quaerimoniae geminantur, tam contra fr. Leonardum Teueren[106]), quondam Abbatem Knechtstedensem, quam contra quosdam saeculares, quibus sedandis opus est clarius informari; Capitulum mandat Vicario provinciae Westphaliae ut prima

[104]) Acta Cap. Gen., 1660, n.128.

[105]) Maximilianus Henricus Bavariae.

[106]) Sententia condemnatoria abbatis Leonardi Teveren invenitur in Acta Cap. Gen., 1657, n.211.

occasione visitationem canonicam Monasterii Olinghausani diligenter instituat, inquirat de contentis in antefato libello, lites, si quae pendent, ab Ordinis tribunali indecisae terminet, sententias super controversis alias motis a Revmo Domino Praemonstratensi aut Capitulo Generali emanatas contra praedictum fr. Leonardum Teueren aut alios, executioni demandet, et efficacibus mediis afflctis Virginibus auxilium procuret.

Inchoato negotio Conventus Tongerloensis, finis impositus est sessioni praesenti.

Sessio nona. Die vigesima sexta Aprilis, pomeridiana.

[40] Praemissis, pro more, precibus, RR.DD. Abbates S. Mariae, Mussipontanae et Saynensis, referendarii appellationis Conventus Tongerloensis a decreto visitationis in suo Monasterio intitutae a R.D. Abbate Parcensi[107]), Vicario generali Circariae Brabantiae quo sanxerat, ut iuxta ordinationem Capitulorum Generalium annorum 1657 et 1660[108]), conformiter ad antiqua Ordinis decreta, propter vacationem Ecclesiae Tongerloensis[109]) pater Abbas et non (261r°) Capitulum seu Prior haberet omnimodam in spiritualibus et temporalibus administrationem, causae illius meritum et rationes, ab utraque parte allatae, clare expressae sunt; saepius igitur auditis tam in praesenti quam in praecedenti sessione appellantium deputatis possessionem contrariam allegantibus, et sustinentibus sese dicto decreto non comprehendi, Capitulum praesens, discusso diligenter decreto et rationibus opinionibusque capitulantium, ad maturum examen evocatis, Deum, iustitiam, utilitatem et pacem Ecclesiarum, prae oculis habens, intendit et mandat decretum Capitulorum Generalium, de quo est appellatio, omnino esse observandum, et illud hucusque solitum fieri in Ordine in modum qui sequitur, ut defuncti Abbatis sigillum ad Patrem Abbatem, aut, eo mortuo, vel nimium longe dissito ad Vicarium provinciae statim deferatur, rogeturque Pater Abbas ut sine mora ad Conventum filialem accedat, ubi convocato Capitulo debet autoritatem et potestatem priori, suppriori et provisori, aut duobus aliis ex conventu et pastoribus aut pluribus, si ita visum fuerit, dicto Patri Abbati, quos ex consilio Conventus iudicarit

[107]) Acta hanc appellationem concernentia adservantur in AAT, sect. IV, n. 56/1, fasc. 1-7.

[108]) Acta Cap. Gen., 1657, n.30; 1660, nn.181 et 201.

[109]) Vacabat abbatia Tongerloënsis per obitum Augustini Wichmans qui decessit die 11 februarii 1661 et per recusationem a conventu candidati a rege hispanico nominati.

magis idoneos regendi monasterium in spiritualibus et temporalibus, exceptis quibusdam gravioribus casibus, ut in dimissione novitiorum, professione, et emissione ad pastoratus et beneficia, in quorum eventibus recursus habeatur ad Patrem Abbatem, vel eius defectu, ut supra, ad Vicarium generalem, qui, omnibus bene perpensis et habita notitia qualificationis personarum, consensum suum pro Ecclesiae utilitate et pace, non denegabit; litterae etiam praesentationum ad beneficia fiant sub nomine Prioris et duorum assistentium, cum appositione sigilli Conventus; inque praedictum modum debuisse Conventum Tongerloensem processisse, et procedere debere, declarat Capitulum.

Institutionem etiam Priorissae in monasterio Horti Conclusi de Herentals[110]), factum a Priore Tongerloensi constitit Capitulo debuisse fieri a Patre Abbate. Verum quoad illam et omnes alios actus ad Patrem Abbatem spectantes aut de eius consensu exercendos, et tamen a conventu Tongerloensi solo exercitos, ante vel post legitimam decreti praedicti capitularis intimationem, ut scandala et alia multa incommoda evitentur, Capitulum praesens supplet omnes defectus qui in eorum exercitio intercurrisse potuerunt, et in quantum opus est eosdem actus ratificavit et approbavit, ratificat et approbat, prorogat autem Capitulum, ex gratia speciali, tempus appellationis, casu quo, a Conventu Tongerloensi contra praedictum decretum eam interiici contingat, ad decem dies computandos solum a die faciendae intimationis huius decreti in Capitulo Tongerloensi[111]).

Sessio decima. Die vigesima septima Aprilis matutina.

[41] Post solitas preces ad Deum fusas, libello supplici R.D. Abbatis S. Augustini, petentis sibi refundi expensas 1500 florenorum, quos impendit in lite habita et victa contra Episcopum Audomarensem[112]),

[110]) Hortus Conclusus (= Besloten Hof) in oppido Herendaliensi (= Herentals) prope Tongerlo, convictus sororum ordinis Praemonstratensis sub patronatu abbatis de Tongerlo. Priorissa, vacante sede Tongerloensi, a regentibus confirmata, fuit Anna Norberta Huygens. Cfr. F. Prims, *Herentals, Besloten Hof* (Campinia Sacra III), Antwerpen, 1933, p. 143.

[111]) Die 13 augusti 1663 in capitulo Tongerloënsi intimatum fuit decretum capituli generalis confirmans iura patris-abbatis in abbatiam suam filiam. Vicarius abbatis generalis Libertus de Pape hunc in finem capitulo conventuali Tongerloënsi praefuit, quod tamen appellationem interiecit contra edictum impositum. Philippus Van Hoeswinckel et Antonius Bigato delegati fuerunt ad exequendum decisionem capituli. AAT. sect. IV, n.50. Abbas noviter a rege hispanico intrusus, Albertus Ursino, coactus fuit ad submittendam vicario abbatis generalis appellationem ad proximum capitulum generale. AAT, sect. IV, 55/2, fasc. *Ursino*, n.15 et 56/1, n.6.

[112]) Ladislaus Jonnart dioecesim Audomaropolitanam (= Saint-Omer) anno 1663 rexit. Gams, 619.

praetendentem impedire, ne religiosi sui monasterii sacramenta Ecclesiae famulis in Abbatia conferrent, de consilio, ut dixit, Vicarii et aliquorum Abbatum Circariae Pontivi, respondit Capitulum debere doceri de consilio et assensu praedictorum Vicarii et Abbatum, et ita, remittit praedictum Abbatem ad proximum Capitulum Generale, in quo ipse docebit de praedicto consilio et assensu.

[42] Capitulum, audita relatione R.D. Abbatis Saynensis, deputati a Circariis Westphaliae et Iveldiae, ordinavit ut petantur litterae commendatitiae a Rege Christianissimo ad Serenissimum Electorem Brandeburgicum pro defensione et petitione monasterii Arnsburnensi[113]) in Clivia et aliorum monasteriorum in Clivia et Marchia.

[43] Item pro Clarholz[114]) ad comitem Teclenburgicum[115]), item ad comitem Illustrissimum Nassauvicum de Sarrebruck, quatenus patiatur Visitatores nostri Ordinis fungi suo munere et ea exsequi quae Ordinis sunt in monasterio Wadegotiensi[116]).

[44] Exposuit item R.D. Saynensis in capitulo provinciali Westphaliensi anni 1659 a Revmo Domino Generali decretum fuisse quod ecclesia Angelicae Portae[117]), filia Saynensis, quae propter bella et personarum defectum commissa fuerat curae Abbatis Rommerdorpiensis[118]) restitueretur ipsi abbati Saynensi, ubi habuerit personas idoneas et sine strepitu aliove incommodo fieri potuerit, facultatem haberet ibi priorem instituendi. Petiit idem R.D. Saynensis ut ex illo decreto expungerentur illa verba (262 r°) *ubi habuerit personas idoneas et sine strepitu fieri potuerit* super quo Capitulum commisit R.P. Vicario circariae Westphaliae ut audito abbate Rommerdorpiensi, decernat quod visum fuerit expedire.

[113]) Arnsberg vel Arnsburg, quondam canonia virorum in Westphalia, nunc in dioec. Paderbornensi, quae, dum existebat, fere unice vocabatur Wedinghausen. BACKMUND, I², 170.

[114]) Clarholz, praepositura nobilium canonicorum prope Wiedenbrück, Westphalia, nunc. dioec. Paderbornensis. BACKMUND, I², 189.

[115]) Comites de Tecklenburg ab antiquo praedictae praepositurae advocati egerunt. BACKMUND, I², 189.

[116]) Wadgassen, quondam abbatia celebris ac caput circariae in Lotharingia, non longe a Saarlouis sita, in dioecesi Trevirensi (= Trier), sub ditione comitum domus Nassauvicae-Saarbrücken. BACKMUND, I², 119. In capitulo generali anni 1660 (Acta Cap. gen., V, n° 119) circariae Westphalia adscripta fuit. Vide supra p. 151, notam 171).

[117]) Engelport, prope Treis ad Mosellam, dioec. Trevirensis, Rhenania, parthenon sororum nobilium. Quaestioni de paternitate huius canoniae elucidationem affert praesens decretum ex quo dubia expungi possent apud BACKMUND, I², 202.

[118]) Rommersdorf, virorum canonia prope Engers, Kreis Neuwied, dioec. Trevirensi. BACKMUND, I², 242-244.

[45] In casu mortis quondam abbatis Knechtstedensis[119]), decrevit Capitulum quod Vicarius praedictus circariae Westphaliae debeat ire ad monasterium Knechtstedense ad electionem novi abbatis indilate processurus.

[46] Item R.D. Vicarius Circariae Westphaliae visitabit monasterium Sancti Gerlaci in tractu Salchunburgico[120]) ad difficultates ab episcopis in Westphalia circa visitationem monasteriorum monialium nostri Ordinis, in vim Bullae Gregorii XIII quae incipit *Inscrutabili*[121]) lecta et diligenter considerata Bulla illa, declaravit Capitulum eam nullibi in Ordine receptam esse, utpote quae nostram praedictum Ordinem nec concernat, nec comprehendat. Quamvis Ordo noster ex Bullis diversorum Pontificum Romanorum gaudeat communicatione privilegiorum Ordinum mendicantium et non mendicantium et ex hac communicatione possint Rmi DD. Vicarii generales circariarum benedicere abbates ut fit in Ordine Cisterciensium, attamen pro maiori erga Summum Pontificem subiectione et oboedientia, commisit Capitulum R.D. Parcensi abbati ut supplicaret Summo Pontifici pro nova eiusdem gratiae concessione seu confirmatione.

[47] Iuxta decretum ultimi Capituli generalis[122]) omnia monasteria Westphaliae, Iveldiae et Wadegotiae mittent suos novitios ad novitiatum communem institutum in monasterio Dunnwaldensi[123]).

[48] Item, R.D. Vicarius Westphaliae coget omni via iuris in Ordine consueta monasteria Knechtstedense et S. Gerlaci, utrumque Ilbenstadiense, utramque Cellam Herbipolensem[124]) ad solvendas tallias Ordinis

[119]) Agitur de abbate deposito Leonardo Teueren.

[120]) Nomen sic corruptum legi debet *Limburgico*, monasterium Sancti Gerlaci situm est in Houthem, nunc in provincia regni Neerlandici quae *Limburg* dicitur, in dioecesi Ruremundano (=Roermond). Erat canonia sororum. BACKMUND, I², 216-219.

[121]) Agitur de bulla *Inscrutabili* qua summus pontifex Gregorius XV — ex lapsu calami scriptor Actorum Capituli generalis eam attribuit Gregorio XIII — die 22 Iunii 1622 Congregationem de Propaganda Fide erexerat, in cuius bullae exordio pontifex invehens contra haeresim sese in regionibus nordicis spargentem, pastores ut reapse pascant gregem suam strenue exhortatur. C. COCQUELINES, *Bullarum... amplissima collectio*, tom. V, pars 5a, Romae, 1756, p. 26-28.

[122]) Acta Cap. Gen., V, 1660, n.116.

[123]) Capitulum generale anni 1657 (Acta Cap. Gen., V, 1657, nn.97, 101), ratam habuit unionem bonorum monasterii monialium suppressi in Dünwald cum Collegio S. Norberti Coloniensi, annuente Summo Pontifice peractam.

[124]) Agitur de canoniis de Knechtsteden, BACKMUND, I², 221, de Houthem S. Gerlaci, BACKMUND, I², 216-219, Oberilbenstadt, BACKMUND, I², 98-99, Niederilbenstadt, BACKMUND, I², 114-115, Oberzell prope Herbipolim (=Würzburg), BACKMUND, I², 143-146 et Unterzell, BACKMUND, I², 158-159.

quas non solverunt, curabitque R.D. Abbas Steinfeldensis sumptus a se factos in ultimo Capitulo Generali, ad quod a dicta circaria fuerat deputatus.

[49] Rescribatur RR. Praelatis Bohemiae, Moraviae, Austriae, Bavariae et Tirolis ut in comitiis imperialibus quae celebrantur Ratisbonae curent instentque pro recuperatione monasteriorum Gerlasseim, Loris et Raiter[125]) sub ditione Serenissimi Electoris Moguntinensis[126]). RR.DD. abbates Steinfeldensis et Rommerdorpiensis refundent abbati Saynensi ab ipsis deputato ad visitandum monasterium Ilbenstadiense sumptus factos in executione talis deputationis aestimatos a Capitulo Generali ad summam 80 florenorum. Ipsi vero abbates Steinfeldensis et Rommerdorpiensis suam indemnitatem procurabunt super eodem monasterio Ilbenstadiensi bonisque ad illud spectantibus.

[50] Scribatur procuratori generali Romano ut prosequatur litem incoeptam contra Archiepiscopum Moguntinum qui praetendit ius visitandi monasteria nostri Ordinis sub ditione sua posita per suos commissarios. Mandatur circatori Westphaliae[127]) aut patribus abbatibus ut quoscumque usus in Statutis aut Ordinario non praescriptos paulatim tollant a Virginum suarum monasteriis decernitque Capitulum non esse admittendas ad vestitionem et professionem Virgines sine consensu Patris Abbatis. Sine etiam illius consensu, non possit prior, magistra aut priorissa assecurare dotem admittendarum Virginum.

[51] Capitulum visu tractatu inter R.D. Gerardum, modernum abbatem in Rommerstorp[128]) et R.D. Petrum Diederichs alias eiusdem monasterii abbatem[129]) die 16 septembris 1657 de consensu R.D. Vicarii Westphaliae inhaerendo Statutis Ordinis, ut scilicet de competenti et honesta sustentatione dicto D. Petro Diederichs qui alias dictum monasterium resignavit et cessit, praedictum tractatum ratum et gratum habuit et habet et executioni mandari vult.

[125]) Sermo est de virginum coenobiis in Gerlachsheim, BACKMUND, I², 132-133 et in Retters, BACKMUND, I², 115-117 et de virorum canonia in Lorsch, quorum bona archiepiscopi Maguntini (= Mainz) sibi arripuerant. Vide etiam Acta Cap. Gen., V, 1657, n°102.

[126]) Philippus von Schoenbron.

[127]) In fine praesentis Capituli generalis abbas Saynensis, Adolphus von Gülich in circatorem circariae Westphaliae constitutus fuit. Vide infra n°146.

[128]) Gerardus von Heuzen annis 1657-1671 canoniae de Rommerdorf, Kreis Neuwied, dioec. Trevirensis (= Trier), praefuit. BACKMUND, I², 242.

[129]) Petrus Diederichs abbatiale regimen canoniae Rommerdorfiensis annis 1655-1657 exercuit. BACKMUND, I², 242.

Sessio undecima. Die vigesima septima aprilis pomeridiana.

[52] Factis precibus consuetis, proposita sunt quaedam dubia circa ecclesiam Trunchiniensem[130]) et 1° quidem festum dedicationis incommode venire singulis annis infra octavam sancti Patris Norberti, cum utrumque festum sit primae classis ita ut utriusque octava non possit fieri cum solemnitatibus requisitis; ad quod Capitulum respondens, transtulit festum dedicationis in dominicam proximam post octavam sancti Norberti, 2° petitum est utrum in monasteriis ubi sunt tantum viginti religiosi recipi possit iuvenis qui iam inibi duos habet avunculos? Respondit Capitulum inhaerendo Statutis dist. 3 cap. 2[131]) non esse recipiendum eum iuvenem cum alioquin illius receptione pax monasterii posset turbari. 3° petitum est utrum praepositus monialium deberet cedere priori monasterii paterni quando ad illud monasterium monialium accedit? Capitulum dixit innitendum consuetudini ex qua praepositus ille semper cessit priori et maxime cum in monasterio paterno nullum habeat stallum nisi suae professionis.

[53] Petantur litterae commendatitiae a Rege Christianissimo ad Reverendissimum Episcopum Monasteriensem pro monasterio Cappenbergensi[132]) quod in plurimis gravatur a Reverendissimo Episcopo quoad iurisdictionem aliaque bona.

[54] Item, facta relatione a R.D. abbate Stivagiensi status circariarum Bavariae et Sueviae, Capitulum mandat R.D. Urspergensi ut abstineat a promovendo negotio quod tentant f.f. Guillelmus Kaiser et Eusebius Esselin religiosi professi Augiae minoris in Suevia[133]) ad hoc ut incorporentur monasterio Osterhoviensi[134]) idque per litteras ei significetur.

[130]) Drongen, canonia prope Gandavum (= Gent), nunc dioecesis eiusdem nominis in provincia Flandriae orientalis, BACKMUND, II, 409.

[131]) In loco citato Statutorum stringens non invenitur fundamentum pro decreto a Capitulo lato. Innuitur quod perturbatio pacis pro *media culpa* habenda est, quae perturbatio ex praesentia plurimorum religiosorum consanguineorum oriri posset.

[132]) Cappenberg, canonia nobilis in Westphalia, dioecesis Monasteriensis (= Münster), BACKMUND, I², 186-187.

[133]) De controversia inter abbatem Bartholomaeum Eberlin canoniae Minoraugiensis (Weissenau), dioec. Rottenburgensis, et suos religiosos Wilhelmum Kaiser, Eusebium Eiselin et Antonium Briele, quae controversia sub iudice, nempe cardinali protectori Ordinis Praemonstratensis Ulderico Carpegna, erat, sermo erat in capitulo generali anni 1660 (Acta Cap. Gen., V, 1960, nn.38, 39). In prima instantia dissidentes nomine abbatis generalis censura excommunitationis tacti videntur ab abbate Adelbergensi Georgio Schönhainz.

[134]) Canonia in Bavaria Inferiore, dioecesis Passaviensis (= Passau). BACKMUND, I², 13-17.

[55] Ad dubium quod proponebatur a Capitulo provinciali praedictae circariae[135]) utrum illius qui post professionem repertus est obstrictus aere alieno ad summam 60 florenorum esset valida? Capitulum explicando articulum Statutorum circa hanc materiam[136]), declaravit parvitatem materiae in hoc casu obstare ne professio illa sit cassa et irrita adeoque declarat casu esse validam.

[56] Ad id quod proponebatur ab eodem capitulo scilicet Episcopos non velle recipere religiosos nostri Ordinis, sicut nec alios, ad ordines sine litteris dimissorialibus et officiales Ratisbonenses non velle dare institutionem parochis nisi ad triennium ut scilicet elapso quoque triennio de novo instituantur datis pro quolibet decem florenis, respondit Capitulum monasteria nostri Ordinis se aliis beneficiatis in causa communi debere adiungere ut scilicet adeant Summum Pontificem qui Sua auctoritate provideat.

[57] Ad supplicationem eiusdem circariae qua ab amplissimo Capitulo petit subsidium aliquod in sua gravi paupertate, compassi sunt Capituli generalis circariae afflictae cui tamen ob urgentiora negotia quibus necessario provideri debuit nullo alio modo succurrere potuerunt, nisi quod RR.DD. abbates circariae Brabantiae sese exhibuerunt paratos ut si RR.DD. abbates circariae praedictae vellent iis consignare aliquod monasterium cum iuribus et redditibus omnibus ad illud pertinentibus ipsi abbates Brabantini suis religiosis replerent, quos etiam sumptibus sustentarent, ita ut etiam si in illo monasterio reperiretur aliquis abbas vel praepositus, ipsi de honesta sustentatione ex Statutorum praescripto provideretur.

[58] R.P. Philippus praepositus Neocellensis[137]) depositus per sententiam RR.DD. abbatum Urspergensis et Winbergensis [*sic*] iniustam ut praetendit, petiit restitui in integrum et ad hunc effectum committi sibi novos iudices qui causam revideant et iudicent. Capitulum nominavit R.D. abbatem Schefflariensem[138]) qui causam revideat et iudicet usque ad sententiam definitivam inclusive et quia occasione praedicti praepositi Neocellensis suffectus est administrator ad triennium ita ut triennio elapso de consensu solius conventus esset praepositus perpetuus, orta est duplex difficultas: 1° quia haec institutio administratoris cum successione

[135]) In recessu capituli provincialis habiti in abbatia Roggenburgensi die 7a maii anni 1662, nullum de hac quaestione invenitur vestigium. Vide Cap. Prov. Sueviae II, 17-20.

[136]) Vide *Statuta O. Praem.*, Dist. I, cap. 17, n.12 collatum cum Dist. I, cap. 16, n.7.

[137]) Neustift, prope Freising, dioec. München-Freising. BACKMUND, I², 12.

[138]) Anianus Mayer abbas fuit canoniae Schäftlarnensis prope Monachium (= München), dioec. Freisingensis, annis 1653-1680. BACKMUND, I², 23.

ad futuram praeposituram videatur sapere coadiutoriam quae a solo Capitulo generali fieri debet, 2° ex parte illius praepositi depositi, fuit quod cum ea administratio cessare debeat expleto triennio in festo purificationis B. Mariae Virginis, intra quod tempus forsan iudices non tulerint sententiam super illius restitutione, dignetur decernere Capitulum administratorem praedictum continuare debere suam administrationem usquedum lata fuerit sententia. Capitulum improbavit eam administrationis institutionem cum futura successione ad praeposituram voluitque ut administrator continuaret suam administrationem usque ad latam sententiam definitivam, et in casu depositionis ipsius Philippi praepositi Neocellensis vult idem Capitulum novam fieri praepositi electionem nullo habito respectu ad praecedentem institutionem administratoris[139]).

[59] Exposuit R.D. Georgius abbas Adelbergensis[140]) deperdita possessione capitali monasterii Adelbergensis maximi momenti esse pro Ordine si ipsi eiusdem monasterii conservetur possessio civilis in qua hactenus fuit Ordo per plures actus, petiitque a Capitulo generali fieri aliquam provisionem. Capitulum providere volens decernit in casu mortis R.D. Georgii praedicti Adelbergensis, vicarius, patresque abbates circariae Sueviae convocent capitulum provinciale in quo fiet electio alicuius praelati eiusdem circariae (263 r°) ad abbatiam Adelbergensem qui invigilabit eidem abbatiae recuperandae, nonobstantibus praetentionibus R.D. Abbatis Roggenburgensis[141]) patris Adelbergae, siquidem ex decretis praecedentium Capitulorum generalium[142]), tota circaria Sueviae debet gerere vices patris abbatis, cum ab anno 1627 usque ad annum 1630 multas expensas in aula Caesarea pro recuperanda eadem Adelberga fecerit, D. Rogemburgensi (sic) recuperationem procurare penitus renuente, et quia iam ab anno 1653 R.D. Georgius abbas Adelbergensis providens post mortem suam acatholicos eandem Adelbergam occupaturos deposuit in manibus abbatis Rogemburgensis mobilia magni valoris ad summam viginti millium florenorum de quibus

[139]) Successio administratorum quibus, deposito praeposito Philippo, regimen canoniae concreditum fuit ad triennium, non elucet ex elencho in BACKMUND, I², 12 inserto. Si abbas Schäftlarnensis cui revisio sententiae depositionis commissa fuerat, talem sententiam confirmaverit, ita ut ad novam electionem procederent canonici Neocellenses, termini praeposituae Mariani Galgamaier forsan inter annos 1664 et 1675 comprehendi debent loco 1661 et 1675.

[140]) Georgius Schönhainz, abbas canoniae Adelbergensis suppressae.

[141]) Roggenburg, canonia prope Weissenhorn in Suevia Bavarica, dioec. Augustana (Augsburg). BACKMUND, I², 64-69. Abbas erat Franciscus Doser (1661-1677).

[142]) Vide Acta Cap. Gen., V, 1657, n.142; 1660, n.129.

dubitari potest quod moriente praedicto D. Georgio abbate depereant omnino monasterio Adelbergensi, decrevit Capitulum patrem abbatem Rogemburgensem repositurum dictum depositum, omnia mobilia sicut et scripturas instrumentaque omnia ad monasterium Adelbergense spectantia in manibus patrum abbatum circariae Sueviae qui ea omnia uni ex suis committent qui nomine totius circariae ea teneat, conservet, rationemque reddere teneatur.

[60] Cum relatum esset a R.D. abbate Domnimartinensi deberi a pluribus annis 470 florenos a monasterio Bellelagiae[143]) propter expensas in illius visitatione contra episcopum Basiliensem factas et necdum refusas, donec de efficaciore refusionis remedio provideatur, Capitulum permittit ut usque ad Capitulum generale proximum tallias a circariis Bavariae et Sueviae singulis annis debitas recipiat et ad eas ipsi solvendas istae duae circariae sint obligatae, interim infra trimestre a praesentium notificatione computum expensarum in eum finem a se factarum ad manus Revmi D. Generalis transmittat, mandatque vicariis utriusque provinciae ut hoc decretum curent executioni mandare.

[61] Cum deventum fuisset ad circariam Lotharingiae R.D. abbas Mussipontanus dixit nomine et auctoritate Capituli generalis lustrasse totam communitatem antiqui rigoris in qua per Dei gratiam nil reperit animadversione dignum quod indigeret referri ad hoc Capitulum praeter ea quae sequuntur. Imprimis in Bella Valle[144]) vidit fratrem Marianum Bail professum in eadem communitate iam pluribus annis in carceribus detentum ob multa delicta fugae et apostasiae in quibus indurato persistit animo, ita ut in eo nulla videtur spes emendationis et melioris frugi super quo auditus est Venerabilis pater Basilius Liegault, prior Sancti Martini Laudunensis, cui hoc negotium commissum fuerat quique ex cartis quas habebat prae manibus probavit quod dictus fr. Marianus Bail vere esset incorrigibilis, ex quo petiit idem R.D. Mussipontanus a Capitulo generali quatenus vellet decernere dictum fr. Marianum eiiciendum a religione ut incorrigibilem. Reverendissimus tamen, ne quid fieret inconsulte et inauditis partibus insistendi statutis et bullis pontificum, nominavit RR.DD. abbates Buciliensem et Rengisvallensem[145]) qui

[143]) De refusione expensarum in restauranda Ordinis iurisdictione in canonia Bellelagiae (= Bellelay), in cantone Jura, dioec. Basilaeensis (= Basel), Helvetia, iam antea actum fuerat in capitulo generali anni 1657 (Acta Cap. Gen., V, 1657, n.142) et anni 1660 (Acta Cap. Gen., V, n.129).

[144]) Belval canonia sita prope Buzancy, dép. des Ardennes, dioec. Remensis (= Reims) ab anno 1622 Communitati antiqui rigoris associata. BACKMUND, III, 57-58.

[145]) Edmond Sauvage, abbas canoniae Bucilliensis (= Bucilly), Communitati antiqui

informent et audiant ipsum fr. Marianum, cognoscant de statu ipsius incorrigibilitatis aliisque quatuor nominatis referant, ex quorum consilio ipse Revmus Dominus iudicare et procedere possit ad eius expulsionem. Nominati etiam sunt RR.DD. abbates Cuissiacensis, Mussipontanus, Justimontanus et Bonifagetanus[146]), ad quos praedicti Buciliensis et Rengivallensis referant.

[62] Dixit etiam se reperisse plures parochos discolos qui contra suum expressum iuramentum, vel insciis vel invitis superioribus, ad beneficia curata involassent, quique in iis existentes dissolute vivunt, statutorum Ordinis et articulorum Communitatis minime observatores, qui carnem passim et ubique contra suam professionem manducant, nonobstantibus superiorum quibuscumque monitis et animadversionibus. Super quo Capitulum decrevit quod parochi Communitatis qui contra suam professionem carnem manducaverint, si ter moniti non resipiscant, destituti sint et privati ipso facto suis beneficiis, ut eos, de facto destituit et privat, in dicto casu, eosque ad claustrum revocat ad cuius decreti (263 v°) executionem nominat Vicarium dictae Communitatis qui auctoritate Capituli generalis eos privat, destituat et revocet, nonobstante oppositione quacumque et appellatione et sine praeiudicio. Et quia in cursu duarum visitationum citari fecerat fr. Remigium Bayen parochum de la Romagne, ob eius rebellionem et non comparutionem in visitationibus ut compareret et personaliter assisteret in hoc Capitulo generali petiit a Capitulo quatenus dictum fr. Remigium Bayen declararet contumacem et contra eum procederet per poenas in Statutis praefixas eumque destitueret. Super quo auditus est R.D. Vallis Serenae qui dixit se habere supplicam dicti fratris Remigii qua dixit se non potuisse comparere in Capitulo ob assistentiam quam debet suis parochianis et ob alia quaedam petiitque a Capitulo ut superiores Communitatis teneantur illi praestare cautionem de non offendendo quoties eum advocabunt ad monasterium in visitationibus vel alias. Quibus auditis iudicavit Capitulum rationis dicti fratris Remigii futiles esse et inanes, eumque declaravit et declarat contumacem ob non comparitionem, mandatque Vicario

rigoris adscriptae (Vide supra p. 11, notam 11) et Bonaventura Mession, abbas Rengisvallis (Rengéval), dép. de la Meuse, dioec. Virdunensis (= Verdun), eidem Communitati aggregatus.

[146]) Isidorus Amour (vide supra p. 10, notam 2). Nicolaus Guinet (vide supra p. 10, notam 5), Servatius Regnault, (Acta Cap. Gen., V, 1663, nota 21), Joannes Damascenus Périn, abbas Bonifageti (Bonfays), dép. des Vosges, dioec. Deodatensis (St. Dié), Backmund, III, 61-63. Omnes praedictae Communitatis sodales.

eiusdem Communitatis quatenus eum, etiam si opus est, implorato brachio saeculari arrestari faciat et contra eum omni via iuris procedat.

Sessio duodecima. Die vigesima octava Aprilis matutina.

[63] Post fusas ad Deum consuetas preces deputati Tongerloenses proposuerunt Capitulo se habere duos novitios qui profiteri debent circa festum Pentecostes petieruntque quia brevitas temporis ut auctoritate Capituli generalis eos recipere possit prior Tongerloensis ad professionem. Capitulum consideratis rationibus a dictis deputatis adductis decrevit insistendum decreto superius in sessione nona[147]) facto et eos debere petere consensum R.D. abbatis Sancti Michaëlis Antverpiensis patris abbatis in hoc Capitulo praesentis.

[64] Item, petita fuit explicatio statuti dist. 3, cap. 14, *De iis qui per carcerem sunt puniendi*, n°3 in quo habetur quod incarcerati ante triennium ab ergastulo suo relaxari non valeant nisi per Dominum Praemonstratensem vel Capitulum generale exclusis etiam propriis abbatibus[148]) ne eos relaxare possint et an pro ratione delinquentium et culparum non liceat abbatibus et superioribus in abbatiis commendatis eos condemnare ad carcerem unius diei, septimanae, mensis, trimestris, semestris aut circiter attento quod plerique hac poena efficacius corrigantur quam jejunii aliisque poenis? Capitulum respondit statutum illud de incarceratis ad triennium intelligi et observari debere contra eos qui culpas committunt illo capite 14 et alibi in dictis Statutis contentas, extenditque dictam carceris poenam ad apostatas et fugitivos et posse Vicarium Revmi Domini Praemonstratensis aut Visitatorem Capituli vigore suae commissionis incarceratis relaxare, addit tamen posse abbates et priores in abbatiis commendatis infligere poenam carceris aut potius sequestrationis ad aliquot dies, septimanas, menses, iis delinquentibus qui secundum iudicium superiorum domus a suis culpis et excessibus quotidianis aliter corrigi et ad meliorem frugem revocari nequeunt in quo discrete et paterne se habebunt superiores.

[65] Annuente Capitulo R.D. Domnimartinensis protulit colloquium Bonae Spei[149]) Hannonia die undecima Iulii et sequentibus diebus anni

[147]) Acta Cap. Gen., V, 1663, n.40.

[148]) In manuscripto remittitur ad numerum 3um, dum de facto norma dubia recensetur sub numero 7mo ubi edicitur ad ergastulum condemnatos non posse relaxari nisi post causae cognitionem et ad propriorum abbatum intercessionem.

[149]) Acta Cap. Gen., V, 1660, nn.194, 204-224.

1661 inter Revmum Dominum Generalem et plures alios praelatos ex una parte et RR. Patres Vicarium, abbates et priores Communitatis antiqui rigoris ex altera pro concipienda unione et uniformitate totius Ordinis et sopiendis litibus quae a tot annis inter Revmum Dominum Generalem ac Capitulum generale et dictam Communitatem magnis expensis deductae sunt et adhuc tunc deducebantur, et facta lectione intelligibili omnium articulorum quos patres omnes capitulares attentis auribus audierunt, Capitulum censuit articulos resolutos vigore quorum sopiuntur aut componuntur difficultates ac lites actualiter tunc controversae omnino esse approbandos et ratificandos, approbavit et ratificavit, approbat et ratificat, cui approbationi (264 r°) et ratificationi consenserunt RR.PP. abbates Sanctae Mariae Maioris Mussipontanae, Stivagiensis et Justimontanus dictae Communitatis ad hoc Capitulum deputati dictosque articulus dixerunt se approbare et ratificare non tantum voce immo et audiente toto Capitulo, sed et in fidem ratificationis illorum se subsignaturos ad huius protocolli calcem et promiserunt obligaruntque se eorum ratificationem et approbationem effectivam procuraturos a Capitulo Communitatis antiqui rigoris proxime celebrando. Ad articulos etiam irresolutos pro perfecta totius Ordinis uniformitate concilianda, Capitulum remittit eorum definitionem et deliberationem ad tempus opportunius et futura Capitula. Interim Capitulum praesens R.D. abbati Bonae Spei gratitudinem suam contestatur ob hospitalitatem Revmo Domino Generali et duodecim abbatibus patribusque ad dictum colloquium deputatis liberaliter exhibitam.

[66] Tunc advocata est circaria Bohemiae et referente R.D. abbate S. Michaelis Antverpiensis dictum est R.D. abbatem Strahoviensem praetendere omnimodam iurisdictionem in praepositurum Doxanensem, ita ut hic praepositus sit plane manualis et ad dicti abbatis Strahoviensis nutum plane instituendus et etiam amovibilis, insuper gravamina multa proponit ab eodem R.D. abbate Strahoviensi contra praedictum praepositum Doxanensem sed quia producta non fuerant monumenta in quibus R.D. Strahoviensis ius suum fundavit et nullus etiam fuit qui ad gravamina contra praepositum allata pro parte ipsius responderet, Capitulum remisit totum negotium discutiendum ad RR.DD. abbates Vincentinum[150]) et Lucensem[151]) qui, auditis partibus, referent ad Revmum Dominum Generalem.

[150]) Matthias Paul, abbas Sancti Vincentii Wratislaviensis (Acta Cap. Gen., V, 1657, p. 10, nota 4).

[151]) Norbertus Pleyer, abbas Lucensis (= Louka), Moravia, dioec. Brunensis (= Brno), BACKMUND, I², 364.

[67] Ab eodem R.D. abbate S. Michaelis ex parte eiusdem circariae proposita fuerunt plura dubia spectantia ad electionem praelatorum. 1° Utrum scrutinium ante electionem si statum Ecclesiae et qualitates personarum ignoraverint instituendum debeat tamquam suspectum, inutile et contra Ordinis praxim et in Ecclesiarum iniuriam vergens omitti aut ut tale damnari? Respondit Capitulum patres abbates debere sumere cognitionem rerum agendarum, status monasterii et qualitatis personarum, quibus positis, scrutinium patrum abbatum non potest esse nisi utile et proficuum. 2° Utrum instrumentum actorum electi in installatione exhibendum pariter debeat intermitti aut tamquam superfluum in Ordine eliminari? Responsum est non esse superfluum. 3° In quo idonei comparatio fundanda est? utrum in canonicis eiusdem Ecclesiae vel respectus ad alios quoscumque extraneos habendus sit, an vero secundum dist. 2, cap. 3, n.2[152]) futurus in doctrina, vita et experientia eligendi ponenda? Responsum est quod si idoneus sit in monasterio ad praelaturam is non potest excludi ex eo quod alibi reperiatur aliquis magis idoneus. 4° An pater abbas extraiudicialiter procedendo, non ostendendo causam reiectionis, possit electum reprobare, de quo fuse Barbosa, in volumine *Consuetudo et decisis* vol. 4 ubi tanquam non claram et iudicatam deducit et tenet quod omnino possit? Responsum est patrem abbatem teneri dicere causas quae ipsum movent ad reprobandum electum ne alioquin electiones a solo patrum abbatum nutu pendere videantur. 5° Utrum pater abbas reprobans ipsis eligentibus causam reprobationis teneatur ostendere? Responsum est omnino eum teneri causam reprobationis eligentibus aperire. 6° Qua ratione vota, post reseratum scrutinium, possint vel debeant conciliari? Dictum fuit quod in electionibus vota numerantur non ponderantur et sic quod vota conciliari debent per eorundem numerationem 7° Casu quo in discordia fratrum de electione, si ultra vel contra consilium coabbatum, idoneam personam pater abbas discordantibus provideret, hoc ipso, provisio tanquam contra Ordinis formam facta debeat esse nulla, et provius per hoc nil iuris acquireret? Responsum est Statuta Ordinis dist. 4, cap. 12, n.21 providisse quod in discordia fratrum si nequeant ad concordiam revocari, pater abbas idoneam personam eis providere debeat quam sine contradictione in abbatem omnes recipere teneantur. 8° Utrum in solius

[152]) Ibi enuntiatur norma sequens: «Nitantur proinde praelati inprimis, ut mites sint et humiles corde (quae praecipua Superiorum insignia sunt) quibus proprium placitum, sensumque exuentes se et maiorum decretis placitisque subdant et suum suave reddant imperium, quod austeritas durum facit et importabile».

patris abbatis arbitrio sit iudicare de idoneitate electi? Responsum est ex eodem loco (264 v°) Statutorum patrem abbatem de suorum coabbatum consilio, de idoneitate personae debere iudicare.

[68] Dictum est R.D. abbatem Strahoviensem conqueri de diversis excessibus religiosorum Siloensium[153]) et cum nullum haberent in Capitulo qui pro ipsis responderet, remissum est negotium ad R.D. Vicarium Bohemiae.

[69] Ad petitionem R.D. abbatis Lucensis ut confirmaretur decretum in praecedenti Capitulo editum circa ius paternitatis in monasterium Wratislaviense cui iura cesserat Revmus Dominus Generalis in favorem eiusdem R.D. Lucensis nonobstantibus praetentionibus R.D. abbatis Steinfeldensis Capitulum confirmavit decretum in praecedenti Capitulo factum[154]) voluitque obligare Dominum Steinfeldensem ad consentiendum quod R.D. Lucensis iure plane gaudeat vel sane doceat de iustitia suarum oppositionum coram R.D. abbate Seinensi.

[70] Petitum est ut noviciatus communis pro circaria Bohemiae institueretur in monasterio Siloensi, Capitulum respondit inibi posse institui noviciatum communem de consensu circariae et conventus praedicti Siloensis.

[71] Repraesentatum est Capitulo quod R.D. Strahoviensis remaneat semper in proposito incorporandi et annexandi monasterium Milovicense suo monasterio Strahoviensi super quo Capitulum mandavit decerni novam commissionem RR.DD. abbatibus Zabrdovicensi et Geracensi iuxta decretum Capituli generalis praecedentis sess. 18 ut informent et referant[155]).

[72] Et quia relatum est aliquos esse in ea opinione quod poenae Statutis praefixae contra eos qui impediunt visitatores in cursu suarum visitationum non afficiunt nisi simplices religiosos non vero abbates, respondit Capitulum Statuta non distinguere inter simplices religiosos ac abbates omnesque subditos esse iisdem poenis si iniuste impediant visitatores.

[73] Petitum est quis moriente R.D. abbate Plagensi[156]) debeat prae-

[153]) Abbas Strahoviensis annis 1658-1669 erat Vincentius Franck. BACKMUND, I², 382. — Religisi de quibus sermo est, sunt sodales canoniae Siloënsis (=Zeliv) in Bohemia, dioec. Reginae-Gradicensis (=Kralovske Hradec). BACKMUND, I², 390-393.

[154]) Acta Cap. Gen., V, 1660, n.170.

[155]) Acta Cap. Gen., V, 1660, n.169. Cfr. etiam Acta Cap. Gen., V, 1657, n.59.

[156]) Agitur de Martino Greysing annis 1627-1657 praepositus, 1657-1665 abbas in canonia Plagensi (=Schlägl). BACKMUND, I², 378. — Abbates Strahovienses assumebant se per acquisitionem canoniae Milovicensis et ius paternitatis in canoniam Plagensem obti-

sidere electioni novi abbatis? Et responsum est quod vicarius generalis illius circariae deberet praesidere nonobstantibus praetentionibus R.D. abbatis Strahoviensis circa ius paternitatis in illud monasterium.

[74] Dubium etiam propositum est ex suasione quod festum Annuntiationis B.M. Virginis evectum sit ad festum 1ae classis quodnam officium fieret pro octava et quaenam lectiones in matutinis dicerentur? Responsum est festum Annuntiationis non posse habere octavam propter occurrentia festa solemnia, vel propter quadragesima in qua solet celebrari.

[75] Petitum fuit pro parte monasterii Zabrdovicensis cuius festum primarium est S. Cunegundis ut posset etiam inibi celebrari festum S. Henrici, cui ecclesia videtur dedicata, per modum festi triplicis, quod concessum est iuxta terminos petitionis.

[76] Ad dubium propositum ex Capitulo provinciali eiusdem circariae sess. 7a ad quem debeat haberi recursus de casu electionis novi abbatis quando nullus est pater abbas? responsum est iuxta decreta praecedentium Capitulorum generalium[157]) debere haberi recursum ad vicarium generalem circariae.

[77] Ad aliud dubium casu quo monasterium quod haberet ius paternitatis alteri monasterio uniretur, an cum illo transiret ius paternitatis ad 2um monasterium? responsum est transire ius accessorium cum suo principali.

[78] Expositum est ex parte eiusdem Capituli provincialis R.D. praepositum Neo-Reichensem[158]) habuisse privilegium a Summo Pontifice utendi mitra et aliis pontificalibus dummodo confirmationem et approbationem obtineret ab Ordinario et a Revmo Domino Generali petitumque fuit ut Revmus Dominus Generalis dignaretur confirmare. Responsum est dictum D. praepositum debere transmittere ad Revmum Dominum Generalem indultum pontificium et docere de gratia impetrata.

[79] Ad quaerelam R.D. Siloensis contra R.D. Strahoviensem remissum fuit negotium ad R.D. vicarium Bohemiae.

[80] Tandem propositum et petitum est pro parte religiosorum Siloensium ut decerneretur ius paternitatis in suum monasterium redire ad

nuisse. Plagense monasterium, e contra, huic praetensioni obstare decrevit donec ex validis instrumentis huiusmodi ius paternitatis irrefragabiliter probaretur. Interim iura paternitatis exercebantur a vicario circariae Bohemicae. Vide Maximilian SCHIMBOCK, *Abt Siard Worath*, (Schägler Schriften, Band 4), Linz, 1977, p. 57.

[157]) Acta Cap. Gen., V, 1657, n.64.

[158]) Canonia virorum de Nova Říše, Moravia, dioec. Brunensis (= Brno). Praepositus erat Matthaeus Sebastansky (1661-1687). BACKMUND, I², 369.

R.D. Steinfeldensem, nonobstantibus oppositionibus R.D. Strahoviensis. Responsum est debere prius constare de refusione sumptuum quod impendit dictus D. Strahoviensis pro recuperatione praefati monasterii Siloensis et constato de hoc, ius paternitatis redire debere ad dictum R.D. Steinfeldensem.

Sessio decima tertia. Die vigesima octava Aprilis pomeridiana.

[81] Fusis ad Deum precibus, actum est de monasteriis Vasconiae, deputati illius circariae (265 r°) petierunt informari de Capitulorum praecedentium decretis; Capitulum praesens decernit illis dari copiam eorum decretorum de quibus dubitant an sint contra Statuta Ordinis.

[82] Petierunt etiam quis ordo servandus esset praecedentiae inter priores? Capitulum respondit cum non possit haberi notitia fundationis cuiusque monasterii, servari debere inter eos ordinem institutionis cuiusquam ad officium prioris.

[83] Supplici libello porrecto a R.P. Pontoux cum adiunctis monumentis et titulis, quorum relationem fuit R.D. abbatis Domnimartinensis praetendenti titulum praepositi praelati grangiae de Vico de Fizensac in circaria Vasconiae et auditis duobus deputatis a dicta circaria pro abbate et priore Casae Dei matricis Ecclesiae dictae grangiae de Vico, visis omnibus, et disceptato ab omnibus capitulantibus iure, opinionum varietate res ad Definitorium devoluta est, in quo iterum discussa difficultate Capitulum praesens habito respectu ad decretum Capituli generalis anni 1630[159]) super ea controversia editum, cuius tenor hic sequitur: *in causa mota super erectione grangiae praedictae Vici de Fezensaco in praeposituram, Capitulum antequam definitivam proferat sententiam ordinavit ut grangiarius de litteris Capituli generalis sub dicta die 6 mensis maii 1625*[160]) *doceat effectuatis. Interim solito grangiarii titulo contentus, omnimodam nihilominus habeat autoritatem religiosos et canonicos ibidem existentes regendi et corrigendi tam in spiritualibus quam in temporalibus, mandavit Capitulum ut ei tamquam suo Superiori reverentiam et oboedientiam exhibeant,* resolvit sententiam definitivam esse differendam, donec dictus fr. Joannes Pontoux grangiarius obtinuerit consensum abbatis et conventus Casae Dei et litteras regias in forma autentica sufficienter registratas, quibus Rex declaret se ius nominationis ad eam praeposituram nullum habere aut praetendere et conditiones per

[159]) Acta Cap. Gen., IV, 1630, p. 181.
[160]) Acta Cap. Gen., IV, 1625, p. 111-112.

illud decretum requisitas impleverit, quibus visis Capitulum statuet quod iuris erit et rationis, manutenente interim memorato decreto in suo vigore quoad potestatem dicti grangiarii regendi suos religiosos in sua grangia de Vico iuxta Ordinis Statuta tam in spiritualibus quam in temporalibus, quam potestatem in quantum opus est Capitulum renovat et confirmat.

Sessio decimaquarta. Die vigesima nona Aprilis matutina.

[84] Absolutis precibus, advocata circaria Hyspaniae, cum nullus compareret lecta est relatio R.D. Caroli abbatis Grimbergensis visitatoris nominati ab ultimo Capitulo huius circariae[161]), per quam reddit rationem Capitulo quantum operatus sit ut exequeretur suam commissionem, cum tamen nihil praestare potuerit ob resistentiam Hispanorum qui se a iurisdictione Revmi Domini Praemonstratensis et Capituli Generalis exemptos praetendunt, quod etiam innotuit ex epistola R.D. abbatis Widacensis[162]) scripta ad R.D. abbatem Sancti Joannis de Castella[163]) in qua dicit omnes conventus nostri Ordinis in circaria Hispaniae subiici totaliter et in omnibus generali eiusdem Ordinis hispano neque ullo modo Generalissimo Gallo, cuius iurisdictionem ad hoc Capitulum generale fatetur se accepisse quam tamen se transmissum generali suo hispano pollicetur. Quibus omnibus lectis et diligenter attentis, insistendo prioribus decretis Capitulorum generalium praecedentium[164]) declaravit eos Capitulum praesens contumaces omnique via iuris contra eos agendum, donec ad obedientiam ordini debitam redeant

[161]) De Carolo Fernandez de Velasco, abbate Grimbergensi, vide Acta Cap. Gen., V, 1660, p. 107, notam 20. Causam suae absentiae a praesenti capitulo legas supra nota 4. Animadvertendum in Capitulo generali anni 1660 circatores Capituli seu Visitatores pro circaria Hispanica constitutos fuisse Joannem II de Lompagieu, abbatem S. Ioannis de Castella (BACKMUND, III, 196) et Patrem Joannem Rudelle, priorem Capellae prope Tolosam.

[162]) Verosimiliter agitur de abbate triennali Diego del Solar y Toraya (1660-1663) regimen canoniae de La Vid, provinciae et dioecesis de Burgos in Hispania, tenente. BACKMUND, III, 310.

[163]) José GOÑI GAZTAMBIDE, *La reforma de los Premonstratenses españoles del siglo XVI*, in *Hispania Sacra*, 13, 1960, 1-92. J.B. VALVEKENS, *De visitatione canonica abbatis Parcensis Drusii in Hispania* in *An. Praem.*, LVII, 1981, 72.

[164]) Acta Cap. Gen., IV, 1622, p. 90. Ibi abbates circariae Hispaniae ut in Capitulo generali Praemonstrati compareant citantur sub poenis contumaciae et aliis inoboedientibus debitis et a iure latis. Vide etiam Acta Cap. Gen., IV, 1625, p. 114; 133-134; 155; 200. Contra circariam Hispanicam apud tribunal Romanum Capitulum generale causam instruxit *Toletana. Iuris visitationis* ut abbates Hispaniae ad submissionem cogerentur. L.C. VAN DIJCK, *L'affaire Raguet...* in *An. Praem.*, LI, 1975, 38-39; 63.

et praesertim adeundum Regem Christianissimum eique supplicandum quatenus efficaciter operari velit apud Suam Sanctitatem pro tuitione iurium Revmi Abbatis Praemonstratensis generalis Ordinis et Capituli itidem generalis.

[85] Tractatum est de sustentatione procuratoris Romani et unanimi omnium consensu decretum est debere solvi ab unoquoque talliam ordinariam quam colligere curabit quilibet Vicarius in sua circaria remittendam in manibus procuratoris generalis Ordinis Parisiensis.

[86] Item, computum expensarum ad quas condemnatus fuit fr. Leonardus Teveren quondam abbas Cnestedensis[165]) in utilitatem praepositi et monasterii Heisbergensis [*sic*] Capitulum commisit R.D. abbati Seinensi examinandum et concludendum, communicato prius (265 v°) cum R.P. abbate Steinfeldensi consilio cui alias eiusmodi commissio data fuerat et hic finita est praesens sessio iussu Reverendissimi et alia indicta.

Sessio decimaquinta. Die vigesima nona Aprilis pomeridiana.

[87] Precibus de more praemissis, R. abbas Domnimartinensis absolvit lectionem decretorum duorum Capitulorum annorum 1657 et 1660 in praecedenti sessione inchoatam quae cum fuissent per deputatos ut supra collecta et in ordinem digesta ut disciplinam communem concernentia per omnes Ordinis provincias publicari deberent, Capitulum ordinavit illa omnia, paucis immutatis vel additis, aliquibus tamen sublatis executioni demandari et per Vicarios in suis circariis publicari atque huius Capituli actis inseri prout sequuntur.

[88] Revmus Dominus Generalis declaravit omnes abbates et praelatos in omnibus sessionibus vocem habere deliberativam et ubi fuerit controversia ea a definitoribus resolvetur et eorum decisioni stabitur, doctores vero et baccalaureos habere vocem tantum consultativam.

[89] Item discussa est quaestio an priores commendatariorum monasteriorum possint esse definitores? et auditis etiam definitoribus et aliis non definitoribus praelatis et prioribus definitores discesserunt in definitorium et in discutione difficultatis reliquum sessionis occupatum est et tandem declaratum a Revmo Domino Generali sessionem esse termina-

[165]) Leonardus Teueren, abbas Knechtstedensis a Capitulo generali anni 1657 depositus (Acta Cap. Gen., V, n.190) etiam condemnatus fuit ad reparanda damna quae Ioannes a Dillen, praepositus sororum praemonstratensium in Heinsberg, passus est eo quod abbas Leonardus eum immerito excommunicavit.

tam. In hac etiam sessione operose fuit examinatum decretum Capituli generalis anni 1625[166]) cuius est hic tenor: *Item cum numerus abbatum capitulantium propter commendatariorum crescentem multitudinem non mediocriter minuatur idcirco matura patrum deliberatione praehabita Capitulum definit atque ordinat quod deinceps futuris perpetuisque temporibus, omnes et singuli monasteriorum commendatariorum priores, necnon provinciarum deputati procuratores, possint et valeant in hoc patrum consistorio et Capitulo generali post abbates sedere, assistere et in definitores assumi*, cuius decreti vigore dicti priores et procuratores praetendunt se sine electione cum abbatibus debere sedere, negotia tractare et deliberare. Capitulum decernit quod Vicarii circariarum quae regulares non habent abbates, vel si habent ipsi tamen non compareant in Capitulo generali et eorundem deputati seu earundem aliqui priores possint in definitores eligi ita tamen quod eorundem vicariorum et deputatorum seu priorum numerus non excedat quartam partem abbatum vel praepositorum in definitores assumptorum.

[90] Capitulum decernit fieri annuas visitationes et ne deinceps intermittantur, instituantur non solum vicarii Revmi Domini Generalis cum potestate substituendi sed etiam in qualibet circaria instituatur visitator seu circator qui auctoritate Capituli generalis circariam infra triennium totam semel visitet etiam monasterium ipsius Vicarii circariae. Vicarius coenobia illa praemonebit et si pater abbas monasterii visitandi se ad visitandum praesentet, moneatur abstinere et cedere vicario. Visitator Capituli generalis seu circator visitabit circariam sibi commissam tertio solum anno, Vicarius vero duobus prioribus annis.

[91] Cum priores vigore supradicti Capituli anni 1625 quod incipit *Item, cum numerus* etc. petiissent vocem consultativam sibi dari, Capitulum respondit eos posse in definitores assumi et post abbates sedere, quando in definitores eligentur et sedere iubebuntur praedictumque decretum significare (266 r°) habilitatem non actum. Praesens tamen hoc Capitulum re iterum ventilata ex gratia speciali concessit ut ex deputatis provinciarum et prioribus quatuor assumantur qui vocem habeant deliberativam sedeantque post abbates, modo isti quatuor sic assumpti non excedant quartam partem abbatum et praepositorum praesentium.

[92] Vacante ecclesia Praemonstratensi iurisdictio circariarum erit penes Vicarios Revmi Domini Praemonstratensis et in casu mortis

[166]) Acta Cap. Gen., IV, 1625, p. 109.

vicariorum erit penes Visitatores seu circatores autoritate Capituli generalis creatos[167]).

[93] Prior ecclesiae Praemonstratensis, procurator item Ordinis in curia Romana et praeses collegii Praemonstratensis Parisiis siti possunt deputari ad canonice visitanda omnia monasteria etiam ea quibus praesunt abbates regulares sicut ab antiquo.

[94] Omnes RR. abbates et praepositi qui sunt praelati etiam de Communitate antiqui rigoris mozettis, iuxta Ordinis Statuta utantur[168]).

[95] Juniores professi in minoribus constituti non habeant vocem activam nisi ubi fuerit contraria consuetudo[169]).

[96] Superiores possunt religiosos suos in maioribus non constitutos ordinibus, actualiter studiis incumbentes, a recitatione officii B.M. Virginis, defunctorum et septem psalmorum penitus eximere, item et a recitatione officii canonici.

[97] Circator conventualis retineat suae professionis stallum, excepto quod dum capitulo praesidens culparum proclamationem audit, debeat ad locum prioris vel supprioris ascendere item dum in refectorio praesidet.

[98] Solus Revmus Dominus Praemonstratensis ac eius vicarii ex speciali concessione abbates deponere possint et id non possunt patres abbates speciali ad id commissione a Revmo Domino Praemonstratensi non muniti.

[99] Praepositi monialium nec patres abbates confessarios ordinarios saeculares monialibus non assignent nisi iudicio Vicarii non possint ex Ordine assumi. Praepositi qui sunt formales et vere praelati, non sunt adstringendi ad confessarios ex monasterio patris abbatis assumendos, sed possunt ex quolibet Ordinis monasterio assumere.

[100] Ius paternitatis acquiritur per eum qui suis expensis recuperavit monasterium deperditum, potest tamen et debet pater abbas in iura paternitatis restitui refusis recuperanti expensis pro recuperatione factis.

[167]) Praedicta norma desumpta est ex litteris apostolicis sub forma brevi datis ab Urbano VIII die 8 martii 1641 ut in Ordine Praemonstratensi restitueretur legitima auctoritas post denegatam a Romano Pontifice collationem beneficii abbatialis archicoenobii Praemonstrati ad quod cardinalis de Richelieu a quibusdam huius monasterii religiosis postulatus fuerat. Romae, ex Typographia Rev. dae Camerae Apostolicae. Tenor huius Brevis *Prospero felicique* prostat apud C.L. Hugo, Annales, I, Praefatio.

[168]) Statuta, Dist. II, cap. 19, n.29. Abbates Communitatis antiqui rigoris usum caputii laxioris, rotundi ac nodulis clausi, vulgo mozettae, reiiciebant utpote solis episcopis reservatum.

[169]) Contraria consuetendo vigebat in archicoenobio Praemonstratensi. Cfr. L.C. Van Dijck, *Le cardinal de Richelieu, abbé de Prémontré*, in *An. Praem.*, LXII, 1986, 183-184.

[101] Quando non poterit absque gravis incommodi periculo differri electio abbatis nec pater abbas expectari, potest et debet advocari Vicarius generalis et eo renuente accedere praelatus vicinior. Patres abbates electionibus abbatum praesidentes non habeant vocem activam.

[102] Patres abbates non possunt a filiabus suis ecclesiis pecunias aut aliud emolumentum annuum in recognitionem superioritatis aut subiectionis aut quovis praetextu ex iure paternitatis petito exigere.

[103] Singuli Ordinis professores qui habuerunt documenta ad alia Ordinis monasteria spectantia, ea dictorum monasteriorum abbatibus et praelatis sub poena excommunicationis tradant et resignent.

[104] Constituatur Romae procurator generalis cum socio religioso ad iura Ordinis defendendum cui sustentando omnia Ordinis monasteria et beneficia contribuere teneantur et quicumque litem aut negotium qualecumque Romae habuerit teneatur illud per huiusmodi procuratorem generalem procurare, expensasque litis et negotii eidem subministrare (266v°).

[105] Revmus Dominus Praemonstratensis eiusque Vicarii et Visitatores possunt assumere religiosos ex monasteriis et ad alia reformationis causa transmittere etiam proprio praelato non rationabiliter obsistente.

[106] Abbates, aliique superiores qui per se administrant bona monasterii debent coram conventu non minus quam officiales computum et rationem reddere si tamen non nisi pro officiales administrant ad id non tenentur.

[107] Nullus Ordinis praelatus confirmationem suam a Dioecesano accipiat, sed a patre abbate et eo deficiente a Vicario Revmi Domini Generalis, quo pariter impedito a circariae capitulari visitatore.

[108] In quolibet conventu unum Sacrum fiat privatim pro uno defuncto circariae.

[109] Prohibitus est omnibus religiosis Ordinis usus tabaci sub poena diei unius ieiunii in pane et aqua.

[110] Capitulum pro emergentibus difficultatibus quae Capitulum generale futurum non possunt expectare committit vices suas Revmo Domino Praemonstratensi RR.DD. Cuissiacensi, Domnimartinensi, Vallis Serenae et aliis praelatis si quod Revmus Dominus Praemonstratensis duxerit advocandos, ad definiendum et sigillo Capituli generalis communiendum.

[111] Praepositi monialium perpetui non aliam obedientiam debent patribus abbatibus quam ipsis debeant filii abbates, manuales vero sunt ad nutum amovibiles, ii tamen monialium praepositi sunt perpetui qui a

monialibus eliguntur et a patre abbate vel ab alio potestatem habente confirmantur.

[112] In Capitulo provinciali abbates et praelati in definitores assumi debent antequam priores assumantur.

[113] Quotiescumque pro bono reformationis continget aliquos religiosos legitima auctoritate in aliud coenobium a suae professionis monasterio diversum submitti sive ut sint officiales sive conventuales tantum, gaudeant omnibus iuribus et causis, voce activa et passiva, sicut stallo suae professionis ac si essent in monasterio ad quod mittuntur expresse professi, excepta electione praelatorum ad quam non habent vocem activam.

[114] Visitatoribus et Vicariis Ordinis exhiberi non debent computus temporali nisi habeant specialem commissionem a Revmo Domino Praemonstratensi vel a patre abbate quibus solis id ordinarie competit.

[115] Omnes et singuli Ordinis religiosi sint perpetuo inhabiles ad regularia beneficia curata vel simplicia, impetranda, acceptanda vel possidenda nisi ante eorum impetrationem, acceptationem vel possessionem fuerint muniti in scriptis obtenta licentia, quam religiosi inferiores habere debent a suo superiore regulari, priores vero in abbatis commendatis a Vicario circariae suae vel a patre abbate vel a Domino Praemonstratensi.

[116] Priores ecclesiarum quibus praesunt abbates regulares vocandi sunt ad provincialia Capitula.

[117] Testimonium legitimi thori et aetatis exhibendum est in scriptis a vestiendis, nec sufficit quod habeantur pro legitimis et talis aetatis.

[118] Religiosi ad alios conventus proficiscentes si pallium non gerant, nonnisi in habitu pleno inibi compareant.

[119] Praepositi monialium non benedicantur solemniter ab episcopo, nisi doceant de privilegio, vel de contraria possessione.

[120] Religiosi nostri Ordinis casibus reservatis irretiti, non possunt absolvi valide a religiosis mendicantibus aut ab aliis privilegiatis qui non sunt nostri Ordinis, nisi habeant licentiam apud praedictos confitendi idque iuxta breve Urbani octavi quod incipit a *Specula militantis Ecclesiae*.

[121] Non tenentur praelati officiare in festis 3ae classis.

[122] Festa Assumptionis, Dedicationis, Omnium Sanctorum sicut et principale festum patroni ecclesiae sint in posterum 1ae classes, festum vero S. Augustini sit 2a.

[123] Omnes Ordinis nostri ecclesiae quae multas habent reliquias

festivitatem eiusmodi reliquiarum ad instar triplicis minoris celebrare possunt.

[124] In obitu pastorum Ordinis nostri non sunt solvenda decanis ruralibus ea iura quae dicti decani a saecularibus exigunt.

[125] Lectores Theologiae qui actualiter docent habendi sunt inter maiores domus, nec tamen propterea praetendant ullam stalli praecedentiam (267 r°).

[126] Decretum de inter abbates servando ordine in sessionibus iuxta eorundem abbatum installationem locum tantummodo habet in Capitulo generali sine praeiudicio in aliis concessibus, neque in hoc decreto comprehenduntur Revmus Dominus Praemonstratensis nec RR.DD. abbates Sancti Martini, Floreffiae et Cuissiaci qui ubique irrefragabiliter praecedunt. Definitores qui sunt praelati debent in Capitulo generali praecedere non definitores etiamsi hi essent definitoribus installatione antiquiores. Omnes abbates etiam Belgii et antiqui rigoris debent venire ad Capitulum generale sicut et priores monasteriorum commendatariorum etiam Communitatis antiqui rigoris nisi fuerint legitime impediti.

[127] Religiosi ad aliam Ordinis ecclesiam autoritate Revmi Domini Praemonstratensis vel Capituli generalis missi, non possunt inde a quoquam dimitti, nisi de consensu Revmi Domini Generalis vel Capituli generalis, nisi eorum crimen quod celari non possit intercurrat.

[128] Religiosus qui ex strictiori Ordine ad quem voluerat convolare egreditur, se statim in habitu sui Ordinis superiori sistere teneatur a quo recipi debet non quidem ad conventum, sed ad sequestrum donec Revmus Dominus Generalis desuper requisitus notificaverit qualiter cum eo agendum fuerit. Quod si non statim ad monasterium suae professionis recursus fuerit ut fugitivus habeatur et ut talis puniatur.

[129] Antiquitas monasteriorum attendi debet, non ad fundationem quae forse est ordine antiquior, sed ad accessum ad Ordinem. Ecclesia senior a praeposito gubernata cedere debet iuniori ad abbatiam evectae nec debet praepositus cum abbate concurrere, sed ei cedere. Usu pontificalium nil iuvat ad praecedentiam.

[130] Propter uniformitatem praelati omnes mozettam super superpelliceum gestent.

[131] In monasteriis ubi non sunt plures quam octo religiosi duo in primo vel secundo consanguinitatis gradu non recipiantur.

[132] Statuta Ordinis Praemonstratensis obligant prout iacent, et in Germania, Gallia et ubique observari debent, poena inflicta triduani ieiunii contra eos qui quidpiam contrarium in dictorum Statutorum

vilipendium spargere praesumpserint, non obstantibus in contrarium quibuscumque consuetudinibus.

[133] Religiosi omnes Ordinis nostri gaudent privilegiis Ordinum mendicantium et aliorum congregationum privilegiatarum, non tamen sine licentia superiorum iis privilegiis utantur nisi iuxta tenorem bullarum apostolicarum.

[134] Praelati possunt in publica necessitate praecipere religiosis ut missas votivas celebrent ita tamen quod non sint perpetuae nec gravent religiosos ut in studiis perturbentur.

[135] Lectores philosophiae et Theologiae non admittent ad cubiculum suos discipulos neque discipulorum cubicula intrent, hinc nec circator, hoc solo titulo quod sit unus ex superioribus conventus nisi in aliorum superiorum absentia.

[136] Hi omnes qui aliquas difficultates habuerint proponendas Capitulo generali, eas sex ante mensibus mittant ad Revmum Dominum generalem quas si viderit alicuius momenti communicabit Vicariis quibus visum fuerit easque vicarii examinabunt.

[137] Circatores tertio solum anno, Vicarii vero duobus primis annis canonice visitabunt, idque ad proximum sequens Capitulum generale etiam si differatur ultra triennium.

[138] Quibus ita discussis, tractatum est de praetensione R.D. Francisci Lafosse alias abbatis Corneolensis petentis a Capitulo generali ut remitteretur ad suum monasterium suaeque pristinae dignitati restituatur. Cum tamen ex relatione facta a R.D. abbate Vallis Serenae et ex litteris quae ex Burgundia scriptae sunt die 15 huius mensis et anni, innotuerit Capitulo praesenti resignationem alias in ultimo Capitulo generali factam[170]) in gratiam fratris Claudii Mitenne acceptatam fuisse a Rege catholico et post mortem fratris Claudii provisum fuisse per Illustrissimum (267 v°) Flandriae gubernatorem[171]) de facienda electione nova in praesentia commissariorum Parlamenti Dolani quae etiam facta est. Declaravit idem Capitulum esse extra suam potestatem restituere praedictum Dominum Franciscum Lafosse in dignitatem abbatialem remisitque eum ad Revmum Dominum Generalem qui ipsi de habitatione provideat et quoad sustentationem ipsius eum relinquit in suo iure petendi ab abbatia aut futuro abbate Corneolensi via iuris aut aliis mediis licitis sibi bene visis pensionem quam praetendit sibi deberi.

[170]) Acta Cap. Gen., V, 1660, n.166.

[171]) Don Luis de Benavides, Carillo y Toledo, marchio de Frimista et Caracena, comes de Pinto (1 martii 1659-octobris 1664).

[139] Ad requisitionem fratris Guillelmi Badot religiosi professi Floreffiensis[172]) antea condemnati ut per unum annum resideret Praemonstrati ad hauriendum ibi spiritum religionis, et postulantis ut quia non accusatur de aliquo gravi crimine imo habet testimonium religiosorum monasterii Praemonstratensis de honestate suae conversationis, dignaretur Capitulum ipsum remittere ad suum Floreffiense monasterium, annuit Capitulum et concedit ut redeat cum tamen serio monitum vult et monet quod si in posterum modestius non se gerat erga suos confratres, et in officiis divinis non sit solito frequentior, Vicarius circariae eum iterum extrahet e suo monasterio mittetque quo iudicaverit convenientius.

[140] Ad supplicationem fratris Gregorii Ducrocq requirentis ut Capitulum decerneret contra quosdam religiosos Jardenses[173]) qui in ipsum, dum prior esset in Jardo, violentas manus iniecerunt, eum carceri manciparunt pessimeque tractaverunt prout in supplica ab eodem venerabili patre Ducrocq Capitulo exhibita, relatione facta a R.D. abbate Parcensi, Capitulum remittit negotium ad Revmum Dominum Generalem ut secundum Ordinis Statuta contra reos agat eosque puniat pro gravitate delicti.

[141] Cum petitum fuisset a collectoribus, initio Capituli ad colligendas tallias ordinarias nominatis, quid circa eas fecissent pro executione sui muneris? responderunt plures solvisse, quosdam tamen superesse qui non satisfecissent, super quo decretum est debere fieri registrum in quo exhiberentur omnes talliae quid quisque solverit, quid cui restet solvendum ut collatione facta cum oneribus Ordinis, videatur clarius quomodo possit provideri iis sufferendis.

[142] Capitulum audita relatione R.D. abbatis Vallis Serenae ad excusationes absentium discutiendas et iudicandas cum aliis deputatis, excusatos habuit a circaria Franciae priores monasteriorum Bassifontis[174]) et S. Mariani[175]) Altissiodorensis, e circaria Floreffiae abbatis

[172]) Wilhelmus Badot, natus Namurci, vestitus 31 augusti 1642, professus 11 septembris 1644, sacerdos ordinatus fuit 15 aprilis 1646. Vide V. BARBIER, *Histoire de l'abbaye de Floreffe de l'ordre de Prémontré*, tom. I, Namur, 1892, p. 369.

[173]) Lieu-Dieu-en-Jard, abbatia filia Praemonstrati, dép. de la Vendée, dioecesis Pictaviensis (=Poitiers), ad quam reformandam, Gregorius du Crocq uti prior missus fuerat, dum erat in commendam data. Refert C.L. HUGO, *Annales*, II, 68-72 violentum Gregorii du Crocq procedendi modum. Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1660, p. 112, notam 65.

[174]) Basse-Fontaine, dép. Aube, dioecesis Trecensis (=Troyes), abbatia in commendam data. BACKMUND, II, 479-481.

[175]) S. Marien d'Auxerre, dép. Yonne, dioecesis Senonensis (=Sens), abbatia in commendam data. BACKMUND, II, 475-477.

Bellireditus[176]) et Postellae[177]) sicut et priorem Thenolii[178]) et e circaria Pontivi abbatem S. Andreae in Nemore[179]), priorem Grandis Campi[180]), et Insulae Dei[181]), e circaria Brabantiae abbates Grimbergensem et Dilighemensem[182]), e circaria Flandriae abbatem Furnensem et priorem Viromandensem[183]), e circaria Westphaliae, Wadegotiae et Iveldiae abbates et praepositos, e circaria Lotharingiae, abbates Jovillaris et Stagni[184]) et priorem Regiaevallis[185]) e Communitate antiqui rigoris super iuramento trium ab ea deputatorum excusatos habet reliquos abbates et priores. Insuper et abbates Buciliensem[186]) et Rengisvallensem et Bonifagetanum[187]) qui se litteris specialibus excusari petierunt. E circaria Normanniae abbatem de Lucerna[188]) et priorem Blanchaelandae[189]), abbates etiam et priores circariarum Averniae, Vasconiae, Bavariae, Sueviae, Moraviae, Bohemiae, Poloniae pariter habet

[176]) Antonius Jamar, abbas Belli Reditus (= Beaurepart) in civitate Leodiensi, dioecesis eiusdem nominis, infirma valetudine praepeditus supponitur quia paululum postea, die nempe 28 decembris 1663, obiit. GOOVAERTS, I, 412.

[177]) Egidius Jansen (1650-1679) abbas Postellensis, filia abbatiae Floreffiensis in Campinia. Vide supra p. 107, notam 19.

[178]) Thenailles, dép. Aisne, dioecesis Suessionensis (= Soissons), abbatia in commendam data. BACKMUND, II, 400-402.

[179]) Nicolaus Ledé. Vide supra p. 15, notam 39; p. 104, notam 4.

[180]) Grandchamp, dép. Seine-et-Oise, dioecesis Carnotensis (= Chartres) Backmund, II, 552.

[181]) Isledieu, dép. Eure, dioecesis Ebroicensis (= Evreux), abbatia in commendam data. BACKMUND, II, 43-45.

[182]) De eorum absentia vide Acta huius Capituli ad notam 4.

[183]) Godefridus de Courteville, abbas Furnensis (1654-1667). Vide supra p. 67, notam 293. — Abbatia Viromandensis (= Vermand) prope oppidum Saint-Quentin, dép. Aisne, dioecesis Suessionensis (= Soissons) in commendam data erat. BACKMUND, II, 426-427.

[184]) Jovilliers, dép. de la Meuse, dioecesis Virodunensis (= Verdun). Abbas erat Carolus du Fresnoy (1663-1670). BACKMUND, III, 80. — Abbas Stagni (= L'Etanche) annis 1626-1670 erat Jean de La Trompette, BACKMUND, III, 67.

[185]) Abbatia Regiae Vallis (= Riéval) in commendam data erat. Sita erat dioecesi Virodunensi, dép. de la Meuse. BACKMUND, III, 99.

[186]) Abbas erat Edmundus Sauvage. Vide supra p. 11, notam 11 et p. 107.

[187]) Bonaventura Messin abbas erat canoniae Rengisvallis (= Rengéval) in eadem regione Lotharingica, sicut et praecedentes ad Communitatem antiqui rigoris pertinentis. BACKMUND, III, 98. Vide Acta Cap. Gen., V, 1657, p. 11, notam 14. — Ioannes Damascenus Périn praefuit canoniae de Bonfays. Vide supra p. 11, notam 19.

[188]) Dionysius le Coursonnois annis 1659-1672 rexit canoniam Lucernae, (= La Luzerne), dép. de la Manche, dioecesis Constantiae (= Coutances), pariter Communitati antiqui rigoris aggregatem. BACKMUND, III, 26-28.

[189]) Canonia Blanchaelandae (= Blanchelande) eadem in regione constituta in commendam data erat. BACKMUND, III, 18-20.

excusatos. Declarat etiam contumaces Hispanos, abbates Bellelagiae[190]), Clarifontis[191]), et Marchasii Radulphi[192]).

Quibus peractis finitam esse sessionem declaravit R.D. Domnimartinensis, secretarius de mandato Revmi Domini Generalis aliamque indixit.

Sessio decimasexta. Die trigesima Aprilis matutina.

[143] Fusis ad Deum precibus, commisit Capitulum pro emergentibus, quae proximum generale Capitulum expectare non poterunt Revmus Dominus Generalis RR.DD. abbates Cuissiaci, Bonae Spei, Domni Martini, Vallis Serenae et venerabiles priores vicinos quod Revmus Dominus Generalis advocandos iudicaverit.

[144] Decretum est debere fieri commissionem R.D. abbati Steinfeldensi, ex qua provideat Lorissae et Wesaliae[193]) de abbate.

[145] Tunc processum est ad nominationem vicariorum generalium pro circariis qui autoritatem Revmi Domini generalis repraesentent et exerceant quos idem Revmus Dominus Generalis nominavit cum Capitulo et sunt ii qui sequuntur: Circariam Franciae reservat sibi Revmus Dominus Praemonstratensis cui adiunguntur monasteria Septem Fontium in Thirascia[194]), Thenolium[195]), Mons Sancti Martini et Vallis Dei[196]).

Floreffiae et Flandriae nominatus est vicarius R.D. abbas Bonae Spei.

[190]) Joannes Petrus Cuénat, abbas Bellelagiae (= Bellelay) (1637-1666). BACKMUND, I², 456.

[191]) Joannes Doucet de la Houssaye, annis 1657-1668 praefuit canoniae quae sita erat in civitate Villers-Cotterêts, dép. Aisne, dioecesis Suessionensis. BACKMUND, II, 370-372.

[192]) Ludovicus Lecomte de Montanglan hisce annis regimen tenere videtur huius canoniae Marchasii Radulphi (= Marcheroux), dép. Oise, diocesis Bellovacensis (= Beauvais). BACKMUND, II, 559.

[193]) Capitulum generale anni 1631 canonicum quemdam Parcensem canoniae Laurissae praefici curavit, Joannem Van den Bossche (= Sylvius), qui anno 1640 a S. Sede confirmatus fuit, possessionem realem praepositurae tamen numquam arripere potuit, cum archiepiscopi instaurationi monasteriorum suppressorum obstiterint. GOOVAERTS, II, 230; BACKMUND, I², 108-110. — De aerumnis canoniae Wesaliae (= Wesel) vide supra p. 106, notam 15. Cfr BACKMUND, I², 263.

[194]) Septfontaines-en-Thiérache, dép. Ardennes, dioecesis Remensis (= Reims). BACKMUND, II, 398.

[195]) Thenailles, dép. Aisne, dioecesis Suessionensis (= Soissons). BACKMUND, II, 400.

[196]) Mons Sancti Martini in ipso origine Scaldi fluvii, dép. Aisne, dioecesis Suessionensis (= Soissons). BACKMUND, II, 417. — Vallis Dei seu Burlebach, hodie in parochia Sandweiler, in Ducatu et dioecesi Luxemburgensi, prioratus dependens a canonia Sancti Pauli Virdunensis. BACKMUND, III, 111, 115.

Pontivi abbas Domnimartinensis.

Brabantiae et Frisiae R.D. Parcensis.

Westphaliae, Wadegotiae et Iveldiae R.D. abbas Steinfeldensis.

Pro monasteriis Regiaevallis, Jovillaris, Capellae ad Plancas, Monticellis, Bassifontis, Septemfontium in Burgundia, Belliloci, Corneoli, Bellelagiae sicut et circariae Burgundiae R. abbas Belliloci[197]).

Normanniae prior Perrodii Novi[198])

Vasconiae abbas S. Ioannis de Castella adiuncto sibi priore Casa Dei vel de Capella[199]).

Hispaniae R.D. abbas Grimbergensis.

Arverniae, prior S. Andreae Claromontensis[200]).

Sueviae R.D. abbas Soretanus[201]).

Bavariae R.D. abbas Steingadensis[202]).

Bohemiae, Moraviae, Poloniae, Hungariae, Saxoniae R.D. abbas S. Vincentii Vratislavi[203]).

Angliae, prior Collegii Parisiensis.

Tusciae, Siciliae, Calabriae, Cypri et terra Ierosolimitana procurator Ordinis in Curia Romana.

Quibus omnibus datur facultas substituendi.

[146] Quo facto, nominati sunt circatores seu visitatores Capituli generalis pro Franciae circaria Capitulum commisit Revmo Domino Generali data oportunitatenominandi eum qui sibi bene visus fuerit.

Pro circaria Floreffiae R.D. abbas Viconiensis[204]).

Pontivi, R.D. abbas S. Andreae in Nemore.

Brabantiae et Frisiae R.D. abbas Averbodiensis.

Westphaliae et Wadegotiae et Iveldiae R.D. abbas Seynensis.

Pro monasteriis supra memoratis quorum Vicarius nominatus est R.D. abbas Belliloci, circator erit prior Praemonstratensis.

[197]) Nicolas Aubert annis 1662-1685 regimen abbatiale in canoniam Belli Loci (= Beaulieu) exercuit, quae canonia invenitur in dép. de l'Aube, dioeceses Trecensis (= Troyes). — Antea fuit procurator Ordinis in curia Parisiensi. Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, p., 13.

[198]) Canonia Perrodii Novi (= Le Perray-Neuf) in commendam data. Prior erat Antonius la Faux, professus archicoenobii. Vide Acta Cap. Gen., V, 1660, p. 108, cum nota 33.

[199]) Joannes II de Lompagieau S. Joannis de Castella (= Saint-Jean-de-la-Castelle) abbas et Joannes Rudelle, prior abbatiae commendatae Capellae prope Tolosam (= La Capelle).

[200]) Abbatia Sancti Andreae Claromontensis (= Saint-André de Clermont) in civitate eiusdem nominis, sede episcopali, dép. Puy-de-Dôme. BACKMUND, III, 146.

[201]) Augustinus Arzet, abbas Sorethanus (= Schussenried).

[202]) Augustin Bonenmayr, abbas Steingadensis (= Steingaden).

[203]) Matthaeus Paul, abbas Sancti Vincentii Wratislawiensis (= Wroclaw).

[204]) Claudius de la Rue, abbas Viconiensis (= Vicogne).

Normanniae, prior Belli portus[205]).

Vasconiae prior Deivillae[206]).

Arverniae, prior S. Gilberti[207]).

Sueviae R.D. abbas Omnium Sanctorum[208]).

Bavariae R.D. abbas Schefflariensis[209]).

Bohemiae, Moraviae, Poloniae, Hungariae, Saxoniae, R.D. abbas Teplensis[210]).

Pro Communitate antiqui rigoris nomine Capituli generalis etiam visitanda nominatus est R.D. abbas Justimontanus[211]), quibus omnibus ut supra decretum est datur facultas substituendi.

[147] Syndicus Ordinis continuatur R.D. abbas Belliloci, qui Parisiis moratur pro defensione iurium et causarum Ordinis apud supremas curias.

[148] Item proponente et disserente de necessitate Ordinis Revmus Dominus Praemonstratensis rationibus ipsius bene perpensis, Capitulum providere volens difficultatibus plurimis quae sede Praemonstratensi vacante occurrere solent, et ne deficiat in quocumque (268 v°) casu, iurisdictio in Ordine, creavit et instituit, creat et instituit in Vicarium generalem R.D. abbatem Domnimartinensem, casu quo, quod Deus avertat pro sua in Ordinem suum benignitate, Revmus Dominus abbas Praemonstratensis ante proximum Capitulum generale decedere aut in regionibus nimium dissitis abesse a Francia, pro tota circaria Franciae, sicut et pro omnibus illis in quibus decederent Vicarius et circator, voluitque et vult ut in dictis casibus plenaria autoritate Revmi Domini Praemonstratensis et Capituli generalis omnia agenda a re et instituenda instituat, ex consilio praelatorum et priorum quos iudicarit advocandos et cum potestate substituendi[212]).

[205]) Franciscus Martin, prior abbatiae commendatae Belli portus (= Beauport).

[206]) Divielle, abbatia commendata, dép. des Landes, dioecesis Tarbellae (= Dax). BACKMUND, III, 177-180.

[207]) Neuffontaines, abbatia commendata, dép. Allier, dioecesis Claromontensis (= Clermont). BACKMUND, III, 151-153.

[208]) Anastasius Schlecht, abbas Cellae Sanctorum (= Allerheiligen), vide supra p. 12, notam 21.

[209]) Anianus Mayr vide supra notam 138.

[210]) Raymundus Wilfert I (1658-1670). BACKMUND, I², p. 386.

[211]) Servatius Regnault. Vide Acta Cap. Gen., V, 1657, p. 12, notam 20.

[212]) De figura iuridica huiusmodi Vicarii Generalis totius Ordinis quam abbas Sancti Martini Laudunensis sibi vidicaverat vacante abbatia Praemonstratensi ob recusatam confirmationem generalatus a cardinali Richelio usurpati, acriter disputata fuit. L.C. VAN DIJCK, *Pour une histoire du généralat prémontré du cardinal de Richelieu*, in *An. Praem.*,

[149] Communicatio precum et bonorum operum totius Ordinis ad requisitionem Revmi Domini Praemonstratensis data est Illustrissimo et nobilissimo Domino Domino Colbert aerarii Regis praefecto seu directori[213]). Item nobili et clarissimo viro Domino Lebon thesaurario Regis et eius familiae et liberis. Honorabilibus viris DD. Feron et Huchon familiae eorum et liberis, nobilissimae et religiosissimae Dominae de Bourbon monasterii B. Mariae apud Branam, ordinis S. Benedicti superiore[214]), omnibusque monialibus nunc ibi professis. Nobili feminae D. Joannae de Perier eiusque filiae Dominae Annae Soleur de la Garenne. Nobilibus Dominis Joannae Stephanae et Annae Lestique. Honorabili viro D. Leonardo Bibliopolae Ordinis.

Sessio decimaseptima. Die trigesima Aprilis pomeridiana.

[150] Et quia propter penuriam librorum cantus in Ordine nascitur difformitas in diversis monasteriis, decretum est debere conveniri cum D. Leonardo Bibliopola Ordinis de recusione antiphonalium, gradualium et aliorum librorum cantus et omnes compromiserunt in persona Revmi Domini Generalis qui curam susciperet tam contractu faciendo cum dicto D. Leonardo quam de correctione cantus.

[151] Revmus Dominus Praemonstratensis indixit Capitulum generale Praemonstrato celebrandum anno Christi 1666 ad diem 23. mensis maii quae in Dominica *Cantate* incidet, assentitur tamen Capitulum ut idem Revmus possit indicere Capitulum Antverpiae vel Coloniae celebrandum, si ita ei visum fuerit et si per valetudinem illius licuerit, qui etiam, ut Statuta innuent, poterit, si ita ipsi placuerit, duos ex circariis magis dissitis convocare earumdem circariarum sumptibus deputandos, cum tamen liberum sit cuique ad Capitulum venire propriis expensis, et hic finem accepit ultima sessio iussu Revmi Domini Praemonstratensis.

[152] Revisis huiusce Capituli generalis actis per RR.DD. abbates

LX, 1984, p. 283, n.87. — Philippus Babeur, abbas Domnimartinensis, etiam ad alia negotia Ordinis tractanda ab abbate generali emissus fuerat, non vacante sede archicoenobii. Ita anno 1664, 16a maii, praecipuos abbates Belgii, nempe Parcensem, Grimbergensem et Ninoviensem, redux ex canonia Steinfeldensi inviserat ut coniectis viribus exemptionem Ordinis defenderent quae in Gallia periclitabatur. Vide P. LENAERTS, *Journal de Libert de Pape* in *Analectes de l'ordre de Prémontré*, XI, pp. 237; 241.

[213]) Joannes Baptista Colbert, ex mercatorum familia, creatura cardinalis Mazarini factus, postmodum permagnum exercuit in rebus publicis oeconomicis ordinandis regnante Ludovico XIV influxum. Eiusdem stipitis erat Michael Colbert, prior Praemonstratensis.

[214]) Prioratus monialium O.S.B. in Braisne-sur-Vesle. L-H. COTTINEAU, *Répertoire topo-bibliographique des abbayes et prieurés*, Mâcon, 1939, I, col. 475.

Antverpiensem et Trunchiniensem, itum est, pulsante maiori campana, ad capitularem locum conventus Praemonstratensis ubi dicto *Benedicite* a Revmo Domino Praemonstratensi idem Revmus Dominus apposita exhortatione RR.PP. Capitulares et alios ibi praesentes commonuit ad executionem fidelem et promptam omnium decretorum quae tam matura deliberatione fuerunt concepta.

Tunc lectione alta voce facta omnium decretorum et actorum huius Capituli per os R.D. abbatis Stivagiensis unius notariorum huius Capituli animadversum non fuisse nominatos visitatores huius coenobii Praemonstratensis pro triennio futuro et statim definitores, cum omnibus Capitulantibus vocem decisivam habentibus, recedente Revmo Domino Praemonstratensi convenerunt et concordi voce nominarunt cum R.D. Cuissiacensi Reverendos Dominos abbates Bonae Spei et Vallis Serenae, quorum primus nominatus obibit vices R.D. abbatis Floreffiensis donec Floreffiae de abbate provisum fuerit, cum erit provisum tunc dictus abbas Bonae Spei simul visitabit cum dictis Floreffiensi et Cuissiacensi et in defectu (269 r°) dicti abbatis Bonae Spei secundus dictus abbas Vallis Serenae.

Acta, lecta et publicata in dicto capitulari loco Praemonstrati praesentibus supradictis RR.DD. Capitularibus qui praesentibus subscripserunt, aliisque pluribus audientibus et astantibus die 30a Aprilis anno 1663 ab hora quarta pomeridiana ad mediam post sextam aut circiter.

fr. Augustinus Le Scelier, abbas Praemonstratensis et Generalis
fr. Amour abbas Cuissiacensis et quartus Ordinis pater

fr. Augustinus abbas Bonae Spei, fr. P. Babeur, abbas Domnimartinensis, fr. Libertus abbas Parcensis, fr. Nicolaus Guinet abbas S. Mariae Mussipontanae, fr. Dionisius de Loris abbas Vallis Serenae, fr. Servatius abbas Averbodiensis, fr. Perpetuus abbas Leffiensis et Iveldiensis, fr. Joannes de Neve abbas Ninoviensis, fr. Adolphus abbas Seynensis, fr. Claudius L'Etandart abbas Vallis Secretae, fr. Alexander de France abbas Vallis Dei, fr. P. Lebrun abbas Belli Loci senior, fr. J. Baptista Penillon abbas Albae Curiae, fr. Claudius de la Rue abbas Viconiensis, fr. Siardus Julien abbas S. Foillani, fr. Lambertus Bals abbas Heilessemensis, fr. Macarius Simeomo, abbas S. Michaelis Antverpiensis, fr. Hugo Ducamp, abbas S. Augustini Morinorum, fr. Norbertus Vande Kerckove, abbas Trunchiniensis, fr. Michael Roguet, abbas Castri Mauretaniae, fr. Servatius Regnault abbas Justimontis, fr. Epiphanius Loüis abbas Stivagiensis, fr. Joannes a Dillen praepositus Hinsbergensis circa-

riae Westphaliensis deputatus, fr. Antonius Duhamel abbas de Moncellis, fr. Michael Colbert, prior Praemonstrati, fr. Joannes Biphos deputatus Vasconiae juxta deputationem meam, fr. Petrus Depert deputatus Vasconiae juxta deputationem meam.

[153] Absolutis subscriptionibus ut supra Revmus Dominus Praemonstratensis stola indutus, pedumque abbatiale manibus tenens, declaravit se excommunicare prout de facto excommunicavit omnes canonicos et conversos ordinis proprietatem habentes, incendiarios, falsarios litterarum Ordinis nostri, conspiratores, lusores deciorum, portantes cultellos acutos ad nocendum, apostatas, et illos qui ad suorum mandata praelatorum ecclesiae parochiales quas tenent nolunt resignare. Quo facto omnibus in genua provulutis et confessione peracta, solemnem benedictionem triplicis crucis signo impertivit, die supradicta 30a Aprilis anni 1663 in capitulo conventus Praemonstrati et benedictione accepta omnes Revmo Domino Praemonstratensi Generali fausta omnia sunt apprecati et in pace recesserunt.

fr. Philippus Babeur abbas Domnimartinensis Definitor et Capituli generalis secretarius

fr. Epiphanius Loüis abbas Stivagiensis et notarius iuratus Capituli

fr. Hugo Gallien notarius iuratus Capituli.

Valvekens, J. B.

1666

Capitulum generale anni 1666 dubiis in rebus celebratum fuit, cum non tuto constaret de praesidentia huiusmodi coadunationis. Etenim, die 22 Iunii 1665, obtento prius beneplacito regio quin intercessisset summi pontificis venia, abbas generalis Augustinus le Scellier, coram convocato capitulo archicoenobii Praemonstratensis, adstante quoque Regis christianissimi commissario, ob ingravescentem aetatem ac aegram valetudinem, coadjutorem sibi dari poposcit. Renuerunt tamen perplurimi sodales ad huiusmodi electionem procedere recte asserentes ad solam Sanctam Sedem spectare concessionem talis abbatis coadjutoris. Hinc, derelicto intento, abbas generalis illico munus suum demisit sub praesumpto Sactae Sedis beneplacito, ut, sine mora, electores successorem sibi per electionem substituere possent. At abnuentibus quibus abbatis electio competivit, nihil demum actum est.

Non desistebat tamen abbas le Scellier a propositi sui forma et ad diem 1 Februarii 1666 capitulares Praemonstratensis ecclesiae compulit ut iterum ad electionem novi abbatis procederent. Obstantibus vix evictis, deposito in antecessu regimine abbatiali coram adunatis electoribus, sodales, premente Regis commissario, tandem competentiam suam in acceptanda abbatis generalis abdicatione adstruerunt et, dilutis contradictis, compromissarium unicum abbatem cedentem elegerunt, qui, auditis abbatibus ad consilium vocatis, in abbatem Praemonstratensem constituit Praemonstrati priorem claustralem Michaelem nempe Colbert.

At, cum neo-electus, uti decebat, provisionem pontificiam Romae exquisivisset, Eligius Sorel, Sancti Andreae Claromontensis in Arvernia prior claustralis, necnon Norbertus Caillieux, collegii Parisiensis prior, nullitatem tam cessionis quam subsecutae electionis in curia Romana arguerunt. Pendente coram congregatione peculiari causa nullitatis electionis Michaelis Colbert, inchoatum est capitulum generale die 23 Maii 1666. Inde ab initio praevaluit dubium de competentia capituli localis in accipienda resignatione abbatis generalis et, consequenter, de validitate tam cessionis quam subsecutae electionis sede non vacante peractae. Hinc est quod defectu Romani beneplaciti commutatio fieret audacis praesumptionis ac Augustinus le Scellier ordinem Praemonstratensem regere pergebat donec, die 22 novembris 1666, finem dubii faciens resignationem antea sub beneplacito Sanctae Sedis peractam revocavit, dum Michael Colbert provisionem sedis abbatialis Praemonstratensis Romae, instante rege christianissimo, indefesse persequens, invalidae electionis sanationem a summo pontifice obtinuit.

* * *

Sub secretario Francisco Buyrette mos invaluit succinctim resolutiones capitularium referendi illasque tantum cum communitatibus communicandi quae uti communes habebantur, particulares vero tantum cum illis quorum intererat. Hinc est quod relatio integra actorum capituli generalis hucusque deficit, nec series completa decretorum tam generalium quam particularium hucusque reperiri potuit.

Decreta generalia reproducimus prout in exemplari a vicario abbatis generalis pro circaria Brabantia, Liberto de Pape, authentificato asservantur in AAT, sect. IV, 53, n° 51[2]. Qui textus etiam prostat in AAA, I, reg. 281, fol. 41-46 et in AAP, VII, 47, pp. 183-191; 192. Transsumptum quod publici iuris facimus continetur quoque in ms. Nancy 1764 (994), fol. 322r°-v°; 326r°-329r°, ibique etiam manu propria secretarii Buyrette inserta inveniuntur Communitatem antiqui rigoris tangentia.

Decreta quaedam particularia hausimus ex praedicto collectario Parcensi et, quoad circarias Bohemiae, Moraviae, Austriae et Silesiae ex transsumpto sex foliorum asservato Romae in archivo Curiae generalitiae Ordinis Praemonstratensis (sine numero). Quae omnia suis locis inseruimus ad calcem fontem talis resolutionis capitularis referentes.

* * *

7 A 246

64C19881, 314

Quoad capitulares praesentes nullus in actis capituli invenitur elenchus nominum. Quidam tamen capitulares die 30 Maii 1666, sedente capitulo generali, petitionem subscripserunt qua a Summo Pontifice postularunt ut «*Patris Augustini le Scellier demissionem quam non nisi sub Sanctae Sedis beneplacito fecit, ratum et gratum habere, et electionem inde sequutam de fratre Michaele Colbert in Praemonstrati abbatem et totius Ordinis Generalem confirmare dignetur*» (ASV, *Acta Congregationis Consistorialis*, anno 1666 (c.3123), fol. 7r°-v°, 12v°). Subsequentes capitulares nomine suo supplicem ad Papam libellum firmaverunt:

fr. Isidorus Amour, abbas Cuissiacensis, Definitor Capituli Generalis[1]),

fr. Ioannes, Abbas Ninivensis, Definitor et Visitator Brabantiae et Frisiae[2]),

fr. Augustinus, Abbas Bonae Spei, Definitor, Vicarius Generalis Floreffiae et Flandriae[3]),

fr. Joannes Lueckenrath, Abbas Steinfeldensis, Generalis Vicarius Westphaliae Provinciae et Definitor[4]),

fr. Nicolais Guinet, Abbas Sanctae Mariae Maioris Mussipontanae, Definitor, Vicarius Generalis Congregationis Antiqui Rigoris[5]),

fr. Dionisius de Lorris, Abbas Vallis Serenae, Definitor et Circariae Franciae Visitator[6]),

fr. L.E. Lowys, Abbas Stivagiensis et Definitor[7]),

fr. Claudius Lestandart, Abbas Vallis Secretae[8]),

fr. Joannes de Housset, Abbas Claraefontis[9]),

fr. Perpetuus, Abbas Leffiensis[10]),

[1]) Vide supra p. 10, notam 2.

[2]) Joannes de Neve, vide supra p. 107, notam 21. — Capitulum generale anni 1663 abbatem Averbodiensem, Servatium Vaes, visitatorem pro circariis Brabantiae et Frisiae elegerat. Cfr. Acta Cap. Gen. V, 1663, n. 146.

[3]) Augustinus de Felleries, sedente Capitulo generali anni 1663 vicarius circariarum Floreffiae et Flandriae constitutus fuerat. Cfr. Acta Cap. Gen., V, n° 145.

[4]) Joannes Luckenrath, qui annis 1661-1680 canoniam Steinfeldensem rexit, sedente capitulo generali anni 1663 ab abbate generali eius vicarius pro circariis Westphaliae, Wadegotiae et Iveldiae constitutus fuerat. Acta Cap. Gen., V, 1663, n. 145.

[5]) Vide supra p. 10, notam 5.

[6]) Vide supra p. 10, notam 7.

[7]) Epiphane Louys, vide supra p. 13, notam 30.

[8]) Vide supra p. 11, notam 9.

[9]) Cognomen abbatis huius invenitur uti Doucet vel Dousset. Vide supra p. 11, notam 12.

[10]) Perpetuus Noizet, vide p. 11, notam 15 et p. 15, notam 51.

fr. Claudius, Abbas Viconiensis, Circariae Floreffiae et Flandriae Visitator[11]),

fr. Edmundus Sauvage, Abbas Bucilliensis[12]),

fr. Servatius Regnauld, Abbas Justimontis[13]),

fr. Cornelius, Abbas Diligemensis[14]),

fr. Du Fresnoi, Abbas Jovillarensis[15]),

fr. Ambrosius De Fraisne, Abbas Belli Reditus Leodii[16]),

fr. Fredericus de Biseau, humilis Abbas Corneoli in Burgundia Comitatus[17]),

fr. Ludovicus Elye, Abbas Marcasii Radulphi[18]),

fr. Petrus Geilrath, Administrator Apostolicus et Coadjutor Knechtstedensis[19]),

fr. Franciscus Buyrette, Secretarius[20]).

Capitulo generali insuper interfuerunt sequentes quin supplicem praedictum libellum subscripsissent[21]):

[11]) Claudius de la Ruë, vide supra p. 201, notam 13.

[12]) Vide supra p. 11, notam 11.

[13]) Vide supra p. 12, notam 20.

[14]) Cornelius Lamberti abbatiale regimen canoniae Diligemensis prope Bruxellam tenuit annis 1662-1678. Cfr. *Le «Liber Mortuorum» de l'abbaye de Dilighem. Necrologium abbatiae Diligemensis* ed. J. LAVALLEYE, in *An. Praem.*, II, 1926, p. 53-57 (pag. spec.).

[15]) Carolus du Fresnoy, abbas Jovillarensis annis 1663-1670. BACKMUND, III, 80.

[16]) Ambrosius Defraine annis 1664-1695 canoniae Belli Reditus (= Beaurepart) prope Leodium (= Liège, Luik, Lüttich) praefuit. BACKMUND, II, 360.

[17]) Fredericus de Biseaux, beneficium abbatiale canoniae Corneolensis (= Corneux), dep. de la Haute Saône, dioecesis Bisuntinensis (= Besançon) annis 1664-1679 tenuit. BACKMUND, I², p. 458.

[18]) Ludovicus Helye uti abbas Marchasii Radulphi (= Marcheroux), dép. de l'Oise, dioec. Bellovacensis (= Beauvais) capitulo generali anni 1666 intererat. Hinc elenchus abbatum prout in BACKMUND, II, 559 ex *Gallia Christiana* depromitur emendandus venit.

[19]) Post depositionem abbatis Petri Teveren a capitulo generali anni 1657 ac post brevem praelaturam Joannis Fraisinne, pendente coram Sede Apostolica recursu Petri Teveren, Petrus Geilrath nomine Sanctae Sedis canoniam rexit, eiusque regimen abbatiale assumpsit post celebratum capitulum generale anno 1666. Cfr. W. GOSSES, *Eine neue Knechtstedener Handschrift*, in *An. Praem.* XIV, 1938, 212-213. Obiit anno 1678.

[20]) Francicus Buyrette, canonicus archicoenobii, factionique Michaelis Colbert deditus, currente causa nullitatis electionis Colbert, deposito procuratore romano Petro Carette, qui iura abbatis le Scellier Romae defenderat, in Urbem tetendit ut ibi tamquam procurator generalis partes Colbert ageret. Postea successive praelaturam canoniae Jandurensis (= Jandeures) (BACKMUND, III, 78) sibi a Sancta Sede conferri obtinuit iunctim cum abbatiis Sancti Joannis de Castella (= Saint-Jean-de-la-Castelle) (BACKMUND, III, 196) et S. Mariae de Sarranceo (= Sarrance) in faucibus Pyrenaeorum (BACKMUND, III, 196). Notus erat Franciscus Buyrette utpote qui graphidis scientiam apprime habuit. Cfr. GOOVAERTS, I, p. 96.

[21]) Norbertum Caillieu et Gregorium du Crocq huic petitioni non subscripsisse ob repudiationem formae procedendi in electione 1 februarii 1666 constat ex elencho eorum

Adolphus Gülich, abbas Saynensis[22]),

Vincentius Cunin, sodalis Communitatis antiqui rigoris, prior claustralis Ressonii[23]),

Norbertus Caillieux, prior Collegii Parisiensis[24]),

Gregorius du Crocq[25]),

Basilius Liegault, prior Sancti Martini Laudunensis[26]).

* * *

Capituli Generalis Canonici Praemonstratensis Ordinis Anno Domini 1666 die 23. Maij et sequentibus Deo Optimo auspice celebrati Acta seu Decreta generalia per omnes Sacri Ordinis Provincias ab Amplissimis Dominis Vicariis Generalibus seu Visitatoribus promulganda.

Sessionis Primae

[1] Exposuit Reverendissimus Dominus Præmonstratensis se prae senio cessisse dignitate sua Abbatiali sub summi Pontificis beneplacito, et a conventu suo Praemonstratensi sub eodem beneplacito ad electio-

qui se Romae provisioni sedis Praemonstratensis in favorem Michaelis Colbert opposuerunt. Cfr. *Oppositiones simul et appellationes ad S. Sedem ex parte diversarum provinciarum, abbatum, praepositorum, priorum, etc. contra R.P. Colbert, priorem Praemonstratensem instrusum in officium generalatus*, in ASV, Miscellanea, Armadio VIII, vol. 101, fol. 356r°.

[22]) Praesentia Adolphi a Gülich, abbatis Saynensis, (vide notam 16, paf. 201 supra) attestatur ex numeris 27, 35 et 36.

Lecta in capitulo provinciali circariae Suevicae convocatione capituli generalis anni 1666, praelati suevi in canonia Augiae Candidae (Weissenau) coadunati ablegaverunt abbatem Marchtallensem Nicolaum Wierieth (1661-1691) «ita tamen manente, ut nunc est, et non mutato interea rerum ac temporis statu». Nullum tamen vestigium eius praesentiae ex actis capituli effodi potuit. Cfr. Cap. Prov. Sueviae, II, 38.

[23]) Vincentius Cunin, prior reformatus canoniae Ressoniensis (BACKMUND, II, 560), constitutus a capitulo Communitatis antiqui rigoris anno 1658. Obnubilata eius praesentia in n.22 translucere videtur.

[24]) Vide supra p. 12, notam 26; p. 108, notam 28.

[25]) Praesentia Gregorii du Crocq, prioris canoniae commendatae Lieu-Dieu-en-Jard (BACKMUND, III, 23), attestatur in n° 39.

[26]) Basilius Liegault, procurator constitutus ab abbate Floreffiensi impedito quominus electioni successoris abbatis generalis Augustini le Scellier adstaret, ab hoc ultimo repulsus fuit asserente praerogativas trium primorum abbatum esse personales non delegabiles. Eadem de causa non admissus fuit titulo repraesentationis abbatis Laudunensis, qui, utpote commendatarius, electioni interesse non valuit. Cfr. Instrumentum cessionis Augustini le Scellier et electionis Michaelis Colbert. ASV, Miscellanea, Armadio VIII, vol. 101, fol. 301v°, 302r°.

nem novi Abbatis fuisse processum, sed de dicto beneplacito licet requisito nondum constitisse nec constare, adeoque hactenus Ecclesiam suam et ordinem rexisse, propterea credere se adhuc Generalem esse, ac Capitulo iam dudum convocato praesidere debere super quo censuerunt Patres Ecclesiam Praemonstratensem nondum censeri viduatam Reverendissimumque Patrem Generalem posse ex iure suo huic Capitulo praesidere, cum non constet de beneplacito Sanctae Sedis, nihilominus ad maiorem cautelam, et ut omnibus difficultatibus via praecludatur, eam huius Capituli praesidem unanimiter declararunt et declarant[27]).

[2] Item Capitulum revocavit omnes Vicarios, Circatores, et omnes Reverendissimi Domini Praemonstratensis et suos commissarios, eosque ab officiis suis seu commissionibus absolvit, et absolutos declaravit nulliusque roboris esse litteras eiusmodi officiorum collativas, si quae ad praesens Capitulum non fuerint relatae.

Sessionis secundae

[3] Item Capitulum examinato libello supplici R.D. Liberti, abbatis Parchensis[28]), ab eodem subscripto die 17 mensis Maii praesentis anni, quo petiit deputari qui examinent contractum venditionis partis iurisdictionis civilis in pago S. Petri-Rode, sub beneplacito eiusdem Capituli, annuens deputavit RR.DD. abbates S. Michaelis Antwerpiensis[29]) et Ninoviensem[30]), qui de commodo vel incommodo inquirant et Reverendissimum Dominum Praemonstratensem vel ad proximum Capitulum Generale referant, ratione facta fiat approbatio vel improbatio contractus prout aequitas dictaverit[31]).

Sessionis tertiae

[4] Item quaesivit R.D. Vallis Serenae an votis secretis Capitulum eligere debeat Circatores seu Visitatores; Capitulum respondit eligendos esse pluralitate vocum Capituli, id est abbatum et definitorum simul, ita

[27]) Hic textus ex actis capituli generalis anni 1666 desumptus invenitur in ASV, Miscellanea, Armadio VIII, vol. 101, fol. 380r°.

[28]) Libertus de Pape, abbas Parcensis, quamvis vicarius pro Brabantia abbatis generalis, capitulo generali anni 1666 abesse maluit uti patet ex eius diario. Cfr. P. Lenaerts, *Journal de Libert de Pape, abbé du Parc (1648-1682)*, Louvain, 1914, p. 123.

[29]) Macarius Simeomo, vide supra p. 108, notam 34.

[30]) Joannes de Neve, nomine praelatorum circariae Brabantiae sessionibus huius capituli interfuit.

[31]) Desumitur hoc decretum ex Archivo abbatiae Parcensis, VII, 47, fol. 192.

ut electus duas tertias suffragiorum habeat, alias a definitorio pluralitate votorum eligendos.

[5] Et quia abbatiarum commendatarum priores putarunt sibi fieri iniuriam per superius decretum petierunt declarari se habere vocem etiam decisivam non minus quam abbates qui non sunt definitores, aut saltem dari sibi commissarios qui eosdem priores desuper audiant et referant, Capitulum resolvit ut priores unum aut duos deputent qui omnium rationes Capitulo proponant.

[6] Item quaesivit R.D. Vallis Serenae an non debeant visitatores et circatores in singulis capitulis Generalibus mutari, respondit Capitulum relinquendum esse Capituli prudentiae utrum iterum velit eos assumere.

[7] Item quaesivit an circator possit eligi de circaria visitanda. Respondit posse.

[8] Item, exposuit R. Abbas Mussipontanus, Communitatis antiqui rigoris vicarius, in eadem Communitate esse moris et legis ut contractus locationis non fiant a Superiore sine consensu Conventus, et petiit etiam decerni R.D. Cuissiacensem teneri servari eiusmodi morem et legem. Petiit dictus D. Cuissiacensis eosdem morem et leges sibi ostendi, et praetendit se eis conformare[32]).

Sessionis quartae

[9] Item, Capitulum ex speciali in Sanctum Franciscum de Sales devotione decrevit fieri deinceps per omnes Ordinis ecclesias die vigesima nona Ianuarii festum eiusdem Sancti Francisci Episcopi et Confessoris cum novem Lectionibus, officio assumpto de Communi, propria collecta et lectionibus et mandavit ut Breviario primo tempore excudendo propriae collecta et lectiones inserantur.

[10] Item fundatores Ordinum volens honorare, decrevit similiter die 31a Ianuarii singulis annis de Sancto Petro Nolasco, religiosorum de Mercede fundatore, uti de uno confessore non pontifice, cum novem lectionibus, officio desumpto de communi, propria collecta et lectionibus primo breviario inserendis.

[11] Item proposuit R.D. Belli Reditus an extra chorum obligentur canonici nostri sub mortali peccato ad recitationem officii defunctorum in die quam vocant animarum, et litaniarum in Rogationibus. Respondit Capitulum non teneri.

[32]) Invenitur haec reprehensio abbatis reformati Cuissiacensis in ms. Nancy, 1767 (994), fol. 324r°.

[12] Item, exposuit R.D. Viconiensis vicarium ita ad posteriores anni partes suas visitationes differre, ut circatori seu visitatori ad visitandum integer non reliquatur annus. Capitulum decrevit ut si vicarius non absolverit suas visitationes intra biennium a celebratione Capituli generalis computandum supersedeat et annum integrum circatori visitaturo relinquat.

[13] Item, propter motas difficultates Capitulum declarat visitationes omnino singulis annis instituendas, ita tamen ut vicarii visitent intra primum annum a Capitulo generali computandum, anno autem secundo a patre abbate (nisi de tempore aliter convenerint vicarius et pater abbas) fiat visitatio, quod si non fuerit a patre abbate facta ad eam procedat vicarius, tertio vero anno a circatore, intacto semper et in omnibus iure Reverendissimi Domini Praemonstratensis qui visitare potest per se vel per alium quandocumque et quotiescumque sibi videtur expedire.

Sessionis quintae

[14] Capitulum mandat vicariis circariarum ubi sunt moniales ut in suo proximo Capitulo provinciali tractent de aetate necessaria pro professione monialium, et de praxi atque desuper sequens capitulum informent ut possit generale decretum edere.

[151) Item, quaesivit R.D. Ninoviensis an quando clausura in aliqua parte monasterii servari non potest propter aedificationem aliaque opera ibidem erigenda censeatur sublata tota clausura, ita ut liceat monialibus adire loca saecularibus pervia et vice versa possint permittere laicis et saecularibus ad loca regularia transitum. Respondit Capitulum utrumque esse impediendum.

[16] Item, R.D. Ninoviensis ex commissione D. Parcensis, vicarii[33]) Brabantiae, retulit fuisse visitata omnia coenobia et vigere disciplinam[34]).

[33]) Libertus de Pape, vicarius constitutus fuit in capitulo generali anni 1663. Vide Acta Cap. Gen., V, 1663, nº 145.

[34]) Ex Archivo abbatiae Parcensis, VII, 47, fol. 92. Assertio haec comprobatur ex itinerario praelati visitantis in decursu anni 1665 canonias Averbodiensem (8-11 aug.), Tongerloensem (12-16 aug.), Hortum conclusum Herendalii (17-18 aug.), Leliëndaal, Mechliniae (19-22 aug.), Grimbergensem (22-25 aug.), Diligemensem (visitatio abrupta ob morbum abbatis 26 aug.), Ninoviensem (27-31 aug.), S. Michaëlis Antverpiensem (3-6 sept.), monasterium SS. Sacramenti ibidem (7-8 sept.), Abbatia Parcensis visitata fuit ab abbate Averbodiensi (11-12 sept.), monasterium demum sororum de Gempe a Parcensi cum Averbodiensi (14-15 sept.). Cfr. P. Lenaerts, *Journal de Libert de Pape...*, p. 93-94.

[17] Item, pro parte cuiusdam religiosi Brabantini proposita sunt puncta sequentia, videlicet non dari sibi decreta Capituli Generalis sub terminis formalibus, sed summarie, idcirco parvipendi Capitulum, ideoque mandat ea communicare in propriis terminis, ita tamen ut particularia particularibus et communia omnibus.

[18) Item pro executione Statutorum ab eo petita, Capitulum mandat in Circaria Brabantiae cantari omnes horas canonicas, excepto Matutino iuxta Statuta[35]).

[19] Item, serventur Statuta quoad colloquia mensalia et prohibitiones conviviorum in vestitione et persolutione Completorii hora septima[36]).

Sessionis sextae

[20] Quaesivit R.D. Ninoviensis an abbas possit quandoque dispensare pro toto conventu ab esu carnium in Adventu et in Septuagesima. Respondit Capitulum non posse, sed ad vicarium recurrere.

[21] Item, Capitulum decrevit et decernit ut omnes canonici Ordinis nostri a Paschate usque ad festum Omnium Sanctorum gerant superpelliceum et almutia omnibus diebus dominicis et festivis in utrisque vesperis et missa, a festo autem Omnium Sanctorum usque ad Pascha in omnibus officiis cappa lanea utantur, nisi apud canonicos saeculares, apud quos degunt, habeatur superpelliceorum in quibusdam festis usus.

[22] Item proposuit R.D. Ninoviensis sibi in praecedentibus Capitulis talliam pro refusione expensarum assignatum fuisse, et supplicavit ut sub censura praecipiatur solutio infra tempus saltem trium mensium facienda, atque de novo Capitulum recognoscat debitum. Capitulum vult stari in decretis et iterum mandat fieri solutionem. Reverendus autem Dominus Ninoviensis protestatus est contra et dixit per hoc sibi non satisfieri et petiit licentiam agendi contra debitores et procedendi via iuris. Tum Venerabilis Pater Cunin prior Ressonienis inhaesit protestationi per Communitatem antiqui rigoris in superioribus Capitulis factae[37]).

[35]) Capitulum provinciale Brabantiae anno 1643 statuerat a capitulo generali peti posse dispensationem a praescripto Statutorum Dist. I, cap. 5, n.3 quo cantus primae et horarum canonicarum imponitur. A.A.T., V, n. 18, p. 81.

[36]) Vide Statuta, Dist. I, cap. 12, nº 18 (de colloquiis mensalibus); cap. 17, nº 23 (convivia); cap. 8, nº 21 (completorium).

[37]) Inchoanti missionem suam romanam contra Communitatem antiqui rigoris Ioanni David, a capitulo generali anni 1627 pensio ducentarum librarum concessa fuit pro

[23] Capitulum mandat communicari decreta Capituli generalis in propriis terminis, ita tamen ut particularia particularibus et communia omnibus.

[24] Capitulum inhibet ne novitii tempore novitiatus studiis philosophicis aut theologicis applicentur.

[25] Item, declarat Capitulum non esse suae mentis ut vicarius et circator simul visitent sed separatim et unus post alium, nisi ex permissu Domini Praemonstratensis post rationes sibi proponendas et approbandas.

[26] Item, declarat praelatos debere in ecclesia loco superpelliceorum uti rochettis et mozetta superposita.

Sessionis septimae

[27] Item quaesivit D. Abbas Saynensis quot debeant interesse choro ad cantandum summum sacrum et horas. Capitulum respondit ut in hoc stetur visitatorum iudicio.

[28] Item utrum vicarii et visitatores Capitulo generali comparentes possint a suis comprovincialibus refusionem expensarum in itinere factarum petere? Respondit posse.

Sessionis nonae

[29] Item, Capitulum perpetuis futuris temporibus mandat circatori Capituli generalis ut advertat ad omnes tam abbates quam priores et religiosos an in veste, colore, collari, capillitio sint conformes statutis, et ubi quosdam cum capillitio incongruo repererit, eos authoritate Capituli ducat ad tonsorem et faciat bene tonderi, in coeteris autem delinquentes coram definitoribus proclamat.

[30] Item, quaesitum an qui simplici beneficio gaudet et habitat in monasterio de communi sustentatione debeat ad manus officialium communitatis proventus sui beneficii consignare pro usibus communitatis impendendos. Respondit Capitulum debere.

expensis faciendis (Acta Cap. gen. 1827, IV, p. 125). Ex actis capituli generalis anni 1630 (p. 154) constat debita procuratoris generalis David ad summam duorum millium septingentorum sex scutorum quadraginta baioccorum ascendisse. Quae pecuniae a canonia Ninoviensi interim impensae, numquam ab Ordine restituae fuerunt multiplicibus decretis capitularibus in hunc finem latis minime obstantibus. Abbas Ferdinandus Vander Haghen Ninoviensis anno 1738 capitularibus iterum ad solutionem talliarum decurrente saeculo praeterito impositarum adhortari debuit sed in vanum. Vide supra Acta Cap. gen. 1657, V, nº 221, cum nota 368.

[31] Item, R.D. Justimontanus retulit fratrem Remigium Boquen detineri et sequestratum esse in monasterio Mussipontano, cui ut iustitia administretur super relatis per R.P. priorem Sancti Martini Laudunensis referendarium, Capitulum committit et deputat R.D. abbatem Buciliensem cum omni Capituli generalis ad praesentem effectum potestate[38]).

[32] Item, lectus fuit libellus fratris Josephi Le Masle petentis sibi restitui vocem qua uti infamator privatus fuit, et cum respondisset R.D. Vicarius Communitatis antiqui rigoris se ad eius veniae petitionem fuisse restituturum, nisi infamati abfuissent ad P. Prioris Ressonii syndici intercessionem condonavit et restituit eidem Le Masle vocem, sub spe emendationis, quam, praesente Capitulo, promisit et ea lege ut sine mora ad Bellae Vallis monasterium unde exiit revertatur[39]).

Sessionis decimae

[33] Item, R.D. Ninoviensis proposuit an si quis saecularis bene conditionatus sese offerat monasterio ad certa servitia v.g. ad portam custodiendam, et velit pro tota vita contrahere, non tamen velit fieri Donatus, et det aliquam summam non annuam, sed semel eamque congruam, possit ab abbate et maioribus domus admitti et contractus fieri absque audito conventu capitulariter congregato. Capitulum definit requiri consensum conventus capitulariter congregati et ad pluralitatem suffragiorum.

Sessionis undecimae

[34] Item, declarat praepositum non iuvari infulis ad praecedendum alium praepositum non infulatum.

[35] Item, quaesivit R.D. Saynensis an sit obligatio celebrandi tria sacra ordinis quando in monasterio sunt tantum tres sacerdotes aitque in Capitulo provinciali Westphaliae decretum esse ut quando sunt tantum duo sacerdotes, teneri ad unum, quando sunt quatuor teneri ad duo, quando sex ad tria et petiit eiusmodi decretum confirmari. Capitulum declarat id debere decerni a vicariis vel visitatoribus in cursu visitationis qui etiam decernant quot debeant interesse choro ad cantandum sacrum et horas.

[38]) Textus authentificatus a capituli secretario Buyrette invenitur in ms. Nancy, 1767 (994), fol. 324r°.

[39]) Ibidem insertus ab eodem invenitur textus numeri 32.

[36] Ad relationem R.D. Ninoviensis referendarii, Capitulum censuit monendos et monet RR.DD. Zabrdovicensem[40]) et Gradicensem[41]) abbates, in negotio unionis aut separationis Monasterii Milovicensis[42]) et Strahoviensis[43]) commissarios, ut suam commissionem exequantur et continuent[44]). Item, retulit idem D. Ninoviensis de Strahoviensi et Doxanensi[45]), quatenus D. Strahoviensis praetendat immediatam superiotatem in Doxanensem et Doxanensem praepositum esse ad nutum eius amovibilem et quod virgines Doxanenses conquerantur se gravatas a Domino Strahoviensi in eo quod iubet eas mutare solitos professionis terminos et oboedientiam in ea sibi, non autem praeposito, promitti, supplicantes manuteneri in sua antiqua professionis formula. Quo finiente, auditus est R.D. Mussipontanus, alter referendarius, qui dixit R.D. Siardum, abbatem Siloensem[46]), conqueri de Domino Strahoviensi et D. Teplensem[47]) et Gradicensem, visitatores de eiusmodi

[40]) Godefridus Olenius annis 1650-1678 canoniam Zabrdovicensem in Moraviae civitate Brunensi (= Bruno), nunc dioecesis eiusdem nominis, sitam rexit. BACKMUND, I², 388-390.

[41]) Agitur verosimiliter de abbate Thoma Olšansky qui canoniae Gradicii (= Hradisko) iuxta civitatem Olomucensem (= Olmuc) Moraviae dioecesis Olomucensis, annis 1657-1666 praefuit. BACKMUND, I², p. 357. Notetur capitulum generale anni 1660 examen litigii inter Strahoviensem abbatem caeterosque circariae abbates relate ab abbatiam Milovicensem commisisse abbatibus Zabrdovicensi et Geracensi. Cfr. Acta cap. gen. 1660, n° 169.

[42]) Milovicium (= Milevsko) vide BACKMUND, I², 365. Cfr. supra p. 177 nota 222.

[43]) Abbas Strahoviensis qui deiectam canoniam Milovicensem recuperaverat nullum ius paternitatis neque alias aliquid de iure in praedictum monasterium praetendebat, sed postulavit ut Milovicum abbatiae Strahoviensi in subsidium concederetur, indeque de constituendo ibi abbate minime curavit. Capitulum provinciale Bohemiae anni 1659, sess. 8a et 9a (Cap. prov. Boh., p. 91 et 92) omni meliori via quaesivit quomodo utrinque et Strahoviensi monasterio de subsidio charitativo ac etiam Milovicensi de actuali abbate provideretur. Vicarius Bohemiae Matthaeus Paul litteris suis diei 17 februarii 1660 petiit confirmari decretum capituli provincialis. Vide Acta cap. gen. 1660, n° 29.

[44]) Cum Thomas Olšansky anno 1666 e vita cessisset dum capitulum generale commissionem de inquirendo et solvendo praetensiones abbatis Strahoviensis continuavit, haud excludendum videtur mendum irrepsisse in scribendo nomine comitis abbatis Zabrdovicensis Godefridi Olenii, ita ut, iuxta commissionem capituli generalis anni 1660, abbas Geracensis loco Gradicensis commissam sibi inquisitionem perficere debuit. Cfr. Acta cap. gen., 1660, n. 169. Haec commissio iterata fuit anno 1663 Abbatibus Zabrdovicensi et Geracensi. Acta cap. gen. 1663, n. 71.

[45]) De figura iuridica praepositi canoniae sororum Doxanensis (= Doksany) (BACKMUND, I², 347) iam antea acriter certatum fuit. Vide Acta cap. gen. 1657, n° 90; anni 1663, n° 66.

[46]) Siardus Falco canoniam Siloensem (= Želiv) prope Humolec in Bohemia, dioecesis Reginae Gradicensis (= Kralovske Hradec) annis 1661-1677 rexit. Cfr. BACKMUND, I², 393.

[47]) Raymundus Wilfert I canoniam Teplensem (= Tepla) in Bohemia occidentali dioecesis Pragensis (= Praha) annis 1658-1670 rexit. BACKMUND, I², 386.

inquisitionibus, quodque semper restitit restitutioni monasterii Siloensis nostri matri suae Steinfeldensi. Quod etiam visitatores magnis iniuriis et contumeliis afficiat et pacem provinciae perturbet, eosque implorare authoritatem Capituli generalis ad eum compescendum et post multum rei ab eodem referendario revocationem retulit R.D. Saynensis et conclusit quod quandoquidem multa in Capitulo provinciali Bohemiae et vicinarum provinciarum per modum dubiorum[48]) et quaestiones positae sunt, quae longam temporis moram requirerent et quaedam earum antea a Capitulis decreta sint[49]), committendum esse a Capitulo generali Patri secretario Reverendissimi Domini, ut singulis cum decretis Capituli conferat, eaque ad alia Reverendissimo Generali pro approbatione aut reprobatione referat. Insuper censuit ut R.D. Strahoviensis compescatur et imposterum litteras diffamatorias non scribat et scriptas revocet. Interea ab actuali exercitio Iurisdictionis paternae in monasteriis quae turbat, salvo iure ipsius, usque ad commissariorum cognitionem suspensus maneat. Capitulum, visis et lectis litteris Caesareae Maiestatis in bonum Ordinis directis et provinciarum quietem summopere exoptans iuxta eiusdem Maiestatis beneplacitum, committit RR.DD. abbatibus S. Michaelis Antverpiensi[50]) et Heylissemensi[51]) qui coniunctim vel divisim, assumpto abbate seu priore qualificato si bene ipsis visum fuerit, cum plenitudine potestatis Reverendissimi Domini Praemonstratensis et Capituli generalis tam ipsi quam assumpto concesso omnes et singulas controversias supradictas decidere et terminare prout in litteris in amplissima forma plenius explicabitur[52]).

[37] Item, retulit R.D. Steinfeldensis, referendarius, R.D. Abbatem Gradicensem scripturis ad Capitulum transmissis probari esse patrem

[48]) Caspar de Questemberg, suis sumptibus canoniam Siloensem recuperarat eamque tandiu in possessione abbatum Strahoviensium manere voluit donec proventus canoniae Siloensis in refusionem expensarum monasterio Strahoviensi applicari valerent. Cfr. Cap. Prov. Boh. 1641, p. 20. Ab anno 1643 abbas regularis canoniae Siloensi praefixus fuerat. Dein ante annum 1666 pauca inveniuntur vestigia oppositionis Siloensium contra paternitatem ab abbate Strahoviensi de facto possessam.

[49]) Capitulum generale anni 1663 Siloensibus paternitatis abbatis Steinfeldensis restitutionem postulantibus respondit prius debere constare de refusione sumptuum quod impendit abbas Strahoviensis pro recuperatione monasterii Siloensis et constato de hoc, ius paternitatis redire debere ad abbatem Steinfeldensem. Cfr. Acta Cap. Gen. 1663, n. 80.

[50]) Macarius Simeomo (1661-1676).

[51]) Lambertus Bals (1662-1688).

[52]) *Commissio ad instantiam imperatoris Leopoldi primi data per generalem nostrum Rev. mis Dominis Macario Simeomo, abbati S. Michaelis et Lamberto Bals, abbati Heylissemensi ad visitandas abbatias Bohemiae.* AAT, Antwerpen Sint-Michiels, Index archivae abbatis, fol. 34v°.

abbatem monasterii Pernecensis[53]), verumtamen nihil datum esse pro defensione ex parte Pernecensium, et cum ex statu monasteriorum per visitatorem seu circatorem in scriptis exhibito pateat, quod abbas Gerasenus[54]) habeat ius fundatum, videri posset Capitulum generale decernere abbatem Gerasenum manutendum esse in possessione eiusmodi iuris. Capitulum decernit abbatem Gerasenum manutenendum esse in dicta paternitate donec praepositus Pernecensis contrarium protulerit eorum circariae vicario cui Capitulum decidendi dat postestatem[55]).

[38] Item, lecta solemni proclamatione adversus R.D. Strahoviensem facta ab abbatibus Teplensi et Gradicensi, visitatoribus a Capitulo generali deputatis, quod recusaverit eorum visitationes et requisitionem eorundem a Capitulo generali, ipse D. Strahoviensis iuxta Statuta Ordinis puniatur. Capitulum remittit ad RR.DD.abbates Sancti Michaelis et Heylissemensem in aliis causis Bohemiae Capituli generalis commissarios qui coniunctim vel divisim causam cognoscant et prout iuris fuerit, cum R.D. Strahoviensi agant, puniant aut absolvant.

Sessionis duodecimae

[39] Item, retulit R.P. prior collegii Parisiensis nomine omnium priorum abbatiarum commendatarum et deductis rationibus petiit declarari priores eiusmodi habere vocem decisivam non minus quam abbates non definitores. Pater Gregorius du Crocq, nomine aliorum priorum institit ne R.D. abbas Vallis Secretae habeat votum in hac deliberatione, dicendo quod cum priores fixerint iam ante unum pedem obtinendo vocem consultativam ab amplissimo Capitulo, velint etiam alterum pedem figere obtinendo vocem decisivam. Re deducta ad definitorium ob insufficientem numerum votorum inter omnes abbates votantes dictum fuit Dominum abbatem Vallis Secretae aperuisse suam mentem et debere recedere a definitorio cum iam antea recessissent ab eodem definitorio Domini priores collegii Parisiensis et Sancti Martini. Proposita autem fuit controversia principalis, nimirum priores omnes vocati ad Capitulum generale debeant habere vocem decisivam, ut habent Domini abbates qui non sunt definitores? Dictum fuit haeren-

[53]) Pernegg, canonia, inde a 1582, virorum sub praeposito, prope Horn in Austria, inferiori, dioecesis Sancti Hippolyti (= Sankt Pölten). BACKMUND, I², 371.

[54]) Johannes Westhaus (1650-1674), cfr. BACKMUND, I², 354.

[55]) Decreta sub nn. 36 et 37 reperiuntur in codice non signato asservato in Curia Generalitia O. Praem. Romae.

dum in decretis Capitulorum praecedentium quibus sufficienter provisum est[56]).

[40] Et post decretum factum repraesentatum fuit Capitulo breve Sanctissimi Domini Nostri Alexandri papae septimi quo conceditur prioribus ordinis abbatiarum commendatarum in Gallia ut plures eorum vel pauciores, pro paucitate vel pluralitate abbatum convenientium ad Capitulum generale in definitores eligantur modo tertiam partem definitorum non excedant, datum die 19 decembris anni 1664[57]). Reverendus vero pater Caillieu prior collegii Parisiensis nomine priorum exposuit ipsos nihil aliud praetendisse, cum breve apostolicum Alexandri septimi datum 19 decembris 1664 petiverunt et obtinuerunt, quam ut confirmarentur authoritate apostolica decreta Capitulorum generalium circa eorum electionem et assumptionem in definitores nec unquam habuisse in mente RR.abbates aut eorum authoritatem quam semper venerati sunt laedere. Verum quia occasione dicti brevis apostolici adverterunt animos nonnihil commoveri, pro bono pacis et pro tranquillitate conservanda in ordine declararunt se libentissime obtentioni dicti brevis renuntiare, velleque illud haberi pro nullo, ita ut nullius umquam sit valoris ac si numquam emanasset tam pro se quam pro successoribus suis prout de facto renuntiant, sed dumtaxat velle stare decretis praedictorum Capitulorum, quam declarationem Capitulum acceptavit et acceptat et dorso ipius brevis in archivo Capituli generalis conservandi inscribi mandavit.

[41] Lectum est Actum capitulare sigillo Communitatis antiqui rigoris munitum et multis syngraphis notabile quo patres Communitatis praedictae in suo Capitulo congregati approbant et ratificant omnes Colloquii Bonae Spei articulos[58]) et Capitulum mandavit illud iungi dictis articulis[59]).

Sessionis decimaetertiae

[42] Item ad propositionem R.D.Bonae Spei festum principale S.Augustini evexit ad primum classem.

[56]) Vide Acta cap. gen. 1625, IV, p. 109; 1657, V, nn. 6, 7.

[57]) Breve Alexandri VII, *Exponi nobis*, 19 decembris 1664, ed. *Bullarium Romanum*, editio Taurinensis, vol. 17, 327-328.

[58]) Resolutiones colloqui Bonae Spei habiti a die 11a ad 16am Iulii 1661 insertae fuerunt supra p. 188-199.

[59]) Hoc capituli decretum reperitur in ms. Nancy, 994, fol. 324r°.

[43] Item, Capitulum providere sibi volens circa regimen totius ordinis attenta valetudine tam inconstanti et infirma Reverendissimi Patris Generalis ne ordo sine patre et superiore remaneret nominavit et nominat in Vicarium Generalem totius ordinis in casu vacantis per mortem vel alio quovis modo Reverendum Patrem Michaelem Colbert priorem Praemonstratensem.

[44] «Protestor me opponere ut tractetur in praesenti amplissimo Capitulo de pensione aut cessione Reverendissimi Domini Generalis et de his quae pertinent ad dictam cessionem utpote quae agitantur coram Sancta Sede.

Signatum fr. Norbertus Caillieu, prior collegii Parisiensis et Capituli definitor cum parafo»[60]).

[45] Item Capitulum decrevit supplicandum esse Sanctissimo Domino Nostro pro obtinenda confirmatione electionis Reverendi Patris Michaelis Colbert in Abbatem Praemonstratensem Generalem[61]). Ad quod respondit fr. Norbertus Caillieu praedictus se suis oppositionibus inhaerere.

[46] Item ventum est ad electionem vicariorum et circatorum seu visitatorum itaque Reverendissimus Dominus Generalis elegit sibi in vicarios generales Bohemiae et circariarum unitarum R.D.S. Vincentii Wratislaviensem; Franciae reservavit sibi Reverendissimus Dominus Praemonstratensis; Brabantiae: Reverendum Dominum Abbatem Parchensem.

[60]) Praedicta protestatio invenitur in actis processus contra Michaëlem Colbert in ASV, Miscellanae, Armadio VIII, vol. 101, fol. 334r°. De pensione abbati le Scellier cedenti oblata post electionem per viam compromissi prioris Michaelis Colbert, haec verbatim inveniuntur in instrumento electionis: «Iterataque petitione a Reverendissimo Domino Praeside praefatus electus in eadem corporis prostratione perseverans, consensum iteravit, superaddens quod non sine pudore in caput tanti Ordinis electum se videret, dum religiosum humillimum minimumque se cognosceret, statimque dicti RR.DD.abbates ceterique capitulares dictum R.D.Praesidem (= le Scellier) obsecrarunt, ut sex millium librarum pensionem de redditibus dictae Abbatiae annuatim per residuum vitae tempus solvendam acceptaret, adjungentes aequum non esse ut ei quem humilitas et prudentia omnibus spoliaverat eorum gratitudo et providentia non deesset totum ordinem supplicaturum apud Summum Pontificem pro confirmatione tam dictae pensionis, tam novi in Abbatem electi, ad hoc cum respondisset R.D.Praeses vitam fore brevissimam divinamque providentiam sibi sicut ceteris Ordinis religiosorum minimis non defuturam, tamen se votis eorum annuere». ASV, Miscellanea, Armadio VIII, vol. 101, fol. 310r°.

[61]) Supplex hic libellus asservatur in ASV, *Acta Congregationis Consistorialis*, anno 1666 (c.3123), fol. 7r°-v°, 12v°.

Item Capitulum elegit in circatores seu visitatores qui sequuntur: Franciae: R.Dominum Vallis Serenae; Brabantiae: R.Dominum Ninoviensem.

Item continuat procuratorem Romanum et Parisiensem videlicet R.P.Petrum Carette[62]) et R.D. Nicolaum Aubert Abbatem Belli-Loci[63]).

[47] Item, inseratur commissionibus vicariorum et circatorum, ut decretum de talliis Ninoviensi Ecclesiae debitis intra medium annum mandetur executioni et talliae tradantur iisdem vicariis, aut circatoribus ad R.Dominum Ninoviensem transmittendae idque ex mandato Capituli.

Sessione 14 eaque matutina

[48] Item indicit Capitulum Generale proxime futurum Praemonstrati vel alibi si judicaverit expedire Reverendissimus ad diem 19 Maij anni 1669 quae incidit in Dominicam *Cantate*.

Concordat uti testor infra scriptus Reverendissimi Domini et Capituli Generalis secretarius et erat signatum fr. Francicus Buyrette.

[62]) Petrus Carrette procurator constitutus a capitulo generali anni 1657, die 5 maii anni sequentis 1658 Romam appulit. AAT, *Coll. Rom*, reg. 3, fol. 13r°.

[63]) Canonicus canoniae Branensis (= Braine) iam anno 1657 in civitate Parisiensi procuratorem provinciarum Franciae et Pontivi egit. Acta cap. Gen. 1657, n. 3. Anno 1662 dignitate abbatiali canoniae Belliloci (= Beaulieu), dép. de l'Aube, dioecesis Trecensis (= Troyes) auctus fuit. BACKMUND, II, 483.

1670

Acta et decreta capituli generalis anno 1670 celebrati eduntur quae reperiri potuerunt in transumptis variis in archivis asservatis, nam textus integer protocolli huius consessus nondum prostat. Hinc est quod praeter communia omnibus destinata, particularia circariis vel canoniis quorum intererat directa tantum in archivis passim sparsis inveniuntur. Insuper, uti iam dictum est, mos invaluit, compendium edictorum potius quam ipsius decreti tenorem cum variis canoniis communicandi. Exinde praxis evanuit recensendi nomina et qualitates omnium capitulantium ita ut non certo constet de constitutione supremi huius corporis legislativi Ordinis Praemonstratensis.

Substratum praesentis editionis exsistit in serie decretorum ex diversis capituli huius sessionibus depromptorum, quae cura vicariorum generalium canoniis suarum circariarum exhibita fuere. Pro circaria Brabantica adest transumptum, autographo vicarii generalis Liberti de Pape firmatum, in AAT, IV, 53, nn. 54, 56, 57; AAA, I, reg. 271, foll. 45-48; AAP, VII, XXXII, 2, n. 104. Decreta promotionem Michaëlis Colbert ad sedem abbatialem Praemonstratensem concernentia, de quibus in introductione ad capitulum generale anni 1666 fuse tractavimus, sicut et aliae quaedam ordinationes circarias Galliae spectantes ex ms. Nancy, 1767 (994), foll. 329r°-335v° assumpsimus. Nullum vestigium decretorum particularium pro circaria Bohemica ac pro circariis eidem coniunctis reperiri potuit in armariis harum regionum.

* * *

Indictio Capituli Generalis Canonici Praemonstratensis Ordinis ad annum Christi 1670.

Frater Michael Colbert Deo et Apostolicae Sedis gratia Praemonstrati Abbas, eiusdemque Ordinis Caput et Generalis, Regi Christianissimo a Sanctioribus Consiliis, universis et singulis DD. Abbatibus, Praepositis, Prioribus, Collegiorum Praesidibus, Decanis, Archipresbyteris, Canonicis, Abbatissis, Magistris, Priorissis, Sanctimonialibus, aliisve quovis nomine nuncupentur Regularibus Ordinis nostri praefati, Salutem et paternam nostram benedictionem [1]).

Ad sacram Divi Norberti Sedem, meritis quidem imparibus divina tamen dispositione, quam Apostolica nobis declaravit auctoritas,

[1]) Praedictae litterae convocationis inscriptae fuerant Abbati Schäftlariensi, Aniano Mayr, vicario abbatis generalis pro circaria Bavarica (BACKMUND, I², 23) et asservantur in AAT, sect. IV, 53, n° 53.

Notandum quod Michaël Colbert, iam ante provisionem beneficii abbatialis Praemonstratensis, anno nempe 1668, ad executionem deducere intenderat decisionem capituli generalis anni 1663 (Acta Cap. gen. V, 1663, n° 151) exquirendo possibilitatem celebrandi capitulum anni 1669 in abbatia Sancti Michaelis Antverpiensis. Huius abbatiae praelatus hoc fieri non posse iudicans absque gubernatoris Belgii beneplacito, aulam Bruxellensem adiit sed libellum supplicem ad Consilium Status remissum dicebatur. Cfr. P. LENAERTS, *Le Journal de Libert de Pape*, Louvain, 1914.

7 A 246

assumpti, et Candido Praemonstratensium Gregi praepositi, boni Pastoris exemplo pecoris nostri vultum nosse cupientes, generalia nostra Comitia, quae hocce anno legitimis de causis, praetermissa fuere, proximo saltem ad Dominicam *Cantate*, quae in Iam Maij mensis incidet, indicenda esse seu convocanda censuimus, ac per praesentes, indicimus et convocamus. In virtute salutaris oboedientiae ac sub poenis Iuris et Statutorum nostrorum, omnibus et singulis Dominis Abbatibus, Praepositis, Prioribus, aliisve cuiusvis nominis existant, Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, domorumque Conventualium Ordinis nostri praefati Superioribus seu Administris, praecipiendo mandantes, ut ad dictam diem in Ecclesia nostra Praemonstrati ritu per Statuta nostra dist. 4 praescripto, conveniant. Ex illis autem circariis nostris seu Provinciis quibus ob causas eadem Statutorum nostrorum distinctione cap. 1 praescriptas, per Deputatos Capitulis nostris Generalibus comparendi facultas concessa est, duo ad minus Abbates seu Praelati eiusmodi Provinciarum expensis conveniant qui earundem tam in spiritualibus quam temporalibus statum cognitum habeant nobisque ac Patribus pro comitiis supradictis congregandis fideliter et accurate manifestent. Alii vero Praelati seu Superiores in propria persona aut si legitimis ex causis ipsi per se venire non possint, saltem iuxta Pontificias Constitutiones Statutaque nostra mox citata per Priorem suum vel aliquem e suis canonicum, ad id idoneum, iisdem nostris Comitiis comparere teneantur. Ut autem eiusmodi status nobis rectior fiat atque apertior, vos omnes et singulos quos Dominus Episcopos posuit, nobiscum Ordinem suum candidum regere quem acquisivit sanguine suo, per eiusdem Dei ac Domini nostri Jesu Christi viscera admonemus, adhortamur, obsecramus, ac etiam, in quantum opus sit, vobis praecipiendo mandamus, ut in primo Capituli nostri Generalis supradicti co(n)sessu, dictarum Ecclesiarum, monasteriorum seu locorum a Deo Optimo curae vestrae per nos commissarum, fundationis Instrumenta, libertates, exemptiones, Privilegia quot in ipsis personae Regulares sint aut esse possint Ecclesias, monasteria fundationis titulo a vestris dependentia Prioratus, Pastoratus aut alia cuiusvis nominis beneficia, curata seu non curata, denique omnium et singulorum Ordinem nostrum praefatum dictis in locis profitentium nomina, cognomina, mores, qualitates, nobis scripto quasi in tabella referre seu depingere sic studiatis ut a modo, ope vestra oves nostras, cum opus fuerit educere, propriisque singulas vocare possimus nominibus. Ita enim fiet ut in Ordine nostro, vere sit unum Ovile et unus Pastor. Sed ne quis praesentium ignoratione,

UNIV. BIBL. TÜBINGEN

suam obtegere queat inobedientiam, Reverendis admodum Vicariis nostris Generalibus, in quibuscumque Regnis, Statibus seu Provincijs existant, districte praecipiendo mandamus ut eas in suae Jurisdictionis Ecclesiis, monasteriis et locis supradictis publicantes nostra et Capituli nostri Generalis auctoritate mandent iisdem ab omnibus quorum interest obtemperari. Quia praesentis Indictionis seu mandati nostri originalis litterae, chirographo ac sigillo nostris communita circumferri ac omnibus exhiberi seu ostendi nequeunt, volumus ut earundem transumptis Secretarii nostri manu subscriptis, eadem quae ipsi autographo fides habeatur.

Datum in nostro Parisiensi Collegio die tertia Septembris Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo nono.

In quorum fidem et robur praesentes manu nostra et Secretarij nostri subscriptione, sigilli nostri in cera rubra impressione fecimus communiri.

Signatum Fr. Michael Colbert, Abbas Praemonstratensis et generalis.
L + S et infra: De mandato Illustrissimi et Reverendissimi Domini mei, Domini Abbatis Praemonstratensis et Generalis et erat signatum F. Franciscus Buyrelde (sic) secretarius.

Capituli generalis Sacri Praemonstratensis Ordinis acta et decreta anno gratiae 1670 mense septembri sequentibus sessionibus edita ac promulgata.

Ex sessione prima habita 7a septembris post meridiem

[1] His ita praemissis ad Capituli generalis ultimo praeteriti actorum relectionem seu revisionem processum est, lectumque ad ultimum usque quartae sessionis articulum[2]), qui ob difficilem ipsius, prout iacet, executionem, ita Capituli Patribus explicandus visus est: videlicet ut circator tertio anno visitans, immutare aut alterare non possit decreta a Reverendissimi Domini Vicario in suis visitationibus edita, sed si quid in eis immutandum sit, vel ipsum Vicarium ea de re consulat aut capitulo generali proximo referat. Si quid tamen ab ultima visitatione facta correctione aut emendatione dignum emerserit suo Visitatoris officio iuxta Statuta fungatur, sed extra suam visitationem nil omnino

[2]) Vide Acta cap. gen. V, 1666, n. 13.

decernere praesumat, declaratque Capitulum Circatores non nisi ad unum visitationis actum intra triennium committi, eosque nullam habere extra suae visitationis actum praecedentiam.

[2] Ad quintum sessionis 5ae[3]) responsum est: nondum potuisse a Vicariis circariarum ubi moniales petitae informationi satisfieri, excepta Westfaliae circaria, quae octodecim annorum terminum earum professioni praefigendum esse censuit.

[3] Ad articuli sexti[4]) ultima verba, scilicet *utrumque esse impediendum* Capitulum addendum esse declaravit *a superiore loci, quantum fieri poterit, idque aucthoritate Capituli.*

[4] Ad 1 sessionis sextae[5]) addendum *defendendo, et argumentando possint tamen Lectorem explicantem audire.*

[5] Caetera dicti Capituli generalis decreta generalia Capitulum praesens grata et rata habuit.

Ex sessione secunda 8a septembris ante meridiem

[6] Capitulum mandat visitatoribus a capitulo generali constitutis ut iuxta Statuta nostra distinctione 4a cap. 17 Ecclesiarum quas visitaverint statum et in iis factas ordinationes ad proxime sequentia referant capitula generalia in archivo Praemonstratensi conservanda, quod quidem Statutum ad Reverendissimi Domini generalis vicarios aliosve quavis ordinis auctoritate commissos visitatores sive ordinarios, sive extraordinarios extendi voluit ac extensum declarat.

[7] Tum Pater Gregorius Ducrocq Praemonstratensis canonicus prior Deilocensis[6]) Capituli definitor libellum supplicem porrexit, legit, capitularibus actis inseri petiit et hunc in finem ad secretarii manus tradidit sequentis tenoris:

Reverendissimo Capitulo generali Praemonstrati anno 1670 die octava septembris sedenti.

Exponit humiliter frater Gregorius Ducrocq canonicus Praemonstratensis Prior claustralis Dei Loci atque eiusdem capituli definitor quod magnis conscientiae motibus agitatus non poterit eos in sinu Reverendorum

[3]) Vide Acta cap. gen. V, 1666, n. 14.

[4]) Vide Acta cap. gen. V, 1666, n. 15.

[5]) Cum decreta ultimi capituli non omnia omnibus communicata fuerint, textus cui huiusmodi emendatio applicanda erat prae manibus non habemus.

[6]) Notus ille prior qui antea pluries munus secretarii capituli generalis obiit, periclitantem canoniam Dei-Loci-in-Jardo, rexit (N. Backmund, III, 23). Cfr. Acta cap. gen. V, 1660, p. 112.

Capitularium heri in prima sessione deponere, quia ut ij motus componerentur oportebat capitulum formatum esse et definitoribus coeterisque officiarijs constare, ac per hoc definiendi authoritatem habere conscientia itaque exponentis in duobus punctis supplicat quietari.

Primum punctum:

An Reverendissimus Dominus Michael Colbert factus in postremo Capitulo vicarius generalis ordinis[7]*), ac impraesentiarum legitimus abbas Praemonstratensis et noster Generalis, in qua quaestione protestor me contra personam nihil habere, sed de modo plurimum dubitare. Propterea supplico Bullas suas Apostolicas exhiberi Capitulo, et alia si quae habet diplomata, ut post examen sciamus an a legibus Ordinis Praemonstratensis non devient et in eo eventu, quomodo stabiliri possit eius authoritas, ut ei reddatur rationabile obsequium nostrum.*

Secundum punctum:

Post ultimum Capitulum visitata fuit Ecclesia nostra Praemonstratensis a nonnullis RR. Abbatibus, inter quos fuit R.D. Penillon, abbas Albae Curiae[8]*), dubitatur autem de eius authoritate et quaeror de actis visitationis uti incompletis. Ideo supplico praesens capitulum ea integra referri, personas laesas audiri, laedentes puniri, et acta irritari.*

Signatum: Gregorius Ducrocq prior Dei Loci definitor.

Cuius libelli supplicis copiam sibi tradi et communicari petijt Reverendissimus Dominus Praemonstratensis praefatus, sicut et Dominus Abbas Albacuriensis quibus de jussu libellus per copiam a secretario subsignatam communicatus fuit, quo facto praesentem sessionem Reverendissimus Dominus finitam esse pronuntiavit, et tertiam ad horam tertiam pomeridianam indixit[9]).

[7]) Cfr. Acta cap. gen. V, 1666, n. 43.

[8]) Vigore facultatum a rege Christianissimo, vacante per obitum Alexandri VII († 22 maii 1667) Sede Apostolica, emanantium, Michael Colbert, abbas Praemonstratensis electus non confirmatus, tribus primariis Abbatibus visitationem archicoenobii commisit, ubi Augustinus le Scellier regimen retinuit quia cessio generalatus a se peracta sub beneplacito Sanctae Sedis, ab eadem Sede Apostolica nondum acceptata fuit. Abbas autem Floreffiensis, secundus Ordinis primarius Pater, denegata a gubernatore Belgii Hispanici licentia Galliam adeundi, sibi substituit Joannem Penillon, Albae Curiae abbatis (BACKMUND, II, 541). Cfr. ASV, *Miscellanea*, Armadio VIII, vol. 101, fol. 347v°-348r°.

[9]) Textus numeri 7 asservatur in NANCY, *Bib. Mun.*, ms. 1767 (994), fol. 329 r°-v°. — Ducrocq adunationi collegii electoralis archioecobii Praemonstratensis interesse renuit ubi, die 1 februarii 1666, abbas generalis Augustinus le Scellier munus suum dimittere ac ut unicus compromissarius Michaelem Colbert in suum successorem eligere intenderat. Postea illis religiosis se iunxit qui Romae validitatem tam dimissionis quam subsecutae electionis impugnantes Michaeli Colbert aditum ad praelaturam praecludere conabantur. Cfr. ASV, *Miscellanea*, Armadio VIII, vol. 101, fol. 301v°.

Ex sessione tertia 8a septembris matutina

[8] Hanc sessionem aperuit Antiphona *Veni Sancte Spiritus* qua absoluta omnibusque suo loco sedentibus Reverendissimus Dominus Praemonstratensis dixit et declaravit praeposteram esse petitionem dicti Patris Gregorii Ducrocq quandoquidem sessione prima in ipso Definitorio exposuerit punctum illud non tangere Capitulum generale sed conventum Praemonstratensem ad quem solum pertinet ius electionis et receptionis canonicae abbatis Praemonstratensis qui ipsum virtute bullae pontificiae, Rege approbante, via canonica receperit et ex eo sit etiam Generalis ordinis. Hinc requisivit ut Capitulum praesens dicto Patri Gregorio Ducrocq et aliis quibuscumque silentium perpetuum imponat et de facto dictum capitulum silentium imposuit et praefatum Reverendissimum pro suo Generali agnovit et agnoscit, absque eo nihilominus quod forma in qua dicta bulla fuit expedita possit in consequentiam trahi, neque praeiudicare juribus electorum et ordinis nostri regulis et constitutionibus[10]).

[9] Item propositae quaestioni an qui laborat non hernia seu ruptura actuali, sed dispositione ad illam suo tempore contrahendam quae tamen usu ligaminis applicito impediri queat admitti possit tam ad vestitionem quam ad professionem; et an in herniae impedimento dispensari non possit, Capitulum respondit dispositionem ad herniam quae tolli potest iudicio medicorum non esse impedimentum canonicum vestitionis ac professionis secut et herniam actualem declaratam et recognitam quae attestantibus scriptis medici onera aut officia Religionis non impediat.

[10] Item Capitulum explicando decretum anno 1663 sessione decima quinta[11]) editum a duobus praecedentibus Capitulis iam resolutum quod incipit: *Quotiescumque pro bono reformationis continget aliquos religiosos, legitima aucthoritate in aliud suae professionis monasterium dimitti, sive ut sint officiales, sive conventuales, gaudeant omnibus iuribus et causis voce activa et passiva, sicut et stallo suae professionis ac si essent in monasterio ad quod mittuntur expresse professi, excepta electione Praelatorum ad quam non habent vocem activam*, declarat sub nomine *reformationis* et *boni communis* comprehendi novitiatum et studium adeoque

[10]) Hic textus invenitur in ms. Nancy, 1767 (994), fol. 329v°-330r°.
[11]) Cfr. Acta cap. gen. V, 1663, n. 113.

illos eisdem iuribus donandos, qui e suis domibus, in quibus constitutus est novitiatus communis, aut studium ad alia monasteria mittuntur, ut scholaribus, vel novitiis locum cedant.

Ex sessione tertia 8a septembris post meridiem

[11] Implorato septiformis Spiritus ope, Capitulum religiosorum quieti ac tranquillitati prospiciens statuit abbatibus commendatariis portam qua praefati arbitratu claustrum aliaque loca regularia ingredi possint imposterum denegandum esse ne famulis alteriusque sexus personis ad eiusmodi loca penetrare possint ac in iis tumultum excitandi pascat occasio[12]).

[12] Capitulum intentum semper in majorem cultum Beatissimae Virginis Mariae Ordinis nostri Candidi singularis Patronae decrevit festum Conceptionis illius celebrandum esse cum octava: lectionibus infra octavam ex officio nuper Romae impresso, iuxta morem Breviarii nostri, prima videlicet lectione de Scriptura occurente, secunda et tertia ex homiliis Patrum desumptis, servato tamen Dominica infra octavam officio de Adventu cum antiphonis ad Benedictus et Magnificat. In officio de Domina, sicut fit infra octavam Nativitatis eiusdem Beatae Virginis in festo Exaltationis Sanctae Crucis. Item decrevit festum Nativitatis Beatae Mariae evehendum esse ad festum triplicium secundae classis.

[13] Capitulum sibi repraesentari iussit decretum Capituli generalis anni 1663 sessione septima[13]) quod sic habet: *Discussum est quae et qualis recreatio danda sit scholaribus? Capitulum resolvit dandam singulis annis recreationem aliquam seu deambulationem honestam, moderandam tamen secundum iudicium Superioris ad loca non longe distantia a monasteriis, in quibus sunt studio occupati*, quod decretum praesens Capitulum expungi iussit et eiusmodi recreationem dandam seu denegandam relinquit Superiorum arbitrio.

Ex sessione quarta, nona septembris hora octava matutina

[14] Invocata pro more almi Spiritus assistentia, Capitulum providere volens necessitati Breviariorum maioris formae, quorum exemplaria desunt apud typographum ne mendosa prodeant sed tersi et nitidi

[12]) Hic textus invenitur in ms. Nancy, 1767 (994), fol. 330v°.
[13]) Acta Cap. gen. V, 1663, n. 35.

caracteris ac melioris quam alias chartae, deputavit Dominos abbates S. Michaelis Antwerpiensis[14]), Parchensem[15]), Marchtalensem[16]), Saijnensem[17]), Dompmartinensem[18]), Stivagiensem[19]) ac Patrem Priorem Collegii Coloniensis[20]), qui agent de pretio et vectoria ad partes remotiores cum Domino Leonardo Ordinis Typographo ac nomine Capituli convenient, hoc addito quod privilegium non renovabitur imposterum in favorem alicuius typographi absque consensu et consilio Capituli[21]).

[15] Ad ordinis in gestandis sub divino officio almutiis uniformitatem, ea sint omnino alba et ex pellibus cuniculorum secundum usum et morem patriae, mandatque Capitulum ut in omnibus ordinis nostri provinciis ea superiores comparent et gestari curent prout praescribit Ordinarius.

Ex sessione sexta die decima hora octava matutina

[16] Capitulum statuit et decrevit ut cum de majorum domus iudicio et consensu secundum Statuta vel ordinationem Vicarii aut Patris Abbatis, aliqua fuerint praevio diligenti examine resoluta et necesse est ad usum, et praxim fori Gallici, conventuales omnes contractui v.g. procurationi ad lites, permutationi aut alii cuicumque contractui vel actui subsignare huiusmodi resolutionibus sese conformare teneantur ac sine contradictione subsignent sub poena inoboedientiae et gravioris culpae, prout in similibus ordinatur in Statutis Dist. quarta, capite trigesimo, numero sexto[22]).

[17] Interdicit etiam cuicumque conventuali, ne in colloquio aut alibi ullus sermo injiciatur de regimine temporalium qui murmur sapiat et injicienti statim a praeside conventus aut seniore silentium imperetur et in capitulo proclametur, alioquin ipse complex habeatur et tam superior

[14]) Macarius Simeomo, vide supra p. 108, notam 34.

[15]) Libertus de Pape, vide supra p. 105, notam 5.

[16]) Nicolaus Wierieth qui canoniam Marchtalensem (Württemberg), BACKMUND, I², 64) annis 1661-1691 rexit. Iam intererat capitulo generali anni 1657 vide supra p. 14.

[17]) Adolf Gülich.

[18]) Philippus Babeur, vide supra p. 10, notam 3; p. 45, notam 211; p. 105, notam 6.

[19]) Epiphanius Louys, vide p. 13, notam 30.

[20]) Theodorus Firmenich (1665-1678), professus Steinfeldensis (BACKMUND, I², 226) qui inde ab anno 1680 suae canoniae uti abbas praefuit (BACKMUND, I², 256).

[21]) Typographus Léonard Parisiensis olim ab abbate generali le Scellier monopolium editionum Ordinis obtinuit die 22 augusti 1662. Vide Acta Cap. Gen., V, 1663, notam 76, p. 211.

[22]) Poena hisce transgressionibus annexa erat depositio ipso facto incurrenda.

quam alii exacte observent quae habentur capite *De priore* Dist. 2a, num. 22, 23, 25 et 26[23]) quod decretum vult etiam extendi ab abbatias ubi sunt abbates regulares.

[18] Cum fuerit delata a Prioribus commendatis in monasteriis querela diversos religiosos sese opponere regimini suorum Priorum uti excedentium limites suae commissionis, Capitulum declarat dictos Priores iuxta rescriptum Statutorum et litteras suae institutionis habere plenam facultatem in utroque foro regendi et administrandi monasterium sibi concreditum, adeoque rebelles et indisciplinatos iuxta dictamen Statutorum posse et debere coerceri ab ipsis Prioribus quem facultatem interpretatur Capitulum iuxta decreta Capitulorum generalium annorum 1618 et 1663[24]).

Ex sessione septima die decima post meridiem

[19] R.D. abbas Tongerloensis[25]) petiit explicari locum Statutorum Dist. 3a, cap. 2, n. 19[26]) et decerni qua poena plectendus sit qui exiit extra monasterium per breve tempus, an poena fugitivorum? Capitulum respondit quod exeunti ex monasterio per breve tempus, scilicet per horam aut circiter sit duplicanda poena contenta in loco Statutorum praeallegato, non autem poena fugitivorum plectandus.

[20] Quaesitum est an conventuales et omnes qui foris degunt debeant sicut in electione abbatis sic et in ipsius Bullarum receptione et installatione revocari? Respondit Capitulum de iure non esse vocandos foris habitantes, sed maxime expedire ut convocentur et adsint receptioni Bullarum et installationi.

[21] Quia autem in diversis dioecesibus reservatur peccatum externum grave in materia luxuriae respectu complicis, ita ut non possit confessarius complicem absolvere, hinc Capitulum declarat idem peccatum reservari in ordine nostro tam respectu virorum quam sanctimonialium, ita tamen ut complex ab alio confessario possit absolvi.

[23]) Modus sopiendi dissensiones inter praelatum et conventum mediante priore praescribitur in praelaudatis numeris capitis X, dist. II.

[24]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1663, n. 89.

[25]) Jacobus Hroznata Crils abbatiale regimen canoniae Tongerloensis (= Tongerlo) provinciae Antverpiensis, dioecesis Antverpiensis, annis 1664-1695 laudabiliter tenuit. BACKMUND, II, 335.

[26]) «Huic quoque poenae [ieiunii unius diei in pane et aqua] subdantur qui sine licentia claustrum exire praesumperint et si pro consuetudine hoc habeant, gravius puniantur».

[22] Propositis quaestionibus a R.D. abbate Averbodiensi[27]) Capitulo respondit:

Ad primam, iuramentum non exigi a pastoribus de descriptione mobilium et de computu dandi, esse tamen puniendos si illa non exhibeant.

Ad secundam, pastores notabilia debita contrahentes et moniti non solventes puniendi sunt poena ad arbitrium superioris secundum qualitatem culpae et accedente ad poenam dicti loci Statutorum exclusa tamen privatione sepulturae christianae.

Ad tertiam, respondit monasterium non teneri ad solutionem debitorum cum contingit tales pastores mori.

Ad quartam, summa debitorum censetur notabilis quae excedit valorem mobilium pastoris et mediam partem sui proventus annui.

Ad quintam et sextam: pastores non servantes tridui exercitia spiritualia, venientes ad monasterium puniantur ieiunio unius diei in pane et aqua, nec sufficit ea servare in pastoratibus.

Ad septimam, pastores non dantes singulis annis inventarium puniendi sunt et cogendi secundum Statuta[28]).

Ad octavam, pastoribus distantibus a monasterio decem milliaribus et amplius possunt deputari confessarii ut in pastoratibus circa Pascha confessionis et communionis annuae praecepto satisfaciant iuxta Statuta Dist. 1, cap. 6, num. 26.

Ad nonam, non potest visitator tertii anni seu circator quidpiam ordinare inconsulto et inaudito praelato prout Statuta vetant.

Ad decimam, infirmis delicatiores cibi non ministrentur ad iudicium magistri infirmorum sed secundum ordinationem abbatis cui teneatur obedire.

Ad undecimam satisfactum est supra sessione quarta decretaque talia pendere a superioris arbitrio.

Ad duodecimam, an calcei gestari debeant ex corio non tincto remittitur ad capitulum provinciale.

[23] Item Capitulum declarat religiosum qui occulte facit iniuriam superioribus aut aliis fratribus eorum vestes clanculo discerpendo,

[27]) Abbas Servatius Vaes canoniam Averbodiensem (= Averbode), provinciae Brabantiae, dioecesis Mechliniensis-Bruxellensis, annis 1647-1698 rexit. BACKMUND, II, 274; M.H. KOYEN, *L'abbaye d'Averbode*, in *Monasticon belge*, IV/3, 666-667.

[28]) Cfr. Statuta, dist. II, cap. 23, n. 25 et 27: tamquam proprietarius puniendus et sepultura carebat christiana.

libros corrumpendo et alia damna similia vel etiam graviora inferendo usque ad commissionem peccati mortalis, ipso facto suspensionem, et si in sacris non sit etiam ipsa facto excommunicationem incurrere quamvis contra ipsum nulla reperiatur probatio, dictumque casum inter reservatos reputari debere.

[24] Quaesitum est utrum abbates, et maxime priores in abbatiis commendatis possint deambulationem suscipere ad quindenam aut mensem praesertim ad loca longe dissita? Respondetur: Capitulum nec abbatibus, multo minus prioribus id licere sine licentia Patris abbatis aut Vicarii generalis qui advigilabunt ne tales discursus fiant sine rationabili causa.

[25] Capitulum denuo confirmat decretum annis 1657, 1660, 1663 editum et confirmatum quo religiosi ordinis declarantur perpetuo inhabiles ad regularia beneficia curata vel simplicia impetranda, acceptanda vel possidenda nisi ante eorum impetrationem, acceptationem vel possessionem fuerint muniti in scriptis licentia quam religiosi inferiores habere debent a Reverendissimo Generali, patre abbate, Vicario generali vel superiore locali; priores vero in abbatiis commendatis ab uno dictorum Ordinis superiorum.

Ex sessione octava die undecima hora 8a matutina

[26] Capitulum providere volens uniformitati cantus gregoriani in ordine nostro et necessitati ecclesiarum quae librorum cantus penuria laborant, decrevit dictos libros cantus nempe antiphonalia, gradualia et alios codices ad usum chori spectantes typis mandandos esse et iniungit vicariis circariarum ut attenta qualitate monasteriorum eis numerum comparandum designent. Designabuntur autem a vicariis Belgii duo religiosi periti in cantu qui ad ecclesiam Praemonstratensem se conferant, vacaturi cum aliis religiosis Galliae dispositioni, correctioni et concinnationi dictorum librorum conformiter ad exemplaria antiqua praedictae matris ecclesiae Praemonstratensis.

[27] Quaesitum est etiam an Capitulum iudicet determinandam esse quantitatem materiae proprietatis reservatae, an item furti reservati de rebus monasterii, item an damnificatio in eadem quantitate comprehendantur sub furto reservato? Respondet Capitulum standum esse quoad forum conscientiae opinionibus doctorum probatissimorum, quantum vero spectat ad forum externum eos qui poculenta et esculenta furantur graviter esse puniendos ut proprietarios et disciplinae regularis perturbatores.

[28] Secundo qua poena plectenda sint qui litteras mittunt et recipiunt insciis suis superioribus? Respondet Capitulum pro prima vice plectendos esse ieiunio unius diei in pane et aqua, et si reciderint poenam duplicari debere.

[29] Tertio an infra octavam Sancti Ioannis Baptistae ubi est patronus sit servandum officium Commemorationis Sancti Pauli? Respondit Capitulum: observari debere ob connectionem officii diei praecedentis.

[30] Quarto an festa quaecumque occurrentia infra octavam venerabilis Sacramenti differri an praeveniri debeant? Respondit Capitulum ea transferri aut anticipari debere.

[31] Quinto an in omni festo triplici cantandum sit *Credo* v.g. in festo Sancti Josephi? Respondit Capitulum non esse cantandum nisi missale aut Ordinarius praescribat.

[32] Sexto an in festis infra octavas primae classis occurrentibus dicendum sit *Credo*, in quibus tamen extra hunc casum dici non deberet? Respondit Capitulum: dici debere.

[33] Septimo an pro novitio in novitiatu moriente tantum fieri debeat quantum pro professo? Respondit Capitulum tantum fieri debere pro novitio quantum pro professo.

[34] Octavo, quia ordinatum fuit in ultimo Capitulo generali anni 1666[29]) cappas laneas esse gestandas a festo Omnium Sanctorum usque ad Pascha, petitur quid faciendum in solemni Officio defunctorum v.g. fratris defuncti dum stolis utendum? quid in nativitate Jesu Christi et aliis maioribus festivitatibus infra illud tempus occurrentibus in quibus solet esse usus superpelliceorum et pluvialium? Respondit Capitulum: in allegatis diebus et officiis utendum esse superpelliceis et pluvialibus.

[35] Tum exposuit R.D. abbas Parchensis monasterium Bernense prope Sylvam Ducis in Belgio circariae Brabantiae, occupatum esse ab Hollandis et religiosos professos cum abbate migrasse ad oppidum Vilvordiense[30]), ubi a multis annis in domo refugiali habitarunt sine monasterii forma, et adhuc modo novitios receptos per alia Brabantiae monasteria dispersos habere, cum tamen ipsis suppetant media ad formandum alicubi monasterium seu construendum, cui rei neglexerunt attendere quamvis ad id saepius a Brabantiae abbatibus exstimulati fuerint. Capitulum nolens perire reliquias tam celebris quondam monasterii,

[29]) Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1666, n. 29.

[30]) Cfr. A.W. Van den Hurk, *Berne op weg naar Spaans-Brabant*, in *An. Praem.* XLVIII, 1972, 243-290; P. Pieyns-Rigo, *L'abbaye de Berne à Vilvorde* in *Monasticon belge* IV/3, 677-685.

mandat Vicario Brabantiae[31]) ut abbatem et religiosos Bernenses adigat ad allegandum infra trimestre rationes, si quas habent, monasterium non formandi coram dicto Vicario, qui eas Reverendissimo Domino Generali communicabit; quibus mature discussis, si iudicaverit construendum esse monasterium, iniunget Vicario, ut antefatos abbatem Bernensem et religiosos si renuant, etiam per censuras compellat ad aedificandum monasterium, evocatis religiosis ad formandam communitatem in loco, qui secundum consilium Vicarii et abbatum Brabantiae commodior iudicabitur[32]).

[36] R.D. abbas S. Michaëlis Antverpiensis, Pater Abbas Tongerloensis, referendarius libelli supplicis abbatis et conventus Tongerloensis qui requirebant reductionem fieri circa anniversaria quibus gravatur ipsorum monasterium, Capitulum, auditis rationibus bono fundamento nixis, reducit ipsum numerum anniversariorum ad numerum duodenarium, quae celebrabuntur iis diebus quibus defunctorum officium persolvitur, alia autem triginta sex, aut quadraginta commutat in sex Missas pro singulis anniversariis a conventu celebrandas.

[37] Idem referendarius exhibuit et proposuit libellum supplicem quo dictus abbas Tongerloensis exponebat quod Praepositus oppidi Diestensis in Brabantia[33]) qui semper est religiosus Tongerloensis, in omnibus consessibus sui tractus, obtineat praecedentiam tamquam principalior persona praedicti oppidi, sed venienti ad suum Tongerloense monasterium locus honorabilis non concedatur. Capitulum, re bene discussa, concedit dicto Praeposito praecedentiam supra suppriores monasteriorum et praepositos monialium.

[38] Exponit idem abbas supplicem libellum fratris Josephi, novitii Tongerloensis presbyteri, petentis ut integro anno novitiatus legitime observato, possit ad professionem admitti, attentis rationibus in eo contentis, Capitulum censuit dispensandum, prout de facto dispensat[34]).

[31]) Abbas Libertus de Pape.

[32]) Cfr. Capituli generalis Sacri Praemonstratensis Ordinis anni 1670 decreta Brabantiae circariam speciatim concernentia, AAT, IV, 35, n. 56/1.

[33]) In ecclesia S. Sulpitii in oppido Diestensi (= Diest) capitulum collegiale cuius membra ab abbate Tongerloënsi constituenda erant suberat Praeposito qui semper erat canonicus Tongerloënsis, cuique concreditum fuit pastorale regimen paroeciae. Tempore capituli generalis praepositi Diestensis munere fungebatur Joannes van Moeckenborgh (1670, 10 maii-1688, 27 decembris). AAT, II, 110, p. 75.

[34]) Agitur de Domino Petro Marcelis, Tungrensi, qui, postquam per 20 annos ecclesiae S. Michaelis Lovanii parochus fuerat, insuper Licentiatu Sacrae Theologiae

[39] Lectus fuit libellus supplex fratris Andreae Eliae Willemsen, canonici abbatiae S. Michaëlis Antverpiensis professi anno 1652, nondum tamen sacris ordinibus initiati, exponentis se uno post professionem anno, in morbum caducum incidisse, et eapropter ab ordinibus suscipiendis esse impeditum, nec potuerit hactenus stallum suae professionis obtinere ac proinde rogantis sibi stallum attribui ob rationes in suo libello contentas. Capitulum, discussis rationibus in eo allegatis, censuit cum supplicente dispensandum, eique suae professionis stallum attribuit et assignat etiam cum usu byreti.

Ex sessione nona

[40] Post fusas de more preces sessionem aperuere RR.DD. abbates S. Michaëlis Antverpiensis et Styvagiensis per relationem et expositionem causae vertentis inter R.D. abbaten Parchensem, uti Vicarium Reverendissimi Domini Generalis in Brabantia, ac pro ipsius iure ex una et R.P. Henricum Assels Praepositum coenobii monialium S. Catharinae prope Bredam vulgo Oisterhout ex altera partibus, num Praepositus sit electivus et perpetuus adeoque praelatus, an vero ad nutum amovibilis?[35]) Capitulum discussis accurate productis ab utraque parte rationibus et instrumentis, cum ageretur de iure paterno Reverendissimi Domini Abbatis Praemonstratensis, controversiam illam ipsius iudicio reliquit decidendo suis tamen ferme omnium votis innuens et iudicans dictum Praepositum esse perpetuum et non amovibilem a Patre abbate, idem Reverendissimus Dominus Praemonstratensis dixit

auctus, die 16 aprilis 1670 chorum frequentare coeperat et 20 aprilis candido habitu vestitus fuit ac nomen religionis fr. Hermannus-Joseph accepit. Quod inceperat perficere non poterat ac novitiatum relinquit. AAT, II, 89, fol. 38v°.

[35]) Supplex ad Capitulum generale libellum praepositi Henrici Assels, religiosi Parcensis, sic sonat iuxta textum asservatum in AAP, VII, 49, f° 347. «Reverendissimo Capitulo Ordinis Praemonstratensis sedenti die ... septembris 1670 in monasterio Praemonstratensi.

Cum debita reverentia exponit fr. Henricus Assels, praepositus Vallis Sanctae Catharinae, quomodo Reverendus admodum Dominus Vicarius circariae Brabantiae, moveat difficultatem circa naturam praepositurae eiusdem, sustinens eandem esse non perpetuam sed manualem, adeoque eiusdem possessorem esse manualem, cum tamen evidenter constet ex litteris fundationis contrarium. Proinde humiliter supplicat dictus praepositus quatenus Reverendissimus Dominus Generalis vel Capitulum dignetur deputare aliquem referendarium qui partium rationes et documenta examinet, examinata Reverendissimo Capitulo referat, ut ab eodem vel a iudice constituendo causa mature audita et examinata decidatur.

Quod faciendo, etc.»

Tota causa enucleatur in P. Lenaerts, *Un différend entre Libert de Pape, abbé du Parc, et Henri Assels, prévot d'Oosterhout (1655-1670)* in *An. Praem*, XXV, 1949, 22-50.

se quidem libenter subscribere capitularium opinionibus se tamen velle conformare litteris fundationis datis anno 1271[36]) in quibus continetur quod praepositus institui debeat ab abbate Praemonstratensi et si minus utile reperiatur, alius ab ipso subrogari, adeoque iudicet dictum Praepositum esse deinceps ab abbate Praemonstratensi instituendum tamquam vicarium suum perpetuum et in casu mortis, cessionis aut depositionis alium a se subrogandum receptis prius consultivis monialium votis, et voluit per hoc decretum cessare duos actus a R.D. Mutsaerts Praemonstrati impetratos primum quidem die 21 aprilis anno 1630, alterum autem die 27 februarii anno 1631[37]), et quia non carent praesumptione sub- et obreptionis, voluit illos in originalibus tradi secretario Capituli et apud acta reponi.

[41] Tum fr. Cornelius de Lantere, provisor monasterii Ninivensis exhibuit Reverendissimo Capitulo bullam Bonifacii octavi pontificis romani datam Anagniae Calendis augusti Pontificatus sui anno primo cum plumbo pendente in serica cauda in qua datur facultas toti ordini ad percipiendas decimas novalium[38]) in Flandria extractam. Capitulum iussit reponi in archivo archicoenobii Praemonstratensis.

Ex sessione decima

[42] Resolutum fuit initio huius sessionis rogandos esse a Vicariis circariarum abbates et conventus ad comparanda sibi missalia, processionalia et minora breviaria ordinis noviter impressa pro necessitate chori, si ea sibi non comparaverint, sicut et ordinaria maiora, quando recusa fuerint.

[43] Item, Reverendissimus Dominus Praemonstratensis mentionem iniiciens propositionis factae sessione quinta[39]) huius Capituli a Patre Gregorio du Crocq, priore Dei Loci, in qua petebat acquiri media providendi monasteria Burgundiae, et aliis multis Galliae quae sunt exigui reditus et carent religiosis ac novitiorum accursu exposito videri multis opportunum imo necessarium fore cogere Nationale Galliae Capitulum in quo decernantur media providendi dictis monasteriis sive

[36]) Tenor partis dispositivae huius associationis actus invenitur apud P. LENAERTS, *art. cit.*, 39-40.

[37]) Cfr. P. LENAERTS, art. cit., 42.

[38]) Agitur de litteris apostolicis sub plumbo datis *Devotionis vestrae precibus*, diei 1 augusti 1295, quarum copia asservatur in AAT, I, n. 1383 (vidimus 28 junii 1420).

[39]) Nullum decretum capitulare sessionis quintae, qua durante verosimiliter quaestiones circarias Galliae tangentes tractatae fuerunt, ad nos pervenit.

communitate religiosorum assumpta et introducta, sive aliter idque sub authoritate Capituli generalis. Capitulum censet illud Nationale Capitulum esse cogendum authoritate dicti Reverendissimi Generalis et Capituli generalis et in eo decernendum circa communitatem religiosorum in Gallia quo consultius videbitur collato prius cum aliquibus deputatis et Communitatis antiqui rigoris consilio.

[44] Item lecta est supplicatio Patris Godefridi de Licht[40]) Sancti Michaelis Antverpiensis, qua petit mandari omnibus monasteriis ordinis ut unum exemplar *Sermonum Adami Praemonstratensis* nondum excusorum coement. Capitulum iniungit.

[45] Item, Capitulum mandat R.D. abbati Mussipontano[41]) ut iuxta commissionem ipsi expediendam sese conferat ad monasterium Stagnense[42]) ad visitandum R.D. Joannem Trompette dicti loci abbatem regularem[43]) ut de eius vita, moribus et regimine temporalium inquirat, informet, et si delinquentem ac debite convictum repererit, sententia iudiciali eum feriat secundum iura et ordinis Statuta, nonobstantibus recusationum causis contra dictum abbatem Mussipontanum sibi et R.D. abbatis Albae Curiae[44]) et prioris Vallis Christianae[45]) procuratorio nomine allegatis, quas Capitulum frivolas et inadmissibiles iudicavit.

[46] Pro uniformitate electionis canonicae per totum ordinem observanda stando iuri communi. Capitulum decernit omnes et solos sacerdotes et sacris ordinibus initiatos, exclusis clericis professis, posse vocem electivam ferre in electionibus praelatorum et alienatione bonorum immobilium; quod decretum Capitulum extendit ad religioses

[40]) Cfr. Goovaerts, I, 174. Morte die 5 octobris 1674 impeditus fuit quominus doctus ille sodalis canoniae S. Michaelis Antverpiensis editionem Sermonum Adami praemonstratensis ad finem perduceret.

[41]) Nicolaus Guinet.

[42]) Abbatia Stagnensis (=l'Etanche) dép. Meuse, dioecesis Virdunensis (= Verdun), communitatem paucorum sodalium alere potuit ac anno 1626 Communitati antiqui rigoris associata fuit. Evidenter inquisitio imposita fuit ut abbatem senescentem post praelaturam 50 annorum visitatores ad munus dimissionem inducerent.

[43]) Joannes la Tompette praefuit abbatiae Stagnensi annis 1620-1670 quod regiminis tempus clausit per cessionem muneris. Backmund, III, 67. Iam aderat Joannes la Trompette capitulo generali anni 1630, cfr. Acta cap. gen., IV, pp. 190, 203.

[44]) Joannes Penillon, abbas Albae Curiae (= Abbecourt), dép. Seine-et-Oise, dioecesis Carnutensis (= Chartres) annis 1661-1702. Backmund, II, 543.

[45]) Canoniae Vallis Christianae (= Valchrétien), dép. de l'Aisne, dioecesis Suessionensis (= Soissons), Joannes Fossier, Praemonstratensis coenobii sodalis, munere fungebatur prioris claustralis. Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1670, n. 54.

monasterii Praemonstratensis non obstante quocumque alia decreto et constitutione contraria[46]).

[47] Ventum est ad causam monialium praetensarum quae a R.D. abbate Ninivensi[47]) de tertio ordine S. Francisci assumptae sunt ad habitum ordinis nostri Praemonstratensis, cuius refendarii RR.DD. abbates S. Michaëlis et Tungerloensis, supplicem libellum earum a fratre Cornelio de Rantere provisore Ninivensi, uti nomine procuratorio, palam exposuerunt, sicut et omnia ad istam causam pertinentia documenta; auditis etiam R.D. abbate Parchensi patre abbate coenobii Ninivensis et Vicario generali Brabantiae, et dicto Domino de Rantere ipsarum procuratore, utrique a Capitulo recendentibus, Capitulum re bene discussa, disceptata et examinata, ordinavit et ordinat iuxta transactionem factam inter abbatem et conventum Ninivensem, quam approbat, et illi insistendum mandat ut moniales illae, quarum duae transmissae sunt iussu superiorum ad monasterium Herentaliense[48]), tertia ad monasterium Vallis liliorum[49]), in quibus tamquam novitiae probantur, si habiles et aptae ad ordinis nostri professionem, a superioribus dictorum locorum repertae fuerint ad professionem ordinis admittantur cum voce activa et passiva habito tamen prius ad Sanctam Sedem recursu, ut si tertiariae S. Francisci habeantur verae religiosae, obtineatur dispensatio qua possint ab isto ordine ad nostrum transire, si vero repertae fuerint inhabiles et ineptae, ut scandalis maioribus praecaveatur, recipiantur in dictis conventibus Henrentalii et Vallis liliorum, tamquam commensales perpetuae, quibus de victu et habitu provideatur. Ad quarum sustentationem, seu professae fuerint seu non professae, R.D. abbas Ninivensis, iuxta transactionem initam cum suo conventu, pensionem centum florenorum annue dictis conventibus persolvere teneatur, mandatque Capitulum superioribus monasteriorum Herentalii et Vallis liliorum ut, prout praefertur, dictas tres moniales retineant, recipiant. Monetur interim serio dictus abbas Ninivensis, ut

[46]) Praemonstratenses canonici nondum sacris ordinibus maioribus initiati vocem activam ex consuetudine sibi competere astruerunt. Cfr. L.C. VAN DIJCK, *Le cardinal de Richelieu, abbé de Prémontré*, in *An. Praem.*, LXII, 1986, p. 206. Hoc decretum forsan latum fuit quia partes non minimas huiusmodi iuniores electores agebant in contestata electione abbatis generalis Michaelis Colbert.

[47]) Ioannes de Neve (1657-1685).

[48]) Monasterium Horti Conclusi in oppido Herendaliensi (= Herentals), provinciae Antverpiae, dioecesis Antverpiensis, prope abbatiam Tongerloensem cuius abbates Patris-abbatis regimen exercuerunt. BACKMUND, II, 292.

[49]) Monasterium Vallis-Liliorum (= Leliëndaal) ab anno 1559 in civitate Mechliniensi (= Mechelen), provinciae Antverpiae, dioecesis Mechliniensis. BACKMUND, II, 299-300.

tam scandalosis litibus et moribus finem imponat, nec sub praetextu zeli religionis contra superiorum ordinis mentem et mandata, monasterium suum in sumptus et expensas graves iniiciat.

Ex sessione duodecima die decimatertia ante meridiem

[48] Cum relatum fuerit Capitulo generali plerosque visitatores non exigere iuramentum a religiosis in suis visitationibus et ita status domus non possit certo cognosci, Capitulum iniungit omnibus visitatoribus ut conformiter ad Statuta dist. 4, cap. 14, num. 1, *de visitatoribus*, ab unoquoque religiosorum super statum domus iuramentum exigant et ad illud praestandum nolentes compellant.

Ex sessione decimaquarta

[49] Proposuit Reverendissimus abbas Praemonstratensis non fuisse adhuc exsolutas tallias a provincialibus statutis unicuique monasterio assignatas, quarum applicatio debet ad usum collegii Parisiensis seu reparandum seu commutandum. Commendat omnibus Galliae monasteriis ut tallias seu taxas sibi respective assignatas in Capitulo provinciali Lauduni celebrato quam citius fieri poterit, persolvant. Cum res illa cedat in magnum ordinis emolumentum et discrimen, si opus fuerit, pecunias mutuandas esse, ad canonem annuum quemcumque, monasteria solvere tenebantur prout capitatim fuerint taxata, comittit et delegat Reverendissimum Dominum Generalem cum abbatibus Domnimartinensi et Stivagiensi, ut cum architecto de modo et pretio reparationis conveniant, mutuum accipiant, taxam canonis annui imponant dictumque collegium transferant si utilius videbitur et Capitulo summae mutuatae reddantur via et modo sibi visis.

[50] Item lectus fuit et relatus a fr. Gregorio Du Crocq priore Dei Loci libellus supplex fratris Norberti Villé monasterii Ardenensis Communitatis antiqui rigoris quo petebat sententiam contra se latam a Capitulo dictae Communitatis in Bellaevallensi[50]) celebrato die 30 aprilis 1667 qua declaratur eum non habilem esse ad reclamandum contra suam professionem velut validam et bonam, eumque adstringi ad vivendum conformiter ad instituta et articulos dictae Communitatis prout hactenus vixit eique super ea re solentium imposuit sub poenis

[50]) Capitulum Communitatis antiqui rigoris anni 1667 locum habuit in abbatia Bellae Vallis (= Belval), dép. des Ardennes, dioecesis Remensis (= Reims), teste BACKMUND, II, 129 et non in Bellae vallis (= Bellevaux) canonia.

Statutorum. Capitulum visis illius rationibus et auditis RR.DD. Sanctae Mariae Mussipontanae et Stivagiensi aliisque abbatibus et prioribus dictae Communitatis, dictam sententiam prout iacet in terminis confirmavit vultque suum plenum effectum sortiri et iniungit dicto fratri Norberto ut conformiter ad suam professionem se gerat et quiete vivat[51]).

[51] R.D. Praepositus monialium S. Catharinae apud Bredam vulgo Oisterhout petiit admitti ad praestandam obedientiam Reverendissimo Domino Praemonstratensi et Capitulo generali. Ipso egresso et R.D. abbate Parchensi, re discussa, censuit Capitulum eum esse admittendum et vocatus ad consessum, flexis genibus ad manus Reverendissimi Domini Praemonstratensis promisit ei et Capitulo generali obedientiam et reverentiam atque inter praepositos exemptos et perpetuos accitus est, quod iuramentum recepit Reverendissimus Dominus Generalis sine sui praeiudicio et plenioris informationis faciendae in proximo Capitulo generali.

[52] Deventum est ad duos gravissimi momenti questiones, quae RR.DD. abbatibus Sancti Michaelis Antverpiensis, Steinfeldensi et Mussipontano commissas ad referendum; quarum prima est an tres primi abbates Laudunensis, Floreffiensis et Cuissiacensis, qui habent potestatem praesidendi electioni abbatis Praemonstratensis et abbatiam Praemonstratensem visitandi, possint illam aliis subdelegare sicut patres abbates possunt suam potestatem paternam aliis committere[52]). Qua quaestione utrinque bene agitata petierunt conventuales Praemonstratenses decisionem differri in sequentem sessionem[53]) ut collato inter se capitulari consilio, dispiciant quid hac in re dicendum habeant: quod ipsis concessum est et decisio dilata.

[53] Secunda quaestio, an conventus Praemonstratensis possit reci-

[51]) Textus desumitur ex ms. Nancy, 1767 (994), fol. 333v°.

[52]) Quaestio orta est pendente lite coram Sancta Sede circa validitatem cessionis abbatis generalis le Scellier et subsequentis electionis Michaelis Colbert. Sede nempe Apostolica vacante per obitum die 22 maii 1667 Alexandri VII, antequam successor eius Clemens IX Petri sedem ascenderat, Michael Colbert, annuente rege gallico Ludovico XIV, visitatores ad archicoenobium Praemonstratense accersivit quorum unus 'primus pater' abbas nempe Cuissiaci ipse accessit, abbas vero Vallis secretae (= Valséry) a capitulo generali 1666 constitutus fuerat, sed abbas Joannes Baptista Penillon, Albae curiae praelatus a Floreffiensi abbate, Guillelmo de Jallet, secundo Ordinis patre, deputatus fuerat, renuentibus adversariis Michaelis Colbert. Cfr. Attentata Rev. Patris Michaelis Colbert Prioris Praemonstratensis contra suum proprium Abbatem et generalem, sub 20, ASV, *Miscellanea*, Armadio VIII, vol. 101, fol. 370r°-v°.

[53]) Acta Cap. gen., V, 1670, n. 54.

pere et acceptare cessionem abbatis Praemonstratensis praelaturam suam abdicantis[54]). Capitulum incumbens exactae discussioni huius articuli momentis rerum accurate perpensis si[cut?] et historiis et antiqua consuetudine et providere volens paci et tranquillitati ecclesiae Praemonstratensis, omnium ecclesiarum ordinis matricis in cuius pace vertitur totius ordinis tranquillitas, commisit et delegavit pro futuris temporibus, prout committit et delegat tres primos abbates et quatuor alios qui de more et de iure ordinis pro electione futuri abbatis vocandi sunt[55]) qui authoritate Capituli simul cum conventu Praemonstratensi et vocatis vocandis[56]), cessionem seu renunciationem abbatis Praemonstratensis acceptent, nulla tamen concessa iisdem abbatibus voce activa ad electionem facta cessione celebrandam, prout ab antiquo nulla habuerunt et ut decretum tam salubre pro futuro robur obtineat iniungitur procuratori Romano ut eius confirmationem a Sede Apostolica [exquirat?][57]).

[54]) Haec quoque quaestio orta est e modo procedendi in cessione abbatis generalis Augustini le Scellier, qui munus abdicavit in manibus sui capituli localis, quamvis iuxta cap. *Dilecti filii*, 15, X, I, 9, abbas exemptus sine licentia papae renuntiare non posset, ubi glossa in verbo *electionem* notat quod si non tenuit renunciatio, corruit etiam electio, quia si unus non est legitime destitutus, alter non potest dici legitime institutus. Cfr. Flaminius Parisius, *De resignatione beneficiorum*, Coloniae, 1615, lib. I, qu. 10, n. 7.

[55]) Stat. dist. IV, cap. 12, n. 1.

[56]) Quae clausula aditum commissariis regis gallici aliisque saecularibus in auctoritate constitutis aperit iuxta consuetudinem ecclesiae gallicanae.

[57]) Reassumitur thesis a Colbert cum suis advocatis deducta e bulla *Regimen universalis Ecclesiae* a Sixto IV motu proprio data 9 junii 1476 qua consuetudinem in ordine Praemonstratensi vigentem corroborare videtur pontifex acceptationem abdicationis abbatis generalis remittens ad tres primos Patres ex analogia cum abbatibus inferioribus qui munus suum demittunt in manibus sui Patris-Abbatis. Utrum ratificatio pontificia huiusmodi decreti de facto quaesita fuerit an e contra in votis remansit non aperte constat. Ex actis processus provisionis abbatis Michaelis Colbert patet Congregationes romanas numquam deductiones 'ex chronicis' ad corroborandum theses gallicanas adstructas acceptasse, asserentes cessionem abbatis generalis ordinis Praemonstratensis unice spectare ad Sedem Apostolicam vi decreti cap. 15 *Dilecti filii*, X, I, 9, utpote qui immediate Sanctae Sedi submissus sit, eo quod Alexander V, anno 1409, 31 julii, canonicum ordinem S. Norberti ab episcoporum iurisdictione exemit. — Exegesis bullae Sixti IV, forsan a procuratore generali praemonstratensis Romae residente Petro Carrette concepta, invenitur in ASV, *Miscellanea*, Armadio VIII, vol. 101, fol. 342r°-v°, 343r°-v°. Alia interpretatio a Francisco Buyrette, tunc Michaelis Colbert Romae procuratore, proposita prostat *Ibidem*, fol. 359r°-v°, 376r°.

Decretum hoc, in sessione 14a latum, insertum invenitur in ms. Nancy, ms. 1767 (994), fol. 335r°.

Ex sessione decimaquinta die decimaquarta hora tertia pomeridiana

[54] Post invocationem Sancti Spiritus assumpta quaestione superiori sessione ventilata de potestate abbatum Sancti Martini Laudunensis, Floreffiensis, Cuissiacensis alios loco eorum pro visitatione obeunda in monasterio Praemonstratensi et praesidentia in electione abbatis Praemonstratensis subdelegandi, recendentibus a Capitulo Reverendissimo abbate Praemonstratensi, RR.DD. abbatibus Floreffiensi et Cuissiacensi et aliis conventualibus professis Praemonstratensis coenobii et R.D. abbate Albae Curiae a partibus suspecto[58]) et venerabili Priore[59]) Praemonstrati audito ac referente conventum ad pulsum campanae congregatum sensisse tres primos abbates subdelegare posse, contradicentibus tamen ac sustinentibus conventum non fuisse congregatum infra scriptis professis Praemonstrati: R.P. Gregorio Du Crocq priore Dei Loci, Bernardo Simonet priore Thenaliorum[60]), Norberto Caillieux priore collegii Praemonstratensis Sacrea Theologiae doctore, Antonio Hardy priore Vallis Gaudii[61]), Petro Carette procuratore ordinis in curia Romana, Roberto Cohier priore Sancti Justi[62]), Joanne Billecoq priore curato Genliacensi[63]), Joanne Fossier priore Vallis Christianae[64]), Gilberto Dumesnil priore Septem Fontium[65]) Hugone Gal-

[58]) Quia ad visitationem instituendam in archicoenobio Praemonstratensi ab abbate Floreffiensi impedito deputatus fuerat mense iunii 1667, de quo iure delegandi nunc litigatur. Cfr. supra notam 52.

[59]) Nobis latet hucusque nomen prioris claustralis Praemonstratensis. In documentis posterioribus apparet quidam Petrus Féry.

[60]) Bernardus Simonet, prior canoniae commendatae Thenaliorum (= Thenailles) cfr. Goovaerts, III, 190, cum aliis subsequentibus confratribus acriter obstitit cum cessioni abbatis le Scellier anno 1 februarii 1666 peractae in manibus capituli Praemonstratensis, tum electionis Colbert immediate subsequentis sub praesidentia abbatis generalis cedentis. Elenchus sodalium archicoenobii qui Romae contra provisionem Michaelis Colbert egerunt invenitur in ASV, *Miscellanea*, Armadio VIII, vol. 101, fol. 356r°.

[61]) cfr. *Obituaire Prémontré*, 77, ad 1686, 28 martii.

[62]) cfr. *Obituaire Prémontré*, 118, ad 30 maii 1676.

[63]) cfr. *Obituaire Prémontré*, 260, ad 1 martii sine anno. Ibi recensetur sub nomine Alexis, sicut etiam in Instrumento electionis Michaëlis Colbert cfr. ASV, *Miscellanea*, Armadio VIII, vol. 101, fol. 301r°.

[64]) Estne Joannes Fossier idem ac ille qui in Instrumento electionis Michaëlis Colbert recensetur uti supprior canoniae Praemonstratensis? Cfr. ASV, *Miscellanea*, Armadio VIII, vol. 101, fol. 301r°.

[65]) Inter praesentes electores numeratur iste Gilbertus Dumesnil, prior claustralis canoniae Septemfontium in Thierascia (= Septfontaine en Thiérache) cfr. ASV, *Miscellanea*, Armadio VIII, vol. 101, fol. 301, cuius memoria tamen non inserta invenitur in obituario archicoenobii.

lien priore Viromandiae[66]) ... et nonnullis aliis Capitulo generali assistentibus, imo Patre suppriore, cellario et quibusdam aliis conventualibus qui dicto capitulo conventuali non interfuerant, adhaerendo sensui et opinioni sui conventus Praemonstratensis quam in Capituli generali 1660[67]) declararunt, scilicet dictos tres primos abbates subdelegare non posse, nec alios sibi assumere ut simul convisitent secundum praxim et usum antiquum, Capitulum bene libratis partium rationibus et instrumentis declarat tres dictos abbates delegatos fuisse ab ordine et per consequens non posse alios loco sui ad supradictam visitationem subdelegare[68]). Quare ne in rerum eventibus ecclesia Praemonstratensi et maxime toti ordini auxilium desit, delegavit et delegat RR.DD. Philippum Babeur Dompni Martini, Augustinum Defellerie Bonae Spei[69]), Nicolaum Aubert Belli loci[70]) Claudium de l'estendart Vallis Secretae[71]), Joannem Baptistam Penillon Albae Curiae abbates, quorum unus cum duobus primis abbatibus[72]), et deficiente altero eorum duo, et utroque deficiente tres ex nominatis abbatibus gradatim et successive eo ordine quo nominati sunt, substituuntur in casu visitationis obeundae aut regendae electionis in ecclesia Praemonstratensi[73]).

[66]) Anno 1666, tempore electionis Michaëlis Colbert, lector philosophiae fuit in canonia Vallis Serenae (= Valséry). Cfr. ASV, *Miscellanea*, Armadio VIII, vol. 101, fol. 310r°. Postea prior claustralis canoniae commendatae Viromandensis (= Vermond) factus, per plures annos infestissimo animo praetensa iura abbatis generalis Colbert in abbatiis commendatis impugnavit ac multoties inde censuris afflictus fuit. Capitulum generale anni 1686 convocatum fuit ut prioribus claustralibus ordinariam iurisdictionem in suis abbatiis commendatis etiam coram iudice saeculari requirentibus aditus praecluderetur.

[67]) Acta Cap. gen., V, 1660, n. 24 referunt positionem capituli conventualis archicoenobii, priore tunc existente Norberto Caillieux, requirentis loco patrum primariorum absentium a capitulo generali designari debere qui vices eorum assumant. Iam tunc munus visitationis concreditum fuit abbati Bonae Spei (= Bonne-Espérance) in Hanonia, Augustino de Felleries.

[68]) Hoc decreto manifeste iura quaesita trium primorum Patrum-Abbatum infringi contendunt abbates Cuissiaci et Floreffiae et recte quidem quia non ab Ordine — uti asseritur in hoc n. 54 — sed mediantibus pontificiis indultis nomine et auctoritate Sanctae Sedis archicoenobium Praemonstratense in capite et in membris corrigendi obtinuerunt iurisdictionem.

[69]) Vide supra p. 105, notam 7.

[70]) Vide Acta Cap. gen., V, 1657, n. 123, ubi Nicolaus Aubert procurator in curia Parisiensi constituitur. Ab anno 1662 usque 1685 abbatiale regimen canoniae Belli loci (= Beaulieu), dép. de l'Aube, diocesis Trecensis (= Troyes) tenuit. BACKMUND, II, 483.

[71]) Vide supra p. 11, notam 9.

[72]) Abbates nempe Floreffiensis, secundus Ordinis Pater primarius, et Cuissiaci tertius illius dignitatis, primo abbate primario praelato nempe S. Martini Laudunensis impedito utpote qui commendatarius fuerit.

[73]) Tenor huius decreti invenitur in ms. Nancy 1767 (994), fol. 335r°-v°.

[55] R.D. Stivagiensis Capituli procurator seu provisor, petiit deliberari an prior Praemonstratensis possit in vicarium generalem ordinis eligi et delegari[74])? Capitulum resolvit in posterum non esse eligendum ac delegandum et quicquam iuris de electione facta Reverendissimi Domini Generalis cum prioratu acquisitum esse[75]).

[56] Item, quaesitum est quem sessionis locum obtinere debeat Secretarius Reverendissimi Domini Generalis tam intra conventum quam extra? Respondit Capitulum in monasterio suae professionis et in concursu Priorum locum suae professionis, in alliis domibus post Priorem locum obtinere debere, nisi ex alio titulo praecedere debeat.

[57] Capitulum excusatos habuit RR.DD. abbates Justimontanum[76]), Rengivallensem[77]) et Bonifagetanum[78]). Capitulum vero contumacem retinuit abbatem Stagnensem[79]).

[58] Circariam Franciae sibi reservat Reverendissimus Dominus visitandam. Pro monasteriis vero Capellae ad Plancas[80]), Monticellis[81]), Bassifontis[82]), Septem fontium in Burgundia[83]), Iovillarensi[84]), Cor-

[74]) Quaestio procul dubio exorta est eo quod in fine capituli generalis anni 1666, persistente dubio de validitate cessionis abbatis generalis le Scellier, prior claustralis Praemonstratensis Michael Colbert ad dignitatem vicarii generalis totius ordinis evectus a capitularibus fuerat. Cfr. Acta Cap. gen., V, 1666, n. 43.

[75]) Desumiter ex ms. Nancy, 1667 (994) fol. 333v°.

[76]) Servatius Regnault, sodalis Communitatis antiqui rigoris praefuit canoniae Justimontanae (= Justemont), dép. de la Moselle, dioecesis Metensis (= Metz). BACKMUND, III, 84.

[77]) Bernardinus Roussel, canoniae Rengivallensis (= Rengéval), dép. Meuse, dioecesis Virdunensis (= Verdun), Communitati antiqui rigoris associatae, praefuit annis 1669-1692. BACKMUND, III, 98.

[78]) Godefridus Mouron, abbatiam Boni Fageti (= Bonfays), dép. Vosges, dioecesis Tullensis, Communitati antiqui rigoris associatam, annis 1667-1698 rexit.

[79]) Ioannes la Trompette de quo supra in nota 43, decreto huius praesentis Capituli quoad vitam, mores et regimen scrutandus declaratur ac pendente lite ob absentiam a consessu capitulari contumax habetur. Cfr. Acta Cap. gen., V, 1670, n. 45.

[80]) Chapelle-aux-Planches, abbatia, dép. Haute Marne, dioecesis Lingonensis (= Langres). BACKMUND, II, 490.

[81]) Moncetz, abbatia, dép. Marne, dioecesis Catalaunensis (= Chalons). BACKMUND, II, 516.

[82]) Basse-Fontaine, abbatia, dép. Aube, dioecesis Trecensis (= Troyes). BACKMUND, II, 479.

[83]) Septfontaines-en-Bassigny, abbatia, dép. Haute-Marne, dioecesis Lingonensis (= Langres). BACKMUND, III, 108.

[84]) Jovilliers, abbatia, dép. Meuse, dioecesis Virdunensis (= Verdun). BACKMUND, III, 78.

neoli[85]), Dei Loci[86]), S. Pauli Senonensis[87]) et Sancti Mariani[88]) vicarium generalem Capitulum nominavit R.D. abbatem Belli Loci[89]).

[59] Capitulum substituit in secretarium Capituli generalis R.P. Franciscum Buyrette, primum huius Capituli notarium, cum potestate subscribendi et expediendi actus Capitulares qua ipse secretarius subscriberet et cui plenam fidem adhiberi vult Capitulum[90]).

[60] Item Capitulum indicit Capitulum proxime celebrandum Coloniae, Leodii aut Praemonstrati anno millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio ad dominicam *Cantate*, quae est quarta post Pascha, designatio autem loci ex tribus dictis relinquit judicio Reverendissimi Domini Praemonstratensis.

[61] Pro emergentibus negotiis decidendis quae Capitulum generale exspectare non possunt Capitulum committit vices suas Reverendissimo Domino Praemonstratensi et RR.DD. abbatibus Cuissiacensi, Domnimartinensi, Bellilocensi et aliis abbatibus, etiam prioribus, quod Reverendissimus advocandum iudicaverit.

[62] Pro visitanda Communitate antiqui rigoris, Capitulum nominavit R.D. abbatem Stivagiensem[91]).

[63] Acta, lecta et publicata in capitulo conventus Praemonstratensis praesentibus RR.DD. Capitularibus in originali subscriptis et aliis pluribus audientibus et adstantibus die decima sexta Septembris anno millesimo sexcentesimo septuagesimo, ab hora octava matutina usque ad undecimam aut circiter.

[64] Reverendi admodum Domini abbates Floreffiensis et Cuissiacensis non subsignarunt suo loco, antequam actum suae appellationis formassent contra decretum superius editum[92]), quo sancitur eos non posse subdelegare alios abbates loco sui ad visitationem ecclesiae Praemonstratensis et praesidentiae in electione abbatis dictae ecclesiae

[85]) Corneux, abbatia, dép. Haute-Saône, dioecesis Bisuntinensis (= Besançon). BACKMUND, I², 456.

[86]) Dilo, abbatia, dép. Yonne, dioecesis Senonensis (= Sens). BACKMUND, II, 499.

[87]) Sens, S. Paul, abbatia tenuissima, in suburbio Senonensi, dioecesis Senonensis. BACKMUND, II, 530.

[88]) Saint-Marien d'Auxerre, abbatia, dép. Yonne, dioecesis Senonensis. BACKMUND, II, 475.

[89]) Nicolaus Aubert, abbas Belli Loci (= Beaulieu), dép. Aube, dioecesis Trecensis (= Troyes). BACKMUND, II, 483.

[90]) Uti ex n. 64 horum Actorum patet, Philippus Babeur abbas Domnimartinensis secretarii munus obierat, dum Franciscus Buyrette eiusdem capituli primum notarium egit.

[91]) Bene notus abbas Stivagiensis (= Etival), Epiphanius Louys. BACKMUND, III, 71.

[92]) Vide supra n. 54.

Praemonstratensis seque ab ordine delegatos. Contra quod decretum actum suae appellationis publice a secretario Capituli legi petierunt et actis inscribi, sibique praedicti decreti copias exhiberi. Contra quam appellationem R. Pater Du Crocq protestatus est de nullitate illius, prout suo tempore exponetur, et iussus est secretarius actum dictae appellationis adiungere actis capituli. Interim pro ordinis quiete, ne monasterium Praemonstratense maneat invisitatum, provisionaliter et sine iuris partium praeiudicio, Capitulum delegat et committit RR.DD. abbates Floreffiensem et Cuissiacensem ut cum uno a se assumendo authoritate Capituli, visitationem instituant; et ad evitandas litium involutiones unaquaeque partium suos titulos et defensiones scripto consignent, simulque in eodem fasciculo iuncta et sigillata transmittant ad Sacrum Cardinalium congregationem ut pro sua iustitia et aequitate hanc controversiam citius quam fieri poterit decidere dignetur.

Fr. Guillelmus, abbas Floreffiensis, fr. Amour abbas Cuissiacensis, fr. Michael Colbert, abbas Praemonstratensis.

De mandato Reverendissimi Domini mei abbatis Praemonstratensis et Capituli Generalis Philippus Babeur, abbas Dompnimartinensis, definitor et Capituli generalis secretarius.

[65] (Actus appellationis Actis capituli generalis iunctus) Reverendi Domini abbates Floreffiensis et Cuissiacensis communicato sibi Reverendissimi Capituli generalis decreto quo eis et Reverendissimo Domino Generali exclusis, iudicatum est in casu deficientis unius ex tribus abbatibus, non spectare ad alios duos unum tertium in locum absentis sibi associare, nec posse etiam in casibus legitimi impedimenti praelato ordinis idoneo vices suas delegare ad visitandam ecclesiam Praemonstratensem aliaque praestanda quae ex sua authoritate possint, protestantur adversus tale decretum tanquam emanatum a iudice non competente, iuxta directas ad Capitulum generale Bullas pontificias[93]), unde patrum abbatum authoritas derivatur, interpretari, et in quantum necesse est, ab illo decreto appellant ad legitimum Superiorem, petentesque hanc suam protestationem et appellationem actis Capituli inseri et praedicti decreti simul et praesentis actus copiam sibi exhiberi. Hac 16 septembris 1670. Fr. Gulielmus, abbas Floreffiensis; fr. Amour, abbas Cuissiacensis[94]).

[93]) Variae bullæ pontificiae tribus primariis abbatibus Laudunensi, Floreffiae et Cuissiaci, ius visitandi archicoenobium concedunt exercendum 'nomine et auctoritate sanctae Sedis'. Vide bullam Innocentii IV *Qui sunt in loco*, 1245, 12 martii, BPO, 606.

[94]) Appellatio abbatum Floreffiae et Cuissiaci contra decretum capitulare invenitur in ms. Nancy, 1667 (994), fol. 335v°.

1686

Quamvis Capitulum anni 1670 in sess. 15a[1]) statuisset proximam Capitulantium adunationem convocaturam fore sive Coloniae, sive Leodii sive Praemonstrati in dominica *Cantate* anni 1673, sexdecim de facto annorum spatio celebrationem novi Capituli a praecedenti separavit. Mos iam invaluit decreta tantum communia prodere integro textu actorum et decretorum capitularium in archivo Praemonstratensi deposito, dum ob maiorem in spargendo commoditatem textus nunc prelo excussi fuerunt. Exemplar typis exaratum decretorum Capituli anni 1686 prostat in collectario Stivagiensi nunc sub n° 1767 (994) in Bibliotheca municipali Nanceiana asservato et quidem foll. 348r°-364v°. Praesens editio hoc unico hucusque cognito teste innititur.

Deest et in decretorum serie elenchus participantium completus, ita ut nomina praesentium ex ipso textu erui debeant.

Titulus editionis typographicae sic sonat:

Capitulum generale Ordinis Praemonstratensis Praemonstrati celebratum Anno Domini M.DC.LXXXVI praesidente Reverendissimo Dom. D. Michaele COLBERT, *Abbate Praemonstrati et totius ejusdem Ordinis Praemonstratensis Generali.* Parisiis, apud Fredericum Leonard, Regis, Cleri Gallicani & Ordinis Praemonstratensis Typographum, via Jacobaea, M.DC.LXXXXVI.

* * *

Acta et Decreta communia Capituli Generalis Ordinis Praemonstratensis apud Praemonstratum celebrati Anno Domini M.DC.LXXXVI, a die XII. Maii usque ad primam Iunii inclusive.

[1] Die 12. Maii 1686, quae erat Dominica *Cantate* post Paschalem Festivitatem quarta, Praemonstrati, quo pridie convenerant ex toto Ordine abbates, praepositi, priores aliique ad Capitulum generale vocati et deputati: hora circiter nona matutina, solemnis ad pulsum omnium campanarum instituta est supplicatio, sub qua Reverendissimus abbas generalis in pontificalibus una cum Reverendis abbatibus Cuissiaci[2]), Steinfeldensi[3]) et Bonae Spei[4]) eidem assistentibus cum pedo, mitra et infulis, ad congregatos Patres in area abbatiali hinc inde ordinate adstantes, praeeunte conventu suo Praemonstratensi procedens, singulos aqua lustrali et thure odorato excepit, eosque hoc modo ad celebranda secum ordinis comitia admisit. Tunc incoepta a cantoribus

[1]) Acta Cap. Gen., V, 1670, n. 60.

[2]) Gabriel de Mouy de Riberpré, quartus pater Ordinis, sodalis Communitatis antiqui rigoris, canoniam Cuissiacensem annis 1676-1704 rexit. BACKMUND, II, 499.

[3]) Theodorus Firmenich ab anno 1680 usque ad 1693 abbatiale regimen canoniae Steinfeldensis detinuit. BACKMUND, I², 256.

[4]) Engelbertus Maghe, anno 1671 electus, dum exercitus Galliae regis Ludovici XIV Hannoniam invaserant, ab isto christianissimo rege in abbatiali dignitate confirmatus fuit. Canoniam Bonae Spei (= Bonne Espérance) in dioecesi Tornacensi (= Tournai) usque ad annum 1708 laudabiliter regens, plurima historiam sui monasterii tangentia documenta publici iuris fecit. GOOVAERTS, I, 554-556.

antiphona *Christus resurgens*, simul omnes bini et bini eamdem antiphonam prosequentes ad templum pervenerunt, ubi continuo idem Reverendissimus Missam de Spiritu Sancto, ritu pontificali celebravit, qua peracta sese omnes ad locum capitularem recepere concionem audituri.

Sessio prima Capituli generalis habita die 12. Maii, hora post meridiem tertia

[2] Convocato ad sonum maioris campanae Capitulo, Dominus Generalis aulam capitularem ingressus, hymnum *Veni Creator* cum cantu incoepit, in genua provolutus cum toto coetu, moxque hymno cum versibus et oratione decantato surgens pronuntiavit *Benedicite* more ordinis, tum sedens, iussit omnibus ad loca destinata se recipere, de mutuae consensionis necessitate caput inter et membra luculenter disseruit et egregia instaurandae disciplinae documenta, oratione latine viva et efficaci toti Capitulo proposuit. Dein aperuit legitque litteras a Rege cum ad se tum ad praesentem coetum directas de die praecedenti, articulos vero super quibus sua Maiestas Christianissima Capituli mentem exposcit, per secretarium suum legi iussit, eorumque apographa singulis circariis suppeditari quorum quidem omnium lectionem summa cum reverentia et attentione singulari exceperunt omnes, et mandatis regiis morem gerere se velle unanimi voce declararunt. Sequitur autem tenor articulorum super quibus Sua Maiestas exposcit sensum ac mentem Capituli generalis Ordinis Praemonstratensis, antequam dictum Capitulum ulli decreto edendo, alterive tractando negotio procedat.

I. Scilicet an non utile foret et congruum ut appellatio tamquam ab abusu, interjecta a Patre Gallien dicti Ordinis religioso[5]*) ob suam*

[5]) Hugo Gallien, religiosus archicoenobii Praemonstratensis, secretarius abbatis generalis Augustini le Scellier, notarius iuratus Capituli generalis anni 1663 (Acta Cap. Gen., V, 1663, nn. 7 cum nota 64 et n. 153) fuit lector philosophiae in abbatia Vallis Serenae (= Valséry) anno 1665 quo tempore abbas le Scellier per callidum interventum priorem Michaelem Colbert ad dignitatem abbatialem Praemonstrati evehere conatus est. Obstitit cum plurimis aliis usurpationi dignitatis generalitiae a praedicto Colbert, qui, Romae lite pendente de validitate suae electionis, clavum regiminis indesinenter assumpsit. Quam ob causam a visitatoribus sub beneplacito regis a Colbert adscitis censura excommunicationis tactus fuit «eo quod de ordinis sui Generalis potissimas fecisset oppositiones, protestationes et appellationes ad Sanctam Sedem contra visitatores et eorum competentiam» (ASV, Miscellanea, Arm. VIII, vol. 101, fol. 371r°).
Rectae intentiones Hugonis Gallien in documentis coaetaneis asseverantur (Cf. Laon, Bib. mun., ms. 539, t. I, p. 112).

destitutionem et absolutionem a Prioratu Viromandensi[6]*) apud Iudices Magni Consilii controversa, examinaretur a personis per suam Maiestatem designandis, Domino abbate generali dicti ordinis, dictoque religioso respective consentientibus, quo casu Suae Maiestati supplicaretur ut dictae causae cognitionem sibi adscisceret, eamque sub commissariorum relatione supremo iudicio terminaret.*

II. Qualenam sit ius Ordinis circa institutionem, destitutionem, amovibilitatem et revocabilitatem Priorum claustralium in abbatiis commendatis, sicut etiam circa authoritatem quam Dominus abbas generalis Praemonstratensis praetendit in easdem abbatias. Suam hac de re mentem Regiae Maiestati Capitulum explicabit[7]*).*

[6]) Prior abbatiae commendatae Viromandensis (= Vermand) factus, Gallien anno 1684 una cum aliis Praemonstrati sodalibus ad iudicem saecularem appellavit ex capite abusus potestatis abbatis generalis Colbert. Hic nempe nimis facile religiosos ex aliis ordinibus praesertim mendicantium oriundos in archicoenobium admisit iisque amica manu officia honorifica elargitus est. Actio iudicialis concitata fuit eo quod ad abbatiam Viromandensem canonice visitandam abbas generalis fr. Renatum d'Aubert de Vertot ablegaverat, capucinum praemonstratensem canonicum factum. Cfr. Amiens, Bib. mun., HDR 994 C. cahier 18: *Factum pour fr. Hugues Gallien, religieux de Prémontré et prieur de Notre-Dame de Vermand, appellant comme d'abus, contre le Rme Père Michel Colbert, abbé de Prémontré et général de l'ordre, intimé.*

Hugoni Gallien in accusando abbatem Colbert sese iunxerunt: Joannes Fossier, prior Vallis Christianae (= Valchrétien), Michael Perdu, Joannes Oudinot, prior S. Mariani Altissiodorensis (= S. Marien d'Auxerre), J. Montier, Martin Chantemesse, Pierre Féry, prior Praemonstrati, Ludovicus Fera, secretarius abbatis Colbert, Norbertus Humblot, prior Collegii Parisiensis. (Paris, Archives nationales, V^5 628). Postquam Colbert proprio marte iuvenem suppriorem Hugoni Gallien adiunxerat, iste iterum, die 22 decembris 1684, abusum potestatis conquestus est. Abbas Colbert protinus ut priorem Viromandensem prehenderetur decernens, in vigilia Nativitatis ipse ad praedictam canoniam accessit priorem rebellem capturus. Quem per litteras diei 27 decembris a munere deposuit, quin tamen manus ei iniicere valeret.

Insuper, die 5 ianuarii 1685, prior Gallien per sententiam abbatis Colbert ipso facto excommunicatus declaratus fuit et ad incarcerationem in archicoenobio per tres annos subeundam condemnatus. Prior Gallien non desistebat tamen coram iudicibus Parlamenti Parisiensis impugnare iura praetensa abbatis generalis in canoniis commendatis et quidem cum fructu uti patet ex sententia lata die 9 februarii 1685 (Paris, Archives nationales, X 1^B 2737). Ad eandem conclusionem denuo pervenerunt iudices tribunalis Magni Consilii coram quibus abbas Colbert appellavit contra thesim prioris Gallien asserentis regimen prioris claustralis in canoniis commendatis regimini praelatorum regularium aequiparandum esse, nec exerceri ex mera deputatione ab abbate generali. Ut autem talem sententiam negativam declinaret, abbas Colbert, habito consilio quatuor abbatum et octo priorum Parisiis diebus 3a et 4a septembris 1685 advocatorum, aberrationes prioris Gallien cum suis coram foro Capituli generalis ordinis diiudicandum esse decrevit.

Ad hunc praecipuum finem Capitulum generale anni 1686 convocatum fuisse videtur ut omni modo auctoritas abbatis generalis Colbert corroboretur ac simili ratione augeretur.

[7]) Positiones prioris Gallien cum suis sociis enucleatae inveniuntur in tractatu cui titulus: *Réflexion sur le priorat des abbayes en commende (où il est justifié que la disposition*

III. An non conducat utilitati dicti Ordinis, ut religiosi ex aliis ordinibus ad Praemonstratensem translati, titulos exhibeant ac repraesentent tam quae translationis quam admissionis, una cum authenticis et actibus beneficiorum et officiorum quae in eodem ordine possident, ut scilicet hi tituli ad suam Maiestatem transmittantur discutiendi prout illi placitum fuerit et eius mandato decernatur cum in praeteritum tum in futurum, quod in hac causa æquum bonumque videbitur. Et an non expediret ordinare nullum interim huius generis religiosum de novo recipi[8]*).*

IV. Utrum destituti Priores suas ad Capitulum generale querelas deferre possent de sua exauctoratione, super quibus dictum Capitulum suam regiae Maiestati opinionem declararet, ut totum negotium sua Maiestas propria sanctione decideret.

V. Num officiarii et beneficiati in abbatia Praemonstratensi expresse professi, qui alibi extra dictam abbatiam officiis suis addicti detinentur, possent tempore visitationis Praemonstratensis, ad eandam abbatiam accedere, ut suas, si quas habent, commonitiones et querelas visitatoribus proponant.

VI. An non expediat et sit necessarium, ut in Capitulo generali eligantur in Definitores ij qui maiori pollent scientia, pietate et religione, quique coeterum praestant ad instaurandam ubique disciplinam et bonam pacem in toto Ordine.

Signatum PHELIPEAUX

Ex sessionibus secunda et tertia matutinis et pomeridianis horis diei 13. Maii

[3] Post celebratum in pontificalibus Sacrum *de Beata* a R.D. Cuissiaci, quarto Ordinis Patre, cui Patres omnes interfuere, ad aulam capitularem sese omnes signo dato receperunt ubi Reverendissimus Generalis Capituli Praeses, lecto *Veni Sancte Spiritus* et pronunciato *Benedicite* declaravit non alio fine Patres in hac sessione congregatos,

de la Règle touchant le Supérieur, son élection, déposition, assistance au chapitre général, juridiction spirituelle etc a lieu et se doit observer au regard du prieur de l'abbaye possédée en commende) in 4°, 48 p.

Cfr. TAIEE, *Prémontré. Etudes sur l'abbaye de ce nom, sur l'ordre qui a pris naissance*, 1873, II, 133, 162-171, 176, 246, — Jacques COQUELLE, *La mémoire de Vermand*, tome I: *L'abbaye royale Notre Dame de l'ordre de Prémontré*, s.l., 1985, 361-366.

[8]) Quaestio prorumpit ex praecitato capite accusationis circa admissionem capucini Renatus d'Aubert de Vertot. Ex ipsa casus positione elucet transitus nonnumquam absque spe obtinendi quoddam beneficium curatum peractos fuisse. Vide infra n. 6.

quam ut singulorum mens colligeretur ac sensus super articulis ad Capitulum Generale de mandato Regio transmissis. Discussis igitur et mature ponderatis a RR.DD. abbatibus et prioribus, singulis hisce articulis, in hac sessione matutinali et in insequente pomeridiana, suam singuli aperuere sententiam, tandemque omnes in unum et eundem sensum convenere ut sequitur.

[4] Ad primum articulum. Capitulum humillime supplicat suae Maiestati Christianissimae ut causam fratris Gallien ad suum regium tribunal revocare et ad dictum Capitulum generale remittere dignetur, nisi velit Rex ipse Christianissimus pro sua aequitate et in Ordinem benevolentia, rem totam suo proprio iudicio terminare.

[5] Ad secundum. Egresso Reverendissimo Domino Generali ex Capitulo, patres hunc articulum examinarunt et unanimiter censuerunt omnes, quod priores iuxta Concilium Tridentinum et Statuta ordinis, in monasteriis commendatis debeant vel a Reverendissimo Domino Generali, vel a Patre Abbate vel a Vicario institui. Quod dicti priores in iisdem monasteriis sint omni tempore amovibiles, verum si utiles sint et disciplinae modum teneant, non facile amoveri debere.

Quoad authoritatem Reverendissimo Domino Praemonstratensi competentem in dictis monasteriis commendatis, respondet Capitulum hanc in eo consistere quod possit totum quod potest Abbas in proprio monasterio, nempe novitios ad vestitionem et professionem admittere, priorem aliosque officiarios instituere et destituere, fratres ad ordines mittere, contractus approbare et omnia alia facere quae iuri abbatiali dignoscuntur annexa, hoc solum excepto, quod nequeat reditus et bona monasterii commendati suis aut ecclesiae suae commodis sed utilitati monasterii commendati applicare. Salvo iure Patrum Abbatum.

[6] Ad tertium. Respondet Capitulum, expedire ut examinentur tituli, quorum virtute religiosi ex alio ordine translati in nostrum admissi sunt et officiorum ac beneficiorum quibus gaudent, foreque utile tales non recipi amplius, donec examinati fuerint dicti tituli a Sua Maiestate.

[7] Ad quartum. Declaravit Capitulum posse omnes cum debita licentia et servato Religionis ordine, quaerelas suas et gravamina si quae habent ad Capitulum deferre.

[8] Ad quintum. Egresso Reverendissimo Domino Praemonstratensi ex consessu, collectis omnium votis ad propositum articulum respondit Capitulum, de iure et praxi Ordinis eos duntaxat ad visitationem Praemonstratensem venire debere qui in forinsecis obedientiis aut beneficiis a Praemonstrato dependentibus commorantur et quidem non nisi vocati, qui tunc vocantur quando Visitatores iudicant expedire.

[9] Ad sextum. Respondit Capitulum iuxta Constitutiones Ordinis, definitores Capituli generalis eligi non debere, sed a Reverendissimo Domino Generali de consilio trium Patrum Abbatum aut Seniorum assumi, neque alios assumi, nisi qui dignitate, doctrina et pietate prae coeteris pollent inter abbates et defectu abbatum inter priores claustrales, modo dictorum priorum numerus non excedat quartam partem definitorum, juxta decreta Capitulorum generalium[9]).

Ex sessione quarta de die 14. Maii, mane hora octava.

[10] Hac die Capituli tertia, solemne Sacrum de Sancto Norberto hora circiter septima ritu pontificali celebravit coram toto assistente coetu R.D. abbas Steinfeldiae, Reverendissimi Domini Praemonstratensis per Westphaliam Vicarius generalis, quo absoluto ad locum Capituli convenere omnes, ubi fusis pro more precibus, lecta sunt a secretario Reverendissimi Domini Generalis, quae pridie resoluta fuerant responsa ad articulos regios quae quidem omnia a singulis unanimiter approbata sunt et protinus omnium tum praelatorum tum priorum syngraphis subsignata, deinde lectum etiam coram toto coetu instrumentum quod ab omnibus quoque et singulis acceptum et subsignatum est, continens modum institutionis et destitutionis priorum in abbatiis commendatis. Nimirum quod ubi in dictis locis priores claustrales instituendi erunt vel a Domino Praemonstratensi vel a Capitulo generali vel a Patribus abbatibus vel etiam a Visitatoribus sive Vicariis instituentur assumenturque quantum fieri poterit de gremio ipsarum ecclesiarum si in eis reperiantur idonei. Quod in litteris dictorum priorum institutoriis, ipsis delegabitur potestas regendi monasterium tam in spiritualibus quam temporalibus. Quod dicti priores semper erunt ad nutum amovibiles iuxta Constitutiones Ordinis, verum quod non facile, nec leviores ob culpas, nec ordinarie extra visitationis canonicae cursum destituentur. Si autem extra dictae visitationis cursum aliquem amoveri debere contigeret, Reverendissimus Abbas Generalis eum non nisi de Patris Abbatis immediati vel Vicarii generalis circariae consilio, nec vicissim Pater Abbas immediatus, neque Vicarius generalis absque dicti Reverendissimi Abbatis Generalis scitu ac consilio destituent.

Quibus perlectis et subsignatis, censuerunt Patres horum omnium Regi reddendam esse rationem et per litteras et per deputatos, adeoque

[9]) Cfr. Acta Cap. Gen., IV, 1625, p. 109; V, 1657, nn. 6 et 7.

nominavit RR.DD. abbates Marchtalli in Suevia[10]) et Corneoli in Burgundia[11]) qui et responsa ad articulos regios et ipsas Capituli litteras ad suam Maiestatem Christianissimam totius coetus nomine deferrent. His peractis Capituli praeses, Reverendissimus scilicet Dominus Abbas Praemonstratensis, hanc sessionem finitam declaravit et una cum Patribus pro ea quae mandatis regiis debetur observantia existimavit esse Capitulo supersedendum, proindeque sessionem proxime futuram indicendam remisit ad usque regressum Dominorum deputatorum.

Sessio quinta hora 3. pomeridiana diei Dominicae Maii 26

[11] Reducibus hora circiter meridiana dicta die 26. Reverendis Dominis Abbatibus ad Regem a Capitulo delegatis, Reverendissimus Dominus Generalis hanc statim sessionem indixit et omnibus ad pulsum maioris campanae convocatis, ipse, praemissis solitis precibus, legit Epistolam[12]) seu Placetum Regium, quo probatis et acceptis suprascriptis Capituli Generalis responsionibus, sua Maiestas liberam omnem concedit facultatem continuandi hoc praesens Capitulum, illudque conficiendi juxta consuetas Ordinis leges.

[12] Quo circa idem Reverendissimus Capituli Praeses agendas esse dixit ex parte Capituli generalis, gratias singulares suae Maiestati proque eius incolumitate precandum ferventius in ordine nostro, quae scilicet inordinatos nonnullorum in suos Superiores insurgentium motus suprema authoritate sua compescuit et antiquam Ordinis disciplinam intactam volens, eam in praesenti Consessu generali ac deinceps sartam tectamque servari suo Rescripto mandavit.

[10]) Nicolaus Wierith, abbas Marchtallensis (1661-1691), vicarius generalis pro circaria suevica et praeses collegii praelatorum suevicorum exemptorum, in celebri bibliotheca canoniae Sorethanae annis 1755-1756 a pictore Francisco Georgio Hermann tamquam alter Salomon dono sapientiae enitens depingebatur eo quod, ablegatus capituli generalis anni 1686, coram rege Gallico Ludovico XIV sagaciter ac eloquenter pro bono Ordinis Praemonstratensis intercesserit. Cfr. A. KASPER, *Der Bibliotheksaal des Prämonstratenserstiftes Schussenried*, Schussenried, 1978, p. 9. Ex n.15 huius Capituli patet tamen Theodorum Firmenich, abbatem Steinfeldensem, ablegatum principalem Capituli generalis fuisse.

[11]) Gulielmus Laurent de Visemal (1680-1717). BACKMUND, I[2], 458.

[12]) En tenor declarationis Regiae, qui non insertus invenitur in actis typographice exaratis huius Capituli:
Charissimi ac plurium Dilecti. Vidimus deliberationes vestras, habitas super articulis Vobis transmissis ad cognoscendum desuper mentem vestram, cumque ea sit conformis Vestro bono et Nostrae intentioni idcirco notificamus Vobis per praesentes quod eamdem approbamus, quodque possitis celebrationem Capituli vestri continuare ad eum modum quo potuistis ante acceptas litteras nostras de 11a huius mensis. Et ita fiat, haec etenim est voluntas nostra. Datum Versalij 22 Maij 1686.

[13] Tum ipse Reverendissimus praehabito cum R.D. abbate Cuissiacensi et cum suis Vicariis generalibus, aliisque senioribus consilio assumpsit secum
in Definitores Capituli generalis:
R.D. abbatem de Cuissiaco, quartum Ordinis Patrem
R.D. abbatem de Steinfeldia, in Westphalia Vicarium generalem
R.D. abbatem de Marchtallo in Suevia, Vicarium generalem
R.D. abbatem de Domnomartino in Pontivo, Vicarium generalem[13])
R.D. abbatem Bonae Spei in Hannonia, Vicarium generalem
R.D. abbatem de Sancta Maria in Lotharingia, Communitatis antiqui rigoris[14])
R.D. abbatem de Valle Serena propre Suessiones[15])
R.D. abbatem de S. Foillano in Belgio[16])
R.D. abbatem de Leffia apud Dinantum[17])
R.D. abbatem de Wadegotia ad Sarum Fluvium[18])
R.D. abbatem de Corneolo in Comitatu Burgundiae[19])
R.D. abbatem de Roggenburg in agro Augustano[20])
R.D. praepositum Varlarensium in Tractu Monasteriensi[21])
R.P. Priorem Praemonstrati[22])

His et aliis Officialibus absque ullo praecedentiae praeiudicio nominatis, praestitoque ab iisdem in manibus Reverendissimi Praesidis iura-

[13]) Philippus Babeur vide supra p. 10, notam 3; p. 106, notam 6.

[14]) Nicolaus Guinet, vide supra p. 10, notam 5.

[15]) Claudius d'Hannivel de Mainevillette (1672-1713). BACKMUND, II, 539.

[16]) Henricus Loiseau abbatiale regimen canoniae Sancti Foillani (= Saint Feuillien de Roelx) in dioecesi Tornacensi (= Tournai) in Hannonia (= Hainaut) annis 1677-1697 rexit. BACKMUND, II, 397.

[17]) Petrus Lefebvre (1672-1704). BACKMUND, II, 388.

[18]) Petrus Marx annis 1677-1705 praefuit communitati Wadegotiensis (= Wadgassen) antea in Lotharingia, nunc in Saarlandia, dioecesis Trevirensis (= Trier). BACKMUND, I², 122.

[19]) Gulielmus Laurent de Visemal. BACKMUND, I², 458.

[20]) Adalbertus Rauscher (1677-1694) abbas canoniae Roggenburgensis prope Weissenhorn in Suevia Bavarica, dioecesis Augustanae (= Augsburg). BACKMUND, I², 69.

[21]) Georg Theodor von Nagel annis 1680-1696 praeposituram Varlariensem in Westfalia, dioecesis Monasteriensis (= Münster) detinuit. BACKMUND, I², 260.

[22]) Non constat quisnam erat prior archicoenobii Praemonstratensis. Eratne Petrus Féry cuius nomen invenitur inter priores qui sese regimini abbatis generalis Michaelis Colbert opposuerunt etiam in foro iudiciali? Vide Arrestum Magni Consili diei 2 Maii 1688 continens sententiam circa appellationem ad iudicem saecularem die 12 juni 1684 introductam: Paris, Archives Nationales, V⁵, 628. Cum nullum vestigium talis prioris superest in obituario archicoenobii praesumi posset depositio eius propter oppositiones contra abbatem suum, quas oppositiones tamen tempestive repudiavit. Cfr. J. COQUELLE, *op. cit.*, 362 notam 148.

mento de sibi commissis fideliter et sub secreto adimplendis, declaravit idem Reverendissimus ex more Ordinis omnes tam suos quam Capituli generalis quovis titulo Commissarios, Vicarios, Visitatores aliosque ad Ordinis negotia sive generalia sive particularia commissos seu deputatos, a suis officiis, commissionibus et mandatis absolutos; qui statim ad praefati Reverendissimi manus commissionum litteras deposuerunt ac resignarunt.

[14] Deinde abbates et praepositi qui Reverendissimo Domino Praemonstratensi et Capitulo generali debitam fidem ac obedientiam promiserant hanc in manibus ipsius Reverendissimi Domini Generalis flexis genibus et sub iuramento praestiterunt sub his verbis: *Promitto tibi, Reverendissime Domine, fidem et obedientiam.*

[15] Hic peractis, A.R.D. Steinfeldensis suae ad Regiam Maiestatem legationis rationem reddidit, una cum RR.DD. abbatibus Marchtallensi et Corneolensi condeputatis, exposuitque Capitulo operae pretium esse in hoc praesenti Consessu aliquid firmum ac stabile definire ad exactam Statutorum observantiam et compescendo quorundam inquietorum hominum motus, ne in posterum vacillans et labescens Ordo fatiscat tandem, suaque intestina commotione periclitetur et pereat.

[16) Cum autem praesentes motus excitati potissimum videantur a F. Hugone Gallien antehac priore Veromandensi, qui scilicet ab officio suo depositus per Reverendissimum Dominum Generalem, ausus est a sententia suae destitutionis ad Parlamentum Parisiense tanquam ab abusu provocare, totumque Ordinem in Gallia hanc ob causam perturbare, requisivit R.D. abbas de Castello, Promotor[23]), ut ex mandato Capituli generalis citaretur dictus frater Gallien per vias iuris, ad comparendum et sistendum se coram praesenti coetu, eo fine ut rationem reddat sui status, respondeatque super capitibus, ipsi, suis loco et tempore deducendis. Annuit Capitulum generale, iussitque citari dictum fratrem Gallien ad et secundum requisitionem praefati Promotoris, tum Praemonstrati ad valvas ecclesiae, tum Parisiis ad domicilium quod elegit dictus frater Gallien.

[17] Quo facto lecta sunt iuxta praescriptum Statutorum Ordinis, decreta et definitiones ultimi Capituli generalis de anno 1670 et instante

[23]) In incerto habetur quisnam munere promotoris iustitiae fungebatur. Eratne abbas Sancti Joannis de Castello (= S. Jean-de-la-Castelle) circariae Gasconiae, cui nomen Franciscus le Regrattier vel abbas Basilius Wéry (1686-1711) canoniae Castelli (= Chateaudieu), circariae Flandriae? Ambae canoniae nomine latino *Castellum* noscuntur. Aliis ex fontibus nomen promotoris hucusque eruire non potuimus.

vespera, hanc sessionem terminavit Reverendissimus Capituli Praeses, indicta proxime sequenti ad horam posterae diei septimam matutinam.

Ex sessione sexta die 27. Maii hora 7. matutina

[18] Sessionem sextam post solitas preces aperuit Reverendissimus Abbas Capituli Praeses, per distributionem litterarum excusatoriarum ex parte absentium, supplicum libellorum, procurationum, aliorumque instrumentorum et negotiorum capitularium quae examinanda et Capitulo generali regenda commisit nonnullis tum abbatibus, tum praepositis, tum etiam prioribus.

[19] Dein exposuit ecclesiam suam Praemonstratensem a multis iam annis non fuisse visitatam petiitque a Capitulo ut in defectu Laudunensis[24]) et Floreffiensis[25]) abbatum, qui de iure et more Praemonstratum visitare debent una cum abbate Cuissiacensi alii duo praelati ipsorum loco et vicibus ad nutum Capituli generalis hac in parte sufficerentur. Moxque egresso ab aula capitulari eodem Reverendissimo, qui ad eum causa pertinebat, omnium singulorum abbatum tam non Definitorum quam Definitorum vota collegit R.D. Cuissiacensis, in absentia Reverendissimi Praesidis, sicque suffragiorum pluralitate electi sunt[26]) RR. DD. abbates Bonae Spei et Vallis Serenae ad peragendam canonicam visitationem archicoenobii Praemonstratensis in capite et in membris, una cum R.D. Cuissiacensi, qui quidem Visitatores, assumpto in secretarium lectore Vadegotiensi[27]), in Theologia magistro, ad conventum visitationem suam more solito inchoaturi sese receperunt.

[24]) Canonia Laudunensis in commendam data fuit. BACKMUND, II, 512.

[25]) Vacabat sedes Floreffiensis per obitum, die 6 martii 1686, abbatis Christophori de Heest, cui successit frater eius Ignatius de Heest die 11 octobris eiusdem anni. Vide *Nécrologe de l'abbaye de Floreffe de l'ordre de Prémontré, au diocèse de Namur*, publié et annoté par J. BARBIER, curé de Liernu, in *Analectes pour servir à l'histoire ecclésiastique de Belgique*, XIII, 1876, p. 46. Cfr. etiam *Monasticon belge*, *I*, 1890, p. 122.

[26]) Varias ob causas visitatio archicoenobii Praemonstratensis fere numquam tempore et modo a iure particulari praescriptis exsecuta fuit. Capitulum generale anni 1657, compertum habens visitationem nullam inde ab anno 1625 institutam fuisse, tres abbates deputavit quos conventus archicoenobii proposuerat. Cfr. Acta Cap. Gen., V, 1657, n. 14. — Capitulum ultime elapsum, anni nempe 1670, renuentibus abbatibus primariis Cuissiaci scilicet et Floreffiensis, elenchum abbatum confecit qui, successive, loco abbatum primariorum forsan absentium, monasterium Praemonstratense visitarent, litigantibus capitularibus circa quaestionem utrum Capitulo tales substitutos eligere liceret, cum primarii abbates sibi vindicassent ius exclusivum huiusmodi visitatores delegandi. Vide Acta Cap. Gen., V, 1670, nn. 54, 64, 65.

[27]) Nomen lectoris canoniae Vadegotiensis e protocollo Capituli praesentis erui nequit.

[20] Illis autem abeuntibus, Promotor Capituli generalis coram toto coetu declaravit fr. Hugonem Gallien citatum fuisse ad suam requisitionem prout ordinatum fuit ab amplissimo Capitulo de die praecedenti huiusque citationis instrumentum affixum esse ad valvas templi Praemonstratensis et ex abundanti Priorem Thenoliensem[28]) Parisios missum qui dictum fr. Gallien ibi commorantem citaret ad comparendum Praemonstrati ante finem praesentis hebdomadae.

Ex sessione decima die 29. Maii matutinis horis

[21] Audita relatione Dominorum abbatum in causa...[29]) commissariorum, super querelis contra dictum ... delatis ad Capitulum generale, tam a Domino Promotore, quam a conventu Praemonstratensi Capitulum generale omisso stricto iure, libellos duos a dicto ... compositos vehementer improbavit et improbat, illosque suppressit et supprimit, mandatque dicto ... ut illis revocatis humiliet se coram Reverendissimo Generali Praeside totoque coetu ac veniam petat et ita querelam contra eum motam terminavit et terminat. De coetero declaravit idem Capitulo generali et declarat ipsum fuisse depositum ab officio prioris in monasterio Sancti Martini Laudunensis et attenta ejus submissione, ipsi ex gratia indulget et absque eo quod possit trahi in consequentiam, concedit in dicto coenobio Sammartinensi primum locum in choro, a parte prioris post ipsum priorem, servata in omnibus locis praecedentia supprioris et in absentia supprioris, ipsius circatoris in refectorio. Haecque sine ulli nota infamiae. Cui decreto publice perlecto illico obtemperavit dictus ... et Reverendissimo Domino Praemonstratensi et amplissimo Capitulo humillime satisfecit.

Ex sessione undecima die 29. Maii, hora post meridiem secunda

[22] Capitulum generale commendans illud Regulae *non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus* serio monuit Superiores omnes, eisque sub districtiori praecepto mandavit et mandat

[28]) Thenoliensis canonia (= Thenailles) prope Vervins, dép. Aisne, BACKMUND, II, 402.

[29]) Nomen prioris depositi in textu decreti non exprimitur, sed quia agitur de priore Sancti Martini Laudunensis in causa est Antonius Fromage, qui ab abbate generali Colbert depositus fuit quia publici iuris fecit duos libellos iura priorum abbatiarum commendatarum vindicantes. Vide TAIEE, *op. cit.*, II, 171 ss; GOOVAERTS, IV, 266. — Notandum quod ne verbum quidem insertum invenitur sessionum 7ae, 8ae et 9ae.

ut tam in se quam in sibi subditis, paupertatis et modestiae regularis amatores, faciant Statuta nostra circa vestitum ad amussim observari. Ideoque declarat et praecipit idem Capitulum generale manicas togarum nullatenus esse in extremis partibus dividendas. Cingula pileorum vanitatem omnem excludere debere. Pileos habere quatuor ad minus pollices Ordinis quoad altitudinem et quinque quoad latitudinem. Coronam capillitiam ad mediam aurem sive ad ostium auris posse descendere sed non inferius. Servandam esse quoad pileolos uniformitatem in qualibet circaria. Religiosos uti posse veste laxiori seu chlamide super togam talarem at in itinere tantum et ea semper lege ut et vitentur curiositas ac vanitas, et ut ubi ad monasterium vel ad urbem advenerint hanc vestem deponant, sic ut possint in pleno semper habitu apparere secundum dictamen Statutorum.

[23] Quoniam vero contra eadem Statuta, in quibus abbas solus vocari debet *Dominus*, prior non nisi *Pater*, coeteri tantum *fratres*, consuetudo irrepsit ut religiosi se se passim *Dominos* appellent, Capitulum generale omnes illos saeculares agendi modos improbans ac prohibens, statuit eos privandos vino sub una refectione, quoties contigerit huic decreto contravenire.

[24] Praesens Capitulum volens Sancti Augustini Legislatoris nostri cultum in Ordine promovere, statuit quod in posterum eius Conversionis festum quinta die Maii celebretur ad modum duplicis, ad quem gradum (duplicis scilicet) evehit etiam festum Sanctae Monicae, matris eiusdem Sancti Patris Augustini. Decretum vero Capituli cuiusdam Provincialis[30]) de celebrando festo Beatorum Martyrum Gorcummiensium ex Ordine nostro, Adriani scilicet et Iacobi extendit ad omnes omnino circarias, statuitque ut hoc festum quotannis celebretur more maioris duplicis die nona Iulii, anticipata die praecedenti octava Visitationis Beatissimae Virginis.

[25] Confraternitatem sub scapulari candido seu breviore habitu Ordinis nostri, per Breve pontificium institutam in ecclesia de Bello Portu[31]), Capitulum generale laudat et approbat et ad instantiam prioris claustralis eiusdem ecclesiae, plenam bonorum omnium spiritualium, quae in universo Ordine nostro fiunt participationem, omnibus et

[30]) Beatificatio canonicorum praemonstratensium Jacobi et Adriani, sodalium canoniae Middelburgensis in insula Walcheren, in odium fidei trucidatorum, proclamata fuit die 14 novembris 1675 a Clemente XI.

[31]) Canonia Belli portus (= Beauport) prope Paimpol, dép. Côtes du Nord, BACKMUND, III, 14-15.

singulis dictae Confraternitatis cultoribus et alumnis ex gratia spirituali concedit et indulget.

Ex sessione duodecima die 30. Maii mane hora septima

[26] Ad quaestionem an religiosus conventualis habens aliquid communicandum Reverendissimo Abbati Generali, petita et non obtenta venia a superiore suo claustrali, possit se conferre ad dictum Reverendissimum, vel an non expediat sitque magis congruum scribere ad eundem Reverendissimum et expectare in conventu eius responsum, ut secundum quod ordinaverit vel maneat in conventu vel ad ipsum accedat? Respondit Capitulum generale religiosum conventualem sub quocumque praetextu, etiam adeundi Reverendissimum Dominum Generalem, petita et non obtenta licentia non posse exire extra septa monasterii, sed debere expectare mandatum eiusdem Reverendissimi et si contra fecerit, habendum tamquam fugitivum, secundum Statuta dist. 4, cap. 29, num. 6.

[27] Iuxta eadem Statuta dist. 2, cap. 10, num. 16 decrevit Capitulum generale nullam pastoralem curam, etiam in monasterio exercendam, priori claustrali committi et commissam auferri debere nisi ex penuria religiosorum idoneorum, visitatores iudicaverint aliter ordinandum.

[28] Exposuit R.D. abbas Sanctae Mariae apud Mussipontum factas esse aliquas abbatum electiones in monasteriis provinciae Lotharingiae antiqui rigoris coram solo Commissario Regio, nullisque praesentibus Ordinis superioribus contra usum ab Ordine fundato observatum in dicta Provincia et requisivit ut Capitulum generale Regiae Maiestati humillime supplicaret, quatenus attentis antiquis dictorum monasteriorum praefatae provinciae privilegiis, placeat permittere electiones abbatum in posterum fieri secundum et conformiter ad antiquam praxim hactenus observari solitam, quod concessit Capitulum generale statuitque suae Maiestati humillime supplicandum ut in posterum vacantibus ecclesiis dictae provinciae Lotharingiae et aliarum circariarum apud quas haec consuetudo ab antiquo viguit, eligi possint abbates modo et more per Ordinis Statuta praescriptis, quo circa idem Capitulum generale approbavit formulam et tenorem libelli supplicis ad hunc finem dispositi, jussitque per secretarium obsignari ne varietur.

[29] Egresso e Definitorio Reverendissimo Domino Praemonstratensi, RR.DD. abbates Cuissiaci, Bonae Spei et Vallis Secretae, visitatores Praemonstrati visitationis ab ipsis factae in ecclesia Praemonstra-

tensi rationem reddiderunt, loquente R.A.D. Bonae Spei, dixeruntque se nihil in dicta ecclesia speciali animadversione dignum comperisse, religiosos omnes declarasse superiores suos sedulam vigilemque curam tum spirituali tum temporali dictae Domus regimini impendere, conventui necessaria omnia suppeditare, nullam de illis justam quam noverint conquerendi causam habere. Quod si quae sint contracta debita[32]), ea compensari aedificiis, ecclesiae ornamentis, organo et reparationibus tum villarum tum ecclesiarum parochialium, quae quidem omnia, religiosi dictae ecclesiae omnes uno ore asseverarunt, uno solum excepto, in quam dixerunt se tulisse sententiam quae lecta est toto coetu et subinde approbata necnon confirmata per Capitulum generale, post auditum dictum religiosum in suis gravaminibus[33]).

Ex sessione decima tertia die 30. Maii post meridiem

[30] Lectum est coram toto Capitulo, pro parte priorum claustralium, Memoriale in modum libelli supplicis, continens eorum responsionem ad certas quasdam Statutorum interpretationes, Statutis de novo cudendis inserendas, de quibus in sessione matutinali longa dissertatio. Tum egressi sunt dicti priores ex aula capitulari, moxque singulatim ad Definitorium revocati ut possint singuli seorsim ab aliis liberius aperire mentem coram Definitoribus circa dictas interpretationes, cumque a singulis quaereretur an non vellent subiicere se in punctis Statutorum controversis interpretationi Capituli generalis, responderunt affirmative dixeruntque stare se velle iudicio et interpretationi amplissimi Capituli in hac parte. Sicque accepto eorum consensu, res controversae missae sunt in deliberationem et resolutae ut sequitur. Cum advenerit Capitulum generale, priores claustrales praetendere vi sui officii in monasteriis commendatis iurisdictionem ordinariam, non secus ac si

[32]) Quaedam circa expensa facta ab abbate generali Colbert inveniuntur apud Martine PLOUVIER, *L'abbaye de Prémontré aux XVIIe et XVIIIe siècles. Histoire d'une reconstruction* (Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium, fasc. 16), Louvain, 1985, 34-35.

[33]) Gravamina contra modum procedendi in visitatione — in capite et in membris, omisso tamen capite — prolata fuere a Ludovico Fera qui, discipulus quondam abbatis generalis amicissimus necnon eius secretarius a fautore suo fastidio abalienatus fuit acriter invehens contra Colbert qui in decursu sexdecim annorum vix umquam Praemonstrato aderat, contra visitatores quoque qui conventum perscrutatum fingebant post inspectionem aliquarum horarum omniaque bene ordinata asserebant ut abbati generali placerent. Cfr. TAIEE, *op. cit.*, II, 174. Ludovicus Fera ad abbatiam S. Nicolai in Bosco (= Septfontaine en Thiérache) relegatus fuerat ubi 4 Iunii obiit. *Obit. Prém.*, 121. J. COQUELLE, *op. cit.*, 362.

essent abbates regulares et inde a multis retro annis multa dissidia et contentiones dimanasse. Re communicata cum dictis Reverendis Patribus monasteriorum commendatorum prioribus et auditis multoties, matureque discussis eorum rationibus, Capitulum generale inhaerendo iuri Ordinis et antiquae eius disciplinae, declaravit et declarat dictos priores non habere in praefatis monasteriis commendatis iurisdictionem ordinariam, atque adeo obedientiam quae ipsis in professione novitiorum, in absentia Patrum abbatum promittitur, iis promitti quorum persona in eiusmodi gerunt et quorum potestate delegata funguntur, iuxta decreta Capituli generalis de anno 1618 et aliorum Capitulorum generalium subsequentium.

[31] Quocirca in Statutis suo tempore imprimendis Capitulum decernit ad formulam professionis Statutorum dist. I, cap. 17, num. 21 loco illorum verborum *Abbatem regularem repraesententanti* ponenda esse illa verba *Patrem Abbatem regularem repraesentanti.*

[32] Item ad Dist. 2, cap. 10. Haec addenda: *In monasteriis commendatis Priores claustrales nulla praevia conventuum electione instituantur sintque semper ad nutum amovibiles. Verum si utiles sunt et disciplinae modum teneant, non facile nec leviores ob causas, nec ordinarie extra Visitationem canonicam mutentur. Si vero extra Visitationis canonicae cursum, Priorem aliquem amoveri debere contingat, eum Dominus Praemonstratensis non nisi de consilio Patris Abbatis immediati vel Vicarii Generalis ejusdem Circariae destituet, neque vicissim Pater Abbas aut Vicarius Generalis absque scitu et consilio Domini Praemonstratensis.*

[33] Ut autem non anceps et dubia, sed certa sit et explicita dictorum priorum potestas in abbatiis commendatis, Capitulum generale institutionis ipsius formulam futuris temporibus usitandam, libratis singulis verbis composuit et actis capitularibus inserendam ordinavit, postquam in publico omnium consessu perlecta, ab ipsis etiam prioribus unanimi consensu approbata et acceptata est sub tenore sequenti:

Dilecto nobis in Christo Confrati ... Ecclesiae N. Priore claustrali destitutae, pro nostri muneris ratione opportune de idoneo et capaci Superiore provisuri, qui disciplinam regularem debito in statu contineat Tuae personae delectum fecimus, atque eatenus de tuis probitate, doctrina, observantiae zelo et rerum agendarum experientia plurimum in Domino confisi, Te supradictae Ecclesiae N. Priorem claustralem fecimus, creavimus et instituimus, factumque, creatum et institutum tenore praesentium declaramus, cum potestate speciali et aequa dictam Ecclesiam in utroque foro regendi novitios ad habitum admittendi, eorundem

professiones in nostra absentia recipiendi, professos ad studia et sacros ordines mittendi, Suppriores, Provisores, aliosque dictae Ecclesiae Officiarios conventuales instituendi, religiosos eiusdem Ecclesiae tam beneficiatos quam conventuales a peccatis etiam reservatis absolvendi et absolvi faciendi, disciplinae rebelles aliosque praevaricatores omni meliori modo, etiam per censuras ecclesiasticas aliasve poenas in Statutis nostris praefixas, advocato si haec necesse sit brachii saecularis auxilio, coërcendi et puniendi, denique omnia alia faciendi et exequendi quae in utroque regimine ad bonum dictae Ecclesiae proficere possint. Quocirca omnibus praefatae Ecclesiae religiosis tum claustralibus tum beneficiatis, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena praecipiendo mandamus ut Te tanquam verum suum superiorem ac priorem claustralem agnoscant, recipiant et venerentur, Tibique obedientiam in omnibus ac reverentiam eo nomine debitae praestent et exhibeant. Praesentibus ad nostram revocationem valituris.

[34] Ut vero certa sit etiam, nec amplius controversa Reverendissimi Domini Praemonstratensis authoritas, nec non jurisdictio in abbatias vacantes commendatas, mandavit Capitulum generale inserenda esse quae sequuntur ad Dist. 4, cap. 11 Statutorum: *Id omne potest Dominus Praemonstratensis in abbatis commendatis, quod abbas regularis in proprio monasterio, nempe novitios ad vestitionem et professionem admittere, priores, aliosque officiarios instituere et destituere, fratres ad ordines mittere, contractus approbare et alia omnia facere quae iuri abbatiali dignoscuntur annexa, hoc solum excepto, quod nequeat reditus et bona monasterii commendati suis aut Ecclesiae suae commodis sed eiusdem monasterii commendati utilitati applicare, salvo tamen iure Patrum Abbatum.*

[35] Requirente autem R.D. abbate Domnomartinensi, ad quem vacante filiali ecclesia sit habendus recursus pro superiore instituendo, abbate scilicet, si abbatia sit regularis et electiva, aut priore claustrali, si sit commendata ad Reverendissimum Dominum Generalem, an vero ad Patrem Abbatem? Sicuti etiam in quotidianis quae in filialibus ecclesiis, pro bono disciplinae et pacis sunt ordinanda, salva tamen semper authoritate suprema eiusdem Reverendissimi Abbatis Generalis.

Egressis e Definitorio dictis Reverendissimo Domino Generali et R.D. abbate Domnomartinensi, reque in deliberationem missa, Capitulum generale declaravit, necessitate aliqua occurrente, recurrendum esse ad Patrem Abbatem, tanquam ad Patrem immediatum, salva tamen authoritate Reverendissimi Domini Generalis, qui in casu concursus vel

praesentiae cum Patre Abbate, gaudet semper iure praelationis seu praeventionis.

[36] Praescriptam a carnibus abstinentiam, Capitulum generale volens exactissime servari, mandat et praecipit omnibus et singulis Ordinis nostri Superioribus, ne per Adventum et Septuagesimam religiosos suos absque gravi necessitate exire permittant, faciantque his et aliis statutis temporibus abstinentiam tam extra quam intra claustrum a suis ad amussim observari.

[37] Decretum Capituli Generalis anni 1670[34]), praesens Capitulum generale renovans, statuit et declarat religiosum qui occulte iniuriam facit suo superiori, usque ad commissionem peccati mortalis, ipso facto suspensionem si sit in sacris, sin minus excommunicationem, etiam ipso facto incurrere, nulla licet in eum probatio reperiatur.

[38] Ad requisitionem collectorum talliarum, Capitulum generale mandavit et mandat, tam absentibus quam praesentibus ordinis nostri praelatis et superioribus, tallias iuxta uniuscuius ecclesiae taxationem esse solvendas, etiam a Patribus Communitatis antiqui rigoris, idque ab anno 1670 quo celebratum est ultimum Capitulum generale. Quas quidem tallias, requierente Promotore, Capitulum applicavit et applicat abbatiae et conventui Praemonstratensi, in compensationem multorum sumptuum a Praemonstrato hactenus expensorum ad tuenda communia Ordinis iura, plurimaqua alia ad singulares Ecclesias spectantia.

Ex sessione decimaquarta de die 31. Maii mane

[39] Requirente R.D. Domino abbate Castellensi, Capituli Promotore, Capitulum generale, excitatis a F. Hugone Gallien motibus providere volens, commisit et committit RR.DD. abbatibus de Valle Serena, de Claro Fonte[35]) et de Corneolo, quatenus auditis partibus et examinatis hinc inde rationibus ac titulis, authoritate Capituli generalis, quae ipsis ad hunc effectum delegatur, quod aequum iustumque fuerit, in Domino statuant ac decernant.

Quocirca eisdem praefatis abbatibus plena a praesenti Capituli generalis confertur potestas dictum Fratrem Gallien vocandi, citandi et omni via iuris cogendi, ad comparendum coram ipsis et respondendum

[34]) Acta Cap. Gen., V, 1670, n. 23.

[35]) Bernardus du Four annis 1677-1724 abbatiam Clarae Fontis (= Clairefontaine), dép. de l'Aisne, dioecesis Suessionensis (= Soissons) gubernavit, BACKMUND, II, 372.

super Capitibus sive articulis a praenominato Promotore propositis et proponendis (in cuius Promotoris absentia vel defectu, Capitulum generale substituit et nominat Procuratorem ordinis in urbe Parisiensi) et ad eius vel eorum instantiam totum hoc negotium conficiendi, judicandi et finiendi in plenaria totius Ordinis potestate.

Quod si dictus F. Gallien in sua contumacia persistens et praefatorum Commissariorum authoritatem agnoscere, eorumque sententiam subire recusans litem incoeptam prosequi vel aliam de novo extra Ordinem intentare praesumpserit, declarat Capitulum generale, se in hac causa pro parte Reverendissimi Domini Praemonstratensis contra dictum F. Gallien intervenire atque adeo plenam concedit potestatem dictis Promotori et Procuratori ac alteri eorum interveniendi in dicta causa totius ipsius Capituli generalis nomine et authoritate.

[40] Ad instantiam eiusdem R.D. de Castello Capituli Promotoris, decretum et statutum est ut religiosi omnes ex aliis Ordinibus in nostrum translati, suae translationis instrumenta, beneficiorum titulos quibus gaudent in Ordine, Praemonstratum afferant quatenus ad Regem transmittantur discutiendi, prout Suae Maiestati beneplacitum fuerit, interimque Capitulum inhibet ne tales admittantur in Ordine donec dicti tituli mandato regio fuerint examinati.

[41] Ad quaestionem a Reverendo Domino Praeposito Hinsbergensi[36]) propositam an a sententia et decretis Vicarii Generalis in qualibet circaria appellari possit ad eundem Reverendissimum eo quod Vicarius videatur non facere nisi unam personam cum Reverendissimo[37]) et in cathedralibus a Vicario Episcopi non appelletur ad Episcopum, respondit Capitulum generale hanc quaestionem fuisse contradictorie decisam per Breve Innocentii X Summi Pontificis anno 1652[38]) inter Vicarium Generalem Communitatis antiqui rigoris ex una

[36]) Praepositus canoniae sororum Hinsbergensis (= Heinsberg) annis 1676-1692 erat Constantinus Ferdinandus van Loen. BACKMUND, I², 216.

[37]) Postquam Sancta Sedes per litteras sub forma brevi datas *Prospero felicique* 8 martii 1641, iurisdictionem sedi Praemonstratensi, de facto vacanti per intrusionem cardinalis de Richelieu, annexam vicariis abbatis generalis variis in circariis delegavit, mos invaluit huiusmodi superiores nominandi *vicarios generales* ubi antea titulo *vicarii abbatis generalis* designabantur ubi analogia cum vicariis episcopalibus sustineri potuerat.

[38]) Per bullam *Militantis Ecclesiae regimen* die 29 novembris 1652 ab Innocentio X promulgatam causa terminabatur *Laudunensis seu Tullensis, nullitatis Brevis 'In supremo Apostolatus'* (ASV, Miscellanea, Armadio VIII, vol. 101, fol. 212r°-278v°). Breve *In supremo apostolatus solio* a Claudio Morizet, Communitatis antiqui rigoris procuratore, obtentum fuit, vacante de facto sede Praemonstratensi, quo iura abbatis generalis in praedictam Communitatem ad meram praeeminentiam honoris deducta fuere. Per decla-

parte et Reverendissimum Dominum Praemonstratensem[39]) ex altera, si quidem fuit a dicto Summo Pontifice pronunciatum appellationes a sententia dicti Vicarii generalis interiici debere ad dictum Reverendissimum vel ad Capitulum generale. Quocirca abbas et conventus Knectedensis[40]), male appellarunt a decreto Vicarii Generalis Circariae Westphaliae ad nuntium apostolicum non servato medio, sicut Statuta praescribunt, inhaerendo iuri communi.

[42] Ad relationem Commissariorum a Capitulo generali deputatorum in causa religiosorum Prioratus de Reichstein[41]) volentium habere suffragium in electione abbatum de Steinfeld in Westphalia ex una parte et R.D. abbatis ac conventus Steinfeldensis ex altera, visis et examinatis scripturis hinc inde productis et auditis partibus Capitulum generale resolvit dictorum Fratrum de Reichstein praetensionem non esse satis fundatam adeoque standum in antiqua consuetudine. Quantum vero ad erectionem dicti Prioratus in Praeposituram respondit Capitulum generale rationes adductas ad minus concludere, nec posse ius Amplissimi Domini Steinfeldensis, illo conventuque eius invitis, imminui, proindeque religiosos Reichsteinenses, in statu circa titulum et officium prioris in quo ab antiquo reperiuntur, permanere debere donec aliud de consensu illorum quorum interest, ex bonis motivis decernatur.

[43] Exposuit Reverendissimus Dominus Generalis, decretum ab aliquibus annis a se editum, ut optimo et ordinato modo in negotiis Ordinis procurandis deinceps procedatur, quo scilicet inhibet omnibus religiosis in Gallia, ne inconsulto Domino Lorenchet quem dictus Reverendissimus Ordinis Consultorem constituit et nominavit, ullae in posterum lites absque praevio eius consilio suscipiantur, teneaturque Procurator Ordinis semel in septimana ad eum referre omnia negotia Ordinis quae prae manibus habet, cuius quidem Consultoris deliberationes, uti hactenus ab illo tempore factum est, inscribentur in libro ad hoc destinato hisque se se conformabit dictus Procurator. Capitulum generale gratum habuit illud decretum Reverendissimi, uti valde utile

rationem nullitatis huiusmodi Brevis, auctoritatem abbatis generalis in Communitatem antiqui rigoris realem iurisdictionem esse ad normam bullarum erectionis Communitatis asserebatur. *Bullarum ... amplissima collectio*, tom. VI, pars III, Romae, 1700, pp. 239-240.

[39]) Bulla executa fuit ad instantiam abbatis generalis Augustini le Scellier.

[40]) Abbas Leonardus Teveren post suam depositionem a Capitulo generali anni 1657 (Acta Cap. Gen., V, 1657, n. 206), ad Sanctam Sedem appellavit.

[41]) Agitur de prioratu Reichenstein prope Monschau in dioecesi Aquisgranensi BACKMUND, I², 239-241.

monasteriis Franciae et illud confirmando praecipit ut executioni demandetur.

[44] Decretum in Capitulis generalibus annorum 1657, 1660, 1663 et in Capitulo generali anni 1670 confirmatum, praesens Capitulum generale renovat et exactissime observandum praecipit quo religiosi Ordinis declarentur perpetuo inhabiles ad beneficia curata vel simplicia impetranda, acceptanda vel possidenda, nisi ante eorum impetrationem, acceptationem vel possessionem fuerint muniti in scriptis licentia quam religiosi inferiores habere debent a Reverendissimo Domino Generali vel a Patre Abbate vel a Vicario Generali vel a superiore locali, priores vero in abbatiis commendatis ab uno dictorum Ordinis superiorem. Quae vero Statuta nostra pastoribus observanda praescribunt, Capitulum generale superioribus omnibus districte praecipiendo et in virtute salutaris oboedientiae mandat ut ea faciant a pastoribus qui ab ecclesiis suis dependent, accuratissime observari.

[45] Prohibetur severissime omnibus Ordinis nostri religiosis ne ullas litteras vel scribant vel recipiant absque scitu et consensu superiorum, quique inferiorum in hoc peccare deprehensi fuerint, in pane et aqua, absque ulla relaxatione ieiunare cogantur.

[46] Capitulum generale renovat decretum quo mandatur omnibus et singulis Ordinis nostri religiosis, ut quotiescumque Parisios veniunt, non ad hospitia communia sed ad Collegium nostrum se recipiant. Ne autem defectus cellarum et necessaria supellectilis in dicto Collegio aliquibus ansam praebeat alio divertendi, Capitulum generale declarat et decernit in Congregatione Provinciali Franciae proxime futura, imponendam esse contributionem ad construenda in dicto Collegio aedificia quae necessaria sunt et comparandam supellectilem pro admittendis ibidem et honeste excipiendis Ordinis nostri religiosis cuius quidem taxationis unaquaeque Ecclesia intra Regnum onus suum iuxta suas facultates portabit.

[47] Cum ad audientiam Capituli generalis, ipso referente Reverendissimo pervenerit, Reverendum Dominum Maximilianum Pfendler a Losperg, abbatem Zabrdovicensem[42]) in Bohemia, curas multas sum-

[42]) Maximilianus Pfendler annis 1678-1695 abbatiae Zabrdovicensi (= Zabrdovice) nunc intra civitatem Brunensem in Moravia, dioecesis Brunensis, praefuit. Inde a saeculo decimotertio exeunte variae abbatiae hungaricae paternitati abbatis Zabrdovicensis subiiciebantur. Hinc zelus praedicti praelati in instaurando canonias derelictas. Anno 1688 praepositura Janoshida (BACKMUND, I², 538) in Hungaria abbatiae Zabrdovicensi unita est. BACKMUND, I², 388.

mosque labores necnon pecunias insumpsisse ad recuperandas Ordinis ecclesias, quae a multis retro annis ab haereticis detinentur in Hungaria, Capitulum generale pium tanti viri in Ordinem zelum approbans et debita gratulatione prosequens eum magis ac magis hortatur ut incoeptum tam grande opus ad optatum usque finem perducat, nec unquam a tam sancto proposito felicique ausu laborum difficultate deterreatur. Quocirca eam quam desuper a Reverendissimo Domino Praemonstratensi accepit commissionem, una cum concesso Paternitatis iure, in eas quas recuperaverit Ecclesias Capitulum praesens approbat et confirmat.

Ex sessione decima quinta habita die 31. Maii, post meridiem,

[48] Auditis excusationum receptoribus, Capitulum generale excusationes absentium admisit, eas praesertim quas accepit a RR.DD. abbatibus circariarum Poloniae, Bohemiae, Moraviae, Bavariae quod ob itinerum pericula et ingruentes Turcarum copias, legitime excusatos declaravit.

Quia vero Hispani, quantumvis ad Capitulum praesens per indictionem vocati, non comparuerunt nec ullus a circaria sua deputatus, nullasque excusatorias absentiae suae litteras miserunt, eos Capitulum generale rebelles et contumaces declarat et praecedentium Capitulorum decretis inhaerens volensque ius suum in dictam circariam conservare, mandat Procuratori Ordinis in Curia Romana ut omni via iuris adversus eos procedat, eosque Reverendissimo Domino Praemonstratensi et Capitulo generali obtemperare compellat.

[49] Reverendo admodum Domino abbati de Marchtallo quaerenti ut determinaretur a Capitulo quot dies insumendi essent in Capitulo generali celebrando, responsum est et statutum, Capitulum generale ad quatuor dies extendi debere iisque elapsis, reliqua negotia quae superfuerint tractanda deputatis ad hunc effectum commissariis delegenda.

[50] Exposuit Reverendissimus Dominus Generalis petiitque nominari a Capitulo generali nonnullos tum Praelatos, tum Priores ad quos haberi possit recursus, in casu quo ab eius decretis fieret appellatio. Placuit itaque Capitulo renovare decretum Capituli generalis anni 1618 cuius tenor sequitur: *Si a Supremo Ordinis Superiore quis appellet ad Capitulum generale et Capitulum expectari non possit ipse Superior Supremus assignet duos vel tres abbates aut priores minime suspectos, qui negotium componant vel terminent nomine Capituli generalis*[43]). Et

[43]) Acta Cap. Gen., IV, 1618, p. 63.

acceptis omnium abbatum suffragiis, in commissarios assumpti sunt RR.DD. abbates de Domno-Martino, de Bona Spe et de Valle Serena, una cum RR. Patribus Prioribus abbatiarum a Sancto Martino Laudunensi[44]) et a Sancto Ioanne Ambianensi[45]), quibus etiam, una cum Reverendissimo Domino Praemonstratensi, aliisque quos idem Reverendissimus advocandos iudicaverit, Capitulum generale committit vices suas pro decidendis urgentibus negotiis.

Ex sessione decima sexta et ultima, die Sabbati, Prima Iunii 1686.

[51] Requirente Promotore, instituti sunt in singulis circariis, Vicarii Generales Reverendissimi Domini Praemonstratensis, tum et Circatores Capitulares, seu Visitatores circariarum ex parte Capituli generalis, aliique publici Ordinis Officiarii. Hi autem sunt:

Vicarii generales Reverendissimi Domini Praemonstratensis secundum ordinem circariarum:

In Circaria Franciae
R.D. Abbas Vallis Serenae
In Circaria Floreffiae et Flandriae
R.D. Abbas Bonae Spei
In Circaria Pontivi
R.D. Abbas Domni-Martini
In Circaria Brabantiae et Frisiae
R.D. Abbas Tungerloënsis
In Circaria Westphaliae et Wadegotiae
R.D. Abbas de Steinfeldia
In Circaria Vasconiae
R.D. Abbas a Sancto Ioanne de Castello[46])
In Circaria Hispaniae
R.D. Abbas Ninovensis[47])
In Circaria Burgundiae et Campaniae
R.D. Abbas de Corneolo
In Circaria Alverniae

[44]) Nomen successoris prioris Antonii Fromage depositi nescitur.

[45]) Quisnam munus prioris claustralis abbatiae Sancti Ioannis Ambianensis (= St. Jean d'Amiens) hocce tempore exercuit hucusque latet.

[46]) Franciscus le Regrattier annis 1685-1696 noscitur rexisse canoniam S. Joannis de Castella (= S. Jean-de-la-Castelle). BACKMUND, II, 196.

[47]) Ferdinandus de Moor (1685-1698), BACKMUND, II, 317; *Monasticon belge*, VII/3, 532.

R.P. Prior abbatiae a Sancto Andrea Claromontano[48])

In Circaria Sueviae

R.D. Abbas Marchtallensis

In Circaria Bavariae

R.D. Abbas Osterhoviensis[49])

In Circaria Bohemiae, Moraviae et Poloniae

R.D. Abbas Strahoviensis, Pragae[50])

In Circaria Hungariae

R.D. Abbas Zabrdovicensis[51])

In Circaria Tusciae et Calabriae

Procurator Generalis in Curia Romana

Circatores Capitulares seu Visitatores a Capitulo generali deputati.

In Francia

R.D. Abbas de Claro Fonte

In Flandria et Floreffia

R.D. Abbas Leffiensis[52])

In Pontivo

R.D. Abbas de Alba Curia

In Brabantia et Frisia

R.D. Abbas a S. Michaële Antuerpiensi[53])

In Westphalia

R.D. Praepositus Warlarensis[54])

In Communitate antiqui rigoris

R.D. Abbas a Sancta Maria[55])

In Vasconia

[48]) Agitur de canonia a Sancto Andrea nunc intra civitatem Clermont-Ferrand dép. Puy de Dôme. BACKMUND, III, 146-147. Nomen prioris claustralis huius abbatiae commendatae latet.

[49]) Michael Steinmayer abbatiale regimen canoniae Osterhoviensis (= Osterhofen) in Bavaria inferiore, dioecesis Passaviensis (= Passau) annis 1675-1701 exercuit. BACKMUND, I², 17.

[50]) Hyacinthus Homann anni 1679-1690 in canonia Montis Sion Strahoviensis Pragae regimen abbatiale tenuit. BACKMUND, I², 382.

[51]) Maximilianus Pfendeler (1678-1695). BACKMUND, I², 390.

[52]) Petrus Lefebvre annis 1672-1704 sedem abbatialem Leffiensem (= Leffe) propre Dinant, dioecesis Namurcensis, detinuit. BACKMUND, II, 388.

[53]) Gerardus Knyff Antverpiensi abbatiae Sancti Michaëlis annis 1682-1687 praefuit. BACKMUND, II, 269.

[54]) Georgius Theodorus van Nagel.

[55]) Per fere quadraginta annos Nicolaus Guinet (1653-1695) abbatiam Sanctae Mariae Mussipontanae (= Pont-à-Mousson), dép. Meurthe-et-Moselle, dioecesis Nanceianae (= Nancy), rexit. BACKMUND, III, 96.

R.P. Prior de Capella[56])
In Burgundia et Campania
R.D. Abbas de Bello Loco[57])
In Alvernia
R.P. Prior de Bella Valle Nivernensi[58])
In Suevia
R.D. Abbas Roggenburgensis[59])
In Pictavia et Britannia
R.P. Prior de Blanche Landa[60])
Visitator Blanchae Landae
R.P. Prior de Bello Portu[61])
Visitator Collegii Parisiensis
R.D. Abbas de Corneolo
Procurator Generalis in Curia Romana
R.P. Luca, S.Th. Licentiatus[62])
Procurator Ordinis in Urbe Parisiensi
Reverendus Pater Ferry[63])

[52] Tum Reverendissimus Dominus Praemonstratensis ad preces Dominorum abbatum Germanorum, una cum Capitulo generali, indixit

[56]) Agitur de canonia Capellae-ad-Plancas (= Chapelle-aux-Planches), dép. Haute Marne, dioecesis Lingoniensis (= Langres). BACKMUND, II, 490-491.

[57]) Constitutus fuit Henricus du Cauroy qui ab anno 1685 canoniam Belli-Loci (= Beaulieu), dép. de l'Aube, dioecesis Trecensis (= Troyes) administravit. BACKMUND, II, 483.

[58]) Abbatia Bellevaux, dép. Nièvre, dioecesis Nivernensis (= Nevers), BACKMUND, II, 143-244.

[59]) Adalbert Rauscher (1677-1694). BACKMUND, I², 69.

[60]) Abbatia Blanchae Landae (= Blanche Lande), dép. de la Manche, dioecesis Constantiae Normannorum (= Coutances) in commendam data. BACKMUND, II, 18-19.

[61]) Vide supra notam 31.

[62]) Agitur de Claudio Honorato Lucas de Muin, futuro abbate generali. Ab anno 1683 Joannes Ignatius Backx, religiosus Tongerloensis, Romae Collegii Sancti Norberti praeses, procuram generalem ex deputatione abbatis generalis Colbert tenuit, qui tantum die 18 augusti 1684 patentes in forma dedit. Cum Claudius Lucas statim post constitutionem alteri officio applicatus fuisset, Ignatius Backx anno 1687 iterum procurator generalis statutus est ab abbate generali Colbert. Cfr. Joseph VANDER ACHTER, *Collectio capitulorum generalium et provincialium Ordinis Praemonstratensis..., 1726*, in AAT, V, ms. 18, fol. 374, 476, 477.

[63]) Sermo est de Petro Féry, antea Praemonstrati priore, qui, aliquando abbati generali Colbert infestus, coetui opponentium sese iunxit. Quae promotio ad syndicatum Parisiensem amotionis vices gerere videtur eo vel magis quod huiusmodi syndici agendi autonomia valde angustata fuit ex ordinatione abbatis generalis qua omnes lites a consultore laico, abbatis Colbert absque dubio cliente, Domino nempe Lorenchet, in antecessum probari et approbari deberent. Cfr. n. 43.

locum proximi Capituli generalis, Dominica *Cantate* post Pascha anni 1689 celebrandi in abbatia Belli Reditus in civitate Leodiensi[64]), sub beneplacito Regis Christianissimi et salvo in omnibus iure Matricis Ecclesiae Praemonstratensis.

[53] Deinde omnibus definitis et ordinatis, lecta et publicata fuerunt Acta et Decreta eiusdem Capituli generalis, ad mandatum Reverendissimi Domini Praemonstratensis coram toto assistente Coetu et postremo, habita ab eodem Reverendissimo exhortatione convenienti, dataque ab ipso solemni Benedictione cum stola et pedo, terminatum est Capitulum generale die prima Iunii anni millesimi sexcentesimi octogesimi sexti et signatum a praefato Reverendissimo Domino Abbate Generali Capituli Praesidis et a Reverendis Dominis Abbatibus et Praepositis praesentibus.

FINIS.

[64]) Beaurepart, canonia sita ad ripam Mosae fluminis in civitate Leodiensi (= Liège) Backmund, II, 357. Forsan hic adunationis situs selectus fuit eo quod ob frequentes contentiones inter Galliae Hispaniaeque coronas abbates Belgii hispanici saepius, ut de facto hoc anno 1686, praepediti fuerunt quominus libere ad archicoenobium gallicum accederent.

1717

Quae Capitulum generale anni 1717 pro disciplina totius praemonstratensis ordinis per decreta communia resolvit, promulgata fuerunt sub titulo incongruenti: *Capitulum generale Ordinis Praemonstratensis Praemonstrato celebratum Anno Domini MDCCXVII praesidente Reverendissimo Dom. D. Claudio Honorato Lucas, Doctore Sorbonico, Abbate Praemonstrati et totius ejusdem Ordinis Praemonstratensis Generali*[1]), Luteciae Parisiorum, Typis J.-B. Christophori Ballard, Christianissimi Regis Musicae Monotypographi, necnon ejusdem Majestatis Capellae Notatoris. MDCCXVII. Cum privilegio Regis.

Subsequens decretorum communium editio in praelaudato textu evulgato nititur. Decreta vero ad singula monasteria vel ad certas personas individuatim spectantia hucusque reperire non potuimus.

Ad calcem tamen praesentis editionis interventionem integre exscribimus quam abbas Cuissiacensis, Josephus Dionys[2]), in sessione duodecima huius Capituli habuit qua peculiarem figuram iuridicam ac praerogativas trium primorum Patrum Ordinis defenderet contra *vicarium generalem Ordinis* ab abbate generali libere designatum, utpote qui, recentioris creationis, protoabbatum iura, uti asseruit, usurpaverat.

Nec hac vice acta impressa elenchum capitulantium continent quorum nomina proinde ex aliis fontibus erui debent[3]). Plures abbates et priores communitatis antiqui rigoris

[1]) Abbas generalis Claudius Honoratus Lucas de Muin, anno 1657 in civitate Ambianensi (= Amiens) ex familia nobili natus, ac die 16 julii 1702 ad dignitatem generalitiam evectus, sollerti cum cura in instauranda abbatia Praemonstratensi et in sananda eius administratione temporali necnon in visitando ordine operam navavit. Vide GOOVAERTS, III, 172-176. — Ex diario abbatis Grimbergensis Augustini Van Eeckhout desumitur in praesentis Capituli sessione 11a, cuius acta non fuerunt integre promulgata, archicoenobium Praemonstrati debitis ad summam 300.000 librarum gravari ob aedificia quae abbas generalis Lucas ibidem exstrui curavit. Cfr. J.B. VALVEKENS, *Capitulum generale anni 1738*, in *An. Praem.*, L, 1974, 64. — Decreta huius Capituli prelo impressa inserta inveniuntur in NANCY, *Bib. municipale*, ms. 1767 (994), fol. 424r°-432v°.

[2]) Joseph Dionys, professus communitatis antiqui rigoris ordinis Praemonstratensis, abbatiale regimen canoniae Cuissiacensis (= Cuissy, dép de l'Aisne, dioecesis Laudunensis), anno 1704 ex indulto pontificio assumpsit idque usque ad annum 1733 tenuit. Cf. BACKMUND, II,499. Uti quartus Pater Ordinis, deficientibus secundo et tertio eiusdem dignitatis abbatibus, Sancti Martini Laudunensis nempe ac Floreffiensi, praecedentiam post Generalem obtinuit. Expositionem abbatis Dionys in extenso perscribimus, ut eius argumenta ponderari possint quae suo tempore iam crisi subiiciebantur ab annalista ordinis C.L. Hugo, *Annales*, tom. I, *Praefatio*, par. VIII. Idem abbas Cuissiacensis iam anno 1709 de eodem argumento *Mémoires* edi curavit quae acerbe ab ignoto impugnabantur. Contra talem anonymum altercando invehit J. Blanpain, qui, quondam abbatis Caroli Hugo in perscrutanda ordinis historia socius, nunc infesta dicta contra magistrum suum profert: [J. BLANPAIN], *Jugement des écrits de M. Hugo, évêque de Ptolemaïde, abbé d'Estival en Lorraine historiographe de l'ordre de Prémontré*, s.l., 1734, p. 272-380.

[3]) Ex annotationibus abbatis Grimbergensis Augustini Van Eeckhoudt, sedente Capitulo generali anni 1738 conscriptis, eruitur abbatem Castelli Mortaniae (= Chateaudieu, Château-lez-Mortagne, département du Nord, dioecesis Cameracensis = Cambrai) Basilium de l'Espierre (1711-1746) (BACKMUND, II, 408) sicuti in comitiis generalibus anni 1738 et in hoc Capitulo generali munere promotoris Capituli functum fuisse. Cfr. J.B. VALVEKENS, *Capitulum generale anni 1738*, in *An. Praem.*, L, 1974, p. 15.

Univ. Bibl. Tübingen
7 A 246

Praemonstrato capitulo generali ordinis interfuerunt[4]). Praelati, e contra, e ditionibus oriundi regimini Caesarii Maiestatis subiiectis ab ipso imperatore praepediti fuerunt quominus comitiis generalibus ordinis Praemonstratensis in Gallia interessent. Imo Marianus Hermann, abbas Strahoviensis et vicarius Bohemiae[5]), cum Vincentio Wallner, abbate Lucensi in Moravia[6]), per viam Virdunensem[7]) Praemonstratum iamiam appropinquantes in loco Clermont-en-Argonne die 15 aprilis 1717 a speciali veredario caesareo[8]), sine peculiari argumento[9]), ad propria redire cogebantur. Praelati deputati Hunga-

[4]) In diario Francisci Humbert, abbatis Bucilliensis (= Bucilly) e Communitate antiqui rigoris, legitur: «Nous nous y rendimes au nombre de quinze tant Abbés que Prieurs...». Cfr. Th. REJALOT, *Journal du R.P. François Humbert, abbé de Bucilly (Aisne) de l'ordre de Prémontré, 1659-1738*, in *An. Praem.*, VII, 1931, 163-164.

[5]) Marianus Hermann, abbas Strahoviensis, (1711-1741) (BACKMUND, I², 382), loco abbatis Siardi Worath, Plagensis (= Schlägl), qui die 17 julii 1711 ab abbate generali Lucas circator Capituli generalis pro circariis Bohemiae, Austriae, Silesiae, Moraviae et Hungariae constitutus fuerat, sed aegritudine praepeditus, praedictas circarias visitaverat. Cfr. Maximilian SCHIMBÖCK, *Siard Worath abt von Schlägl.* Ein Beitrag zur Geschichte des Stiftes Schlägl in Oberösterreich. (Schlägler Schrifte, 4), Linz, 1977, p. 59, 172.

[6]) Vincentius Wallner regimen canoniae Lucensis (= Louka, prope Znojmo in Moravia, dioecesis Olomucensis) annis 1712-1729 tenuit (BACKMUND, I², 364).

[7]) Vide diarium abbatis Bucilliensis scribentis: «En 1717 ... Déjà de puissants abbés de Bohème étaient passés par Verdun pendant notre chapitre. On les vit repasser le lendemain, parce que l'empereur avait révoqué toutes ses permissions et défendu à tous ses sujets d'assister a ce chapitre. Ce qui détourna nos RR. Abbés de Lorraine». Th. REJALOT, *art. cit.*, p. 163.

[8]) Transcriptum mandati caesarei de dato 3 aprilis 1717 asservatur in AAT, IV, 53, n. 66. Vide etiam *Succincta descriptio itineris ad capitulum generale Praemonstrati anno 1717 celebratum suscepti*, in Archivo Strahoviensi, *Karton* n° 289, fol. 4v°. Regredientes praedicti abbates inviserunt, die 23 aprilis 1717, canoniam brabanticam Grimbergensem ubi excepti fuere ab abbate Augustino Van Eeckhout. Cfr. Archivum abbatiae Grimbergensis, II, 19, p. 57. Cfr. J.B. VALVEKENS, *Capitulum generale anni 1717 et «jansenismus»*, in *An. Praem.*, XXXV, 1959, 160-161. Patet ex eodem praelati Grimbergensis diario abbates quoque Steinfeldensem, Michaelem Küll, (BACKMUND, I², 256) ac Saynensem, Engelbertum Colendal (BACKMUND, I², 248), ad Capitulum generale viam facientes, Montes in Hannonia pervenisse at, ibidem notato vias esse difficillimas, auditoque antea Bruxellis quod abbatibus Belgii prohibitio facta fuisset, missis ad Capitulum excusationis litteris, Bruxellis rediisse. Unde Grimbergensi, Strahoviensi et Lucensi praelatis sese iunxerunt canoniam sororum Vallis Liliorum Mechliniis, abbatiam Sancti Michaëlis Antverpiensem, Tongerloensem et Averbodiensem perlustrantibus. Cfr. AAA, *Diarium abbatum* 1670-1723, II, p. 403.

[9]) Quoad causas revocationis referunt *Extractus ex Annalibus provinciae anno 1713, anno 1714, anno 1715, anno 1716, anno 1717, anno 1718* ex archivo Strahoviensi *Karton* n° 289, fol. 7v°: «... Reverendissimus Dominus vicarius generalis ad propria reversus indilate ad reverendissimos dominos comprovinciales praelatos encyclicas expedivit, in quibus exposuit revocationis causam, videlicet ex eo factum, quod capitulum generale Praemonstratum et non Leodium fuerit indictum, uti anno 1686 fuerat constitutam salvo iure per omnia matricis ecclesiae Praemonstratensis. Inde sumpta fuit occasio perperam informandi Aulam Caesaream, capitula generalia alternatim semel Praemonstrati et semel in Belgio esse celebrata quod a veritate prorsus alienum est...». Quam communicationem ut et praecedentem ex archivo Strahoviensi a Dr. Carolo Dolista Pragense grati accepimus.

Ex relatione tamen abbatum Leopoldi Mauch, Minoraugiensis, et Hermanni

riae tempestive praemoniti iter nec aggressi sunt. Vicarius suevus Leopoldus Mauch, abbas Minoraugiensis[10]) cum Hermanno Vogler, abbate Rothensi[11]), Parisiis appulsi, instigante ibidem nuntio apostolico Guidone Bentivoglio, Capitulum generale tandem adirent ut, ubi de doctrina augustiniana in ordine praemonstratensi tenenda necnon de adhaesione bullae pontificiae anti-jansenisticae «*Unigenitus*», tergiversantibus hac in re Gallis, tractatum foret, submissionem capitulantium maxime concitarent[12]).

Abbatibus quoque Belgii Marchio de Prié, Bruxellis plenipotentiarius imperialis, die 2a aprilis 1717, inhibuit ne per se aut per deputatum Capitulo generali adstarent, afferrens in adunatione Capituli anni 1686, ad instantiam abbatum nationum Germaniae, conventum fuisse proxima comitia generalia in abbatia Belli Reditus Leodii[13]) convocatum iri, ac insuper aequum non esse ut Belgii abbates adunationibus Statuum his rerum temporumque circumstantiis desint[14]).

Ad materiam quod attinet a Capitulo tractandam, expostulavit procurator generalis ordinis, Ignatius Backx, abbas titularis Belli Campi, sustentationem sibi debitam sed numquam solutam iamiam expendi. Exoptavit praeterea apta decerni de revisione librorum liturgicorum ordinis praemonstratensis, de novis muneribus solummodo a Capitulo generali constituendis, de officiis sanctorum ordinis breviariis praemonstratensibus inserendis, de celebratione capitulorum provincialium minime intermittenda, de figura iuridica procuratoris generalis in curia romana apprime diffinienda, ac demum de edendo quodam Bullario in quo colligerentur litterae pontificiae et episcopales tam ad ordinem praemonstratensem universum quam ad monasteria singula spectantes[15]).

* * *

Vogeler, Rothensis, Parisiis praesidem collegii Praemonstratensis obviam habentium, deducendum videtur abbates Bohemiae et Moraviae mandato caesareo revocatos fuisse quia nuntius Viennensis Spinola imperatoris animum praeoccupaverat eo quod abbates corrumpi timeret ex contagione cum praemonstratensibus gallicis ad bullae anti-jansenisticae *Unigenitus* adhaesionem minus proclivis. Hoc apparet ex B. Stadelhofer, *Historia imperialis et exempti collegii Rothensis in Suevia*, III (Stuttgart, Württembergisches Hauptstaatsarchiv, ms. 159), p. 172 cuius relatio resumitur apud H. Tüchle, *Die Bulle 'Unigenitus' und die süddeutsche Prämonstratenser*, in *Historisches Jahrbuch*, 74, 1955, 344-345.

[10]) Annis 1708-1720 praefuit Leopoldus Mauch canoniae Minoraugiensi (= Weissenau) intra fines civitatis Ravensburgensis, Württemberg, dioecesis Rottenburgensis. Backmund, I², 86.

[11]) Hermannus Vogler sedem abbatialem canoniae Rothensis, propre Memmingen, dioecesis Rottenburgensis, annis 1711-1739 tenuit. Backmund, I², 72. Vide etiam Goovaerts, II, 348-349.

[12]) Cfr. H. Tüchle, *art. cit.*, 345. De bulla 'Unigenitus' deque contextu politico qui eius promulgationem provocavit vide L. Ceyssens, *Autour de l'Unigenitus. Le pape Clément XI*, in *Bulletin de l'Institut historique belge de Rome*, LIII-LIV, 1983-1984, 253-304.

[13]) Beaurepart in civitate et dioecesi Leodiensi (= Liège). Vide Backmund, II, 357-359.

[14]) Commercium epistolare hac de re inter abbatem Tongerloënsem Gregorium Piera, vicarium abbatis generalis pro circaria Brabantica, et Herculem Turinetti, Marchionem de Prié, necnon abbatem generalem Lucas de Muin asservatur in AAT, IV, 53, nn. 63, 64, 63bis, 65, 66, 67, 68, 69. — Vide etiam Archivum abbatiae Parcensis, VII, 23, liasse 2, n° 104.

[15]) Litterae procuratoris generalis Ignatii Backx d.d. 13 martii 1717 prostant in archivo canoniae Wiltinensi (*Lade* 7, V 1 b) et editae fuerunt in J.B. Valvekens, *Procurator generalis Ignatius Backx et capitulum generale anni 1717*, in *An. Praem.*, LIII,

Acta et Decreta communia Capituli Generalis Ordinis Praemonstratensis apud Praemonstratum celebrati, anno Domini MDCCXVII a die XXV Aprilis usque ad primam Maii inclusive.

[1] Die 25. Aprilis 1717, quae erat Dominica *Cantate* post Paschalem Festivitatem quarta, Praemonstrati quo pridie convenerant ex toto Ordine abbates, praepositi, priores aliique ad Capitulum generale vocati et deputati hora circiter nona, solemnis instituta est supplicatio, sub qua Reverendissimus D. Generalis pontificalibus indutus, eique assistentibus cum infulis Reverendis admodum Dominis abbatibus Cuissiacensi, Clarifontis[16]) et Minoraugiensi, ac praeeunte toto conventu suo Praemonstratensi ex ecclesia procedens ad supra nominatos capitulantes in area extra monasterium hinc inde ordinate adstantes pervenit, eosque aqua lustrali et thure odorato excipiens ad celebranda secum haecce generalia comitia in monasterium admisit. Tum incepta a cantoribus antiphona *Christus resurgens*, simul omnes bini et bini eamdem antiphonam prosequentes, ad templum processerunt, moxque Rmus Dominus ad implorandum Divini Numinis auxilium, pro toto capitulantium collegio, missam de Spiritu Sancto pontificali ritu et celebri ministrorum apparatu circumcinctus celebravit, qua finita, sese omnes ad aulam capitularem conventus recepere, concionem pro more audituri.

Sessio prima 25 Aprilis

[2] Die dominica vigesima quinta Aprilis hora post meridiem tertia, convocato ad pulsum majoris campanae Capitulo, Rmus Dnus Generalis aulam capitularem ingressus moxque in genua provolutus et dicta antiphona *Veni Sancte Spiritus* cum versiculo et collecta de Spiritu Sancto, surrexit et sedit et quoniam juxta Statutorum dictamen Dist. 4, cap. 3, art. 1 obedientiam ipse nondum ipsi praestiterat[17]), post praesti-

1977, p. 179-187. — Ad petitionem Ignatii Backx requirentis solutionem pecuniarum vi muneris sui expensarum, rescripsit abbas generalis Claudius Honoratus Lucas, die 14 januarii 1716, tantum Capitulum generale, cuius convocationem pro anno 1717 in votis habebat, creditam pecuniam solvere posse et quidem per impositionem talliarum. ROME, Archivum curiae generalitiae O. Praem., *Procuratores generales*, AA,1.

[16]) Bernardus Du Four annis 1677-1724 rexit abbatiam Clarifontis (= Clairfontaine), postea annis 1671/76 in Villers-Côtterets translatam. BACKMUND, II, 372.

[17]) «Sermone completo, omnibusque egressis qui Capitulo non debent interesse, et ostiis clausis ab iis qui per Dominum Praemonstratensem ad hoc fuerint specialiter deputati, statim ipse Dominus Praemonstratensis capellam Definitorii intret, ibidemque in

tam a Domino Cuissiacensi quarto Ordinis Patre in manibus amplissimi Domini de Four, abbatis Clarifontis, praestitit ipse suam Rmus Dnus Generalis et postea ipsi caeteri Domini abbates et praepositi qui nondum praestiterant genibus flexis et sub juramento praestiterunt sub his verbis *Promitto tibi, Reverendissime Domine, fidem, obedientiam et reverentiam.*

[3] Tum Rmus Dominus Generalis praehabito cum RR. admodum Dominis Cuissiacensi, Clarifontis, Minoraugiensi, de Castello[18]), Rothensi, et Knestedensi[19]) abbatibus consilio in definitores assumpsit ac nominavit praeter Rmum D. abbatem Cuissiacensem, quartum Ordinis Patrem,

R.D. abbatem Clarifontis Franciae et Ordinis vicarium generalem,
R.D. Minoraugiensem Sueviae vicarium,
R.D. de Castello Vasconiae vicarium generalem,
R.D. Belli Loci Campaniae[20]),
R.D. Rothensem in Suevia,
R.D. abbatem Knestedensem prope Coloniam,
R.D. abbatem Sancti Augustini apud Odemarum[21]),
R.D. abbatem Bellelagiae apud Helvetios[22]),
R.D. abbatem Vadegotiae ad Sarum fluvium[23]),
R.D. abbatem Montis Dei antiqui rigoris[24]),

manibus primi Abbatis (si tamen hoc ante numquam praestiterit) ipsi Capitulo generali obedientiam, flexis genibus promittat».

[18]) Henricus Dupuis de Cressonville abbas de Castello Vasconiae (= St.-Jean-de-la-Castelle), dép. des Landes, dioecesis Tarbelensis (= Dax) annis 1698-1731 regimen huius canoniae tenuit. BACKMUND, III, 194-196.

[19]) Leonhard Jansen regimen abbatiale canoniae Knechtstedensis (= Knechtsteden), prope Dormagen, Rhenania, dioecesis Coloniensis (= Köln) annis 1728-1754 tenuit. BACKMUND, I², 223. — GOOVAERTS, I, 414-415.

[20]) Joannes Christophorus Mathon, abbatiale regimen canoniae Belli Loci (= Beaulieu), dép. de l'Aube, dioecesis Trecensis (= Troyes) annis 1701-1730 exercuit. BACKMUND, II, 483.

[21]) Ferdinandus d'Auchy annis 1708-1732 praefuit canoniae Sancti Augustini (= Thérouanne Saint-Augustin), près de Saint-Omer, dép. Pas-de-Calais, dioecesis Atrebatensis (= Arras). BACKMUND, II, 424.

[22]) Joannes Georgius Voirol sedem abbatialem canoniae Bellelagiae (= Bellelay), canton Jura in Helvetia, dioecesis Basiliensis (= Basel) annis 1706-1719 obtinuit. BACKMUND, I², 456.

[23]) Abbatia Vadegotia (= Wadgassen), prope Saarlouis, dioecesis Trevirensis (= Trier) annis 1705-1743 regebatur ab abbate Hermannus Mertz. BACKMUND, I², 122.

[24]) Annis 1704-1725 abbas Philippus Lhermite praefuit canoniae Montis Dei (= Mondaye), dép. Calvados, dioecesis Baiocensis (= Bayeux) Communitati antiqui rigoris associatae. BACKMUND, III, 48.

R.D. Praepositum Zuriensem prope Cracoviam[25]),
R. Patrem Priorem Praemonstrati[26]),
R. Patrem Priorem collegii Parisiensis[27]).

His et aliis Capituli officiariis absque ullo praecedentiae prejudicio nominatis, praestitoque ab iisdem in manibus Reverendissimi Praesidis juramento de sibi commissis fideliter et sub secreto adimplendis, declaravit idem Reverendissimus ex more Ordinis omnes tam suos quam Capituli generalis quovis titulo commissarios, vicarios, visitatores, aliosque ad Ordinis negotia, sive generalia, sive particularia commissos, seu deputatos, a suis officiis, commissionibus et mandatis absolutos, qui statim ad praefati Reverendissimi manus commissionem suarum litteras humiliter deposuerunt et resignarunt.

[4] Mox proposuit Revmus Dominus Generalis archicoenobium suum a multis abhinc annis non fuisse visitatum, petiitque nominandos esse ab amplissimo Capitulo duos abbates qui una cum Domino Cuissiacensi illud indilate visitarent et recedente ipso, Definitorium concessu nominati sunt cum Domino Cuissiacensi Domini abbates Clarifontis et Minoraugiensis; in secretarium autem visitationis assumptus est R.P.P. Bruslé prior collegii Parisiensis.

[5] Proposuit insuper amplissimo Capitulo deesse penitus usualium librorum Ordinis exemplaria atque ita necesse esse omnino de novo imprimi. Respondit Capitulum posse imprimi ex nunc libros chorales, quod autem spectat ad Statuta et Ordinarium, expectandum esse donec consulti singularum circariarum vicarii memorialia sua ad Reverendissimum Dominum Generalem infra annum transmiserint.

[6] Mox Capitulum evexit et evehit festivitates Epiphaniae et Ascensionis Dominicae ad primam classem. Item concessit officium Sancti

[25]) Probabiliter agitur de praeposito Nicolao Lukowski (1708-1728) regente canoniam sororum de Zwierzyniec nunc intra ambitum civitatis Cracoviensis sitam. BACKMUND, I², 427-429. J.B. VALVEKENS, *Procurator generalis Ignatius Backx et Capitulum generale anni 1717*, in *An. Praem.*, LIII, 1977, p. 187 putat hic agi de praeposito Zabrdovicensi, quae assumptio non congruit cum specificatione adiuncta *iuxta Cracoviam*, nam canonia Zabrdovicensis sita erat iuxta civitatem Brunensem (= Brno) in Moravia. Cfr. BACKMUND, I², 388-389.

[26]) Non constat hucusque cuinam officium prioris Praemonstratensis hisce annis concreditum fuerat.

[27]) P. Bruslé, doctor Sorbonicus, ab anno 1709 rexit convictum Parisiense in rue Hautefeuille situm. Ad gremium archicoenobii non pertinuisse videtur quia, sedente capitulo generali huius anni, secretarium egit visitatorum qui ad inspiciendum statum abbatiae Praemonstratensis ablegati fuerant. Vide infra n. 4. De eius attitudine relate ad bullam 'Unigenitus' disserit H. TÜCHLE, *op. cit.*, 345-348.

Leopoldi die decima quinta Novembris celebrari per modum duplicis et breviariis de novo imprimendis suo loco inseri.

E sessione secunda 26. Aprilis

[7] Decrevit Capitulum ut in singulis circariis quando Capitulum generale non celebratur, Capitulum provinciale instituatur quo frequentius fieri poterit, singulis trienniis ad minus.

[8] Item decrevit Statuta Ordinis obligare prout jacent, et in Germania et in Gallia et ubique, eaque observari debere sub poena triduani jejunii contra eos qui quidpiam contrarium in dictorum Statutorum vilipendium spargere praesumperint.

[9] Item decrevit pro uniformitate electionis canonicae per totum ordinem observanda, stando juri communi, omnes et solos sacerdotes, et sacris ordinibus initiatos, exclusis clericis professis, posse vocem activam ferre in electionibus praelatorum, alienatione bonorum temporalium et in vestitione et professione novitiorum[28]).

[10] Item Capitulum perire nolens reliquias celebris quondam Monasterii Bernensis prope Sylvam Ducis, mandat vicario Brabantiae[29]) ut abbatem et religiosos Bernenses adigat ad allegandum coram se infra trimestre rationes, si quas habent monasterium non formandi; ipse autem eas Reverendissimo Domino Generali communicabit, quibus mature discussis si judicaverit construendum esse monasterium, injunget dicto vicario ut dictos abbatem et religiosos Bernenses etiam per censuras compellat ad aedificandum monasterium in loco qui secundum consilium vicarii et abbatum Brabantiae commodior esse judicabitur.

[11] Item Capitulum prohibuit ne quis Ordinis professor quacumque dignitate etiam abbatiali fulgeat, libros illos aut scripta quaecumque in

[28]) Derogatur per hoc decretum iterum iuri consuetudinario in archicoenobio Praemonstratensi vigenti quo clerici professi nondum in sacris constituti voce activa fruebantur.

[29]) Vicarius abbatis generalis pro circaria Brabantica erat tunc temporis abbas Tongerloënsis Gregorius Piera. Quaestio de instauranda vita communi pro canonicis Bernensibus post suppressionem canoniae anno 1648 dispersis, quorum maior pars in paroeciis degebat, abbas vero et provisor inde ab anno 1657 in refugio Vilvordiensi prope Bruxellas, iam anno 1670 a Capitulo generali (Cap. gen., V, 1670, n. 35), — proponente Liberto de Pape, abbate Parcensi et vicario generali Brabantino — examinata fuerat. De extinctione veteris abbatiae Bernensis vide W. VAN DEN HURK, *Berne op weg naar Spaans Brabant*, in *An. Praem.*, XLVIII, 1972, 243-290. De executione praesentis iussi capitularis disserit IDEM, *Het verborgen leven van de abdij van Berne in haar parochies* (Bijdragen tot de geschiedenis van het Zuiden van Nederland, XXXIX), Tilburg, 1977, 26-27.

lucem emittere praesumat, nisi a Capitulo ipso generali aut a Revmo Domino Praemonstratensi servatis servandis facultatem obtinuerit.

[12] Item Capitulum generale inhaerendo juri Ordinis et antiquae ejus disciplinae declaravit et declarat RR. patres priores non habere in monasteriis commendatis jurisdictionem ordinariam, atque ideo obedientiam quae ipsis in professione suorum religiosorum in absentia patrum abbatum promittitur iis promitti quorum personam in hujusmodi actu gerunt et quorum potestate delegata funguntur, juxta decreta Capituli Generalis anni 1618 et aliorum subsequentium[30]), quo circa in Statutis suo tempore inprimendis Capitulum decernit ad formulam professionis loco illorum verborum *Abbatem Regularem repraesentanti*, ponenda esse illa verba *Patrem Abbatem repraesentanti*[31]).

[13] Item Capitulum decrevit dispositionem ad herniam quae tolli potest judicio medicorum non esse impedimentum canonicum vestitionis et professionis, sicut et herniam actualem declaratam et cognitam quae attestantibus scripto medicis onera aut officia Religionis non impediat[32]).

[14] Capitulum autem volens historiae, utilitati et decori Ordinis providere, elegit et nominavit R. admodum Dominum Ludovicum Hugo, abbatem Fontis Andreae[33]), qui bullas pontificias et omnia Ordinis monumenta ab omnibus et singulis monasteriorum nostrorum superioribus, propriis eorum expensis ad ipsum transmittenda exigere possit et in una colligere.

[30]) Vide Acta Cap. gen., IV, 1618, p. 55.

[31]) In codificatione Statutorum, a Capitulo nationali gallico anni 1770 approbata, et auctoritate regis christianissimi promulgata, textus Statutorum communium ordinis Praemonstratensis anni 1630 (Dist. I, cap. XVII, n. 22) immutatus reassumptus fuit quin ratio haberetur emendationis in praesenti Capitulo minus sagaciter impositae. Cfr. *Statuta sacri et canonici Praemonstratensis Ordinis, renovata jussu Regis Christianissimi et auctoritate Capituli nationalis anni 1770*, Parisiis, M.DCC.LXXII, cap. XX, n. 17.

[32]) Cfr. Cap. gen. V, 1670, n. 9.

[33]) De canonia Fontis-Andreae (= Fontaine-André, iuxta Neuchatel in Helvetia) quae iam anno 1530 suppressa erat vide BACKMUND, I², 458-459. — Cfr. GOOVAERTS, III, 110-129; E. MARTIN, *Hugo, Charles, Louis*, in *Dictionnaire de Théologie Catholique*, VII, 1, col. 201-203. Recenter de Carolo Ludovico Hugo disseruit M. TAILLARD, *Le Père Charles-Louis Hugo*, in *An. Praem.*, LI, 1975, 239-269 et LII, 1976, 5-37. Eius bibliographia invenitur in *Bibliographie lorraine*, t. V, fasc., 2, éd. J.-Ph. HAAS et Ch.-V. HYPPOLITE (Académie nationale de Metz), p. 170-171, n. 6662 (38 titres). — De modo quo C.L. Hugo opus sibi commissum explevit vide H. LAMY, *L'abbé Hugo d'Etival et la coopération des abbayes belges à son œuvre historique*, in *An. Praem.*, I, 1925, 174-186, 261-285.

E sessione teria 26 Aprilis post meridiem

[15] Ad petitionem R. admodum D. abbatis Sancti Folliani[34]) confirmavit Capitulum decretum ultimae visitationis anni 1716 a Revmo D. Generali emanatum quo concessum est monasterio Sancti Folliani celebrare festum Sancti Folliani per modum triplicis primae classis cum octava.

[16] Item decrevit festum Sanctarum Reliquiarum transferri posse in omnibus et singulis monasteriis in diem Sancti cujus habentur insignes Reliquiae.

[17] Item definivit festum secundi patroni fieri debere ubique per modum festi triplicis tertiae classis.

[18] Deinde ad propositionem Patris Vicarii communitatis strictioris observantiae quid esset faciendum in decessu pastorum nostrorum quorum inhumationem decani rurales praetendunt sibi arrogare, respondit Capitulum totis viribus esse resistendum et privilegia nostra, tam in hac parte quam in aliis intacta servanda.

[19] Decrevit item Capitulum ut in quacumque circaria novitiatus communis institueretur ad quem omnes octiduo post vestitionem superiores, excepto Vadegotiae abbate, novitios suos mittere teneantur.

E sessione quarta 27. Aprilis

[20] Decrevit Capitulum a festo Omnium Sanctorum usque ad Pascha in omnibus Galliae monasteriis canonicos nostri Ordinis uti debere rochetis sub cappis laneis et longis caputiis, a Paschate autem usque ad festum omnium sanctorum, superpelliceis et almutiis sub officiis divinis Primam immediate sequentibus, sicut et biretis quadratis quibus utentur sacerdotes etiam antiqui rigoris per diem tam in domo quam in ecclesia[35]).

[34]) Abbatia Sancti Foillani (= Saint-Feuillien, in oppido Roeulx, Hannonia, Belgio, dioecesis Tornacensis) annis 1697-1718 regebatur a praelato Norberto de Reusmes. BACKMUND, II, 397.

[35]) Communitas antiqui rigoris numquam introduxit birretis utendi morem in hoc Capitulo impositum uti asserit Carolus Saulnier eiusdem Communitatis sodalis, in editione Statutorum anni 1630: *Statuta candidi & canonici ordinis Praemonstratensis...* editio tertia, variis generalium et provincialium Capitulorum decretis illustrata, otis et commentariis adornata a R.P. Carolo SAULNIER, canonico Praemonstratensi, Stivagii Priore et Tractus Stivagiensis Officialis, Luxemburgi, M.DCC.LXXVI, p. 200-201. Quae usum birreti divinis solum deputavit officiis, non obstante praesentis Capituli generalis decreto.

[21] Item prohibuit doctoribus Communitatis antiqui rigoris uti calanticis alterius quam albi coloris.

[22] Item omnes tam pastores quam conventuales semper sint in pleno habitu, talari scilicet, toga, scapulari, cingulo et caputio in nostris monasteriis, nec liceat procuratoribus, cellariis, aliisque abbatialibus officiariis, sub pretextu cujuscumque consuetudinis, in pectorali habitu coram usque apparere.

[23] In quacumque circaria eadem sit vestium forma, materia eadem, color etiam itinerantium albus.

[24] Praepositi Neocellensis meritorum habito respectu et humili conventus ipsius supplicationi ac postulationi Capitulum attendens, praeposituram Neocellensem perpetuis futuris temporibus ad commendationem amplissimorum dominorum abbatum Minoraugiensis et Rothensis in abbatiam evexit et evehit, praepositumque ipsius abbatiali dignitate et nomine insignivit et de facto insignit[36]).

[25] In favorem studiorum et ubi actu vigent studia, permittit Capitulum superioribus deputare quatuor canonicos ad legendum in choro septem psalmos et officium defunctorum pro toto conventu.

[26] Item decrevit quod tempore paschali et singulis sabbati et dominicis diebus per annum in memoriam resurrectionis dominicae non flectantur genua cum dicitur antiphona de pace et salutatio angelica.

[27] Item in singulis circariis unus vel duo carceres habeantur ubi sumptus propriorum monasteriorum criminosi et praecipue incorrigibiles concludantur et firmiter teneantur.

E sessione quinta 27. Aprilis post meridiem

[28] Lecta est epistola status et nobilium ducatus Juliae et Montium inscripta Revmo Domino Generali qua supplicabatur ipsi quatenus clausura nobilium monialium[37]) in eo quo nunc est statu manu teneretur, nec strictior introduceretur ne plures strictiori clausura deterritae nobilissimae virgines, ab ingressu coenobiorum averterentur. Amplissimum Capitulum facta matura deliberatione et pensatis dictorum nobilium momentis, totum negotium quo ad dispensationem clausurae

[36]) Post eius destructionem anno 1634, praepositura Neocellensis (= Neustift prope Freising, Oberbayern, cui civitati hodie est incorporata et ad cuius dioecesim München-Freising pertinet) ope Mathiae Widmann (1692-1721) ab anno 1700 instaurata fuit. Tamquam ultima ex canoniis bavaris ordinis praemonstratensis a praesenti Capitulo evecta est in abbatiam, ac praepositus, abbas factus, usum pontificalium obtinuit, primo ad personam tantum, ab anno 1722 etiam pro successoribus. BACKMUND, I², 10-12.

strictioris vel mitioris, sicut et exitus dictarum virginum reliquit prudentiae R.D. Generalis.

[29] Mox Capitulum ad instantiam deputati Hagenoensis, monasterium Hagenoense[38]) in circariam Campaniae transtulit et translatum declaravit.

[30] Deinde decretum est a Capitulo generali nullum praepositum posse praeposituram suam resignare praecipue cum reservata sibi pensione, absque expressa Revmi D. Generalis licentia.

E sessione sexta 28. Aprilis

[31] Amplissimus D. Rothensis proposuit nomine amplissimi D. abbatis canoniae Steingadensis in Bavaria[39]),

1° an non canonicus ordo noster privilegium habeat mittendi suos religiosos pro sacris ordinibus suscipiendis ad quemcumque episcopum sine demissorialibus litteris et respondit Capitulum habere privilegium;

2° utrum sacer ordo noster vi privilegiorum suorum possit exponere suos religiosos in omnibus ecclesiis et parochiis ubi jus patronatus et jus praesentandi habet, et respondit posse exponere;

3° an non liceat celebrare festa beatorum sancti ordinis nostri et qua authoritate id fieri debeat et respondit Capitulum licere celebrare, idque secundum litteras D. Procuratoris generalis ordinis nostri in curia romana, qui saepius requisitus super hoc, respondit bullas pontificias in contrarium allatas non respicere ordinem nostrum;

4° cum ecclesia Grifen filia Steingadensis[40]) a viginti et pluribus annis

[37]) Jülich (Gulick) et Bergen hodie in Rhenania-Westphalia. Vide J. RAMACKERS, *Adelige Prämonstratenserstifte in Westfalen und am Niederrhein*, in *An. Praem.*, V, 1929, 200-238; VI, 1930, 281-332. — L. HORSTKÖTTER, *Die Prämonstratenser und ihre Klöster am Niederrhein und in Westfalen*, in K. ELM (ed.), *Norbert von Xanten, Adeliger, Ordensstifter, Kirchenfürst*, Köln, 1984, 247-265.

[38]) Praepositura de Hagenau (nunc Haguenau), in civitate eiusdem nominis in Alsatia, dioecesis Argentoratensis (= Strasbourg), ob incorporationem civitatis in regnum Galliae (1689), separata fuit a circaria Vadegotiae et in circariam Campaniae translata. BACKMUND, I², 94.

[39]) Magnus Pracht erat abbas canoniae Steingadensis (1715-1729) prope Schongau, in Bavaria superiore, dioecesis Augustanae (= Augsburg). BACKMUND, I², 33.

[40]) Praepositura de Griffen, in Carinthia linguae slavicae sed ditionis austriacae, dioecesis Gurk-Klagenfurt, ab anno 1616 erat sub paternitate dissitae canoniae Steingadensis. Canonia adeo dependebat et vexabatur a Bambergensibus, ut nec visitationes ibi institui possent a visitatoribus circariae Bavariae cui adscripta fuit. Hanc ob causam, iunctam longinquitati loci, disciplina saeculis XVII/XVIII valde relaxata fuit. Praesens dispositio capitularis aditum praebuit instaurationi disciplinaris quae permisit ut tandem decreto capituli generalis anni 1738 ad circariam Bohemicam transire et ad dignitatem abbatiae evehi potuerit. Vide BACKMUND, I², 6-7.

non fuerit canonice visitata, num expediret mandatum D. Steingadensi transmittendum, quo injungeretur ipsi dictam ecclesiam Grifensem filiam suam indilate visitare, respondit capitulum expedire maxime et decrevit patres abbates debere uti juribus suis ubicumque etiam extra cujuscumque regni limites, praesidere electionibus filiorum abbatum vel per se, vel per deputatos a se, confirmare electiones, visitare, etc.

E sessione septima 28. Aprilis post meridiem

[32] Porrectus est libellus supplex a R.P. Nicolao le Juge[41]) in curiis parisiensibus ordinis syndico, in quo rogat amplissimum Capitulum
1° Ut electionem sui in Capitulo nationali Parisiis habito anno 1707 factam ratam habere et emissum ad solvendas ipsi pensiones huc usque debitas, quod consecutus est arrestum de die octava Junii anni 1712 confirmare dignetur.
2° Ut juxta dicti Capituli nationalis mandatum nulla lis quovis ordinis nostri in Gallia superiore institui possit ipso inconsulto et non adhibito si opus fuerit patronorum et procuratorum expresse ad hoc nominatorum consilio. Nominati sunt autem in Parlamento et Magno Consilio D. Cappon vir singularis in ordinem benevolentiae et profundae eruditionis, in Privato Regis Consilio D. le Roy in patronos, in Parlamento D. Menassier, in Magno Consilio D. Chauvain, in Castello D. Petrus Benoventura Beviere, in Procuratores, praeter quos nullus a quoquam sumi possit et licitum sit dicto P. le Juge de authoritate Capituli generalis alium quemcumque rejicere et revocare.
3° Ut decretum a piae memoriae D. le Scellier quondam ordinis nostri Generali de die duodecima Martii anno 1653 edictum et renovatum a successore ipsius D. Colbert de die sexta Februarii 1702 quo Priori et syndico collegii parisiensis injungitur, ut vagos, errantes et fugitivos ordinis nostri religiosos in dicta civitate parisiensi ad domos suae professionis advocato etiam si opus fuerit brachio secularis auxilio, reducere et remittere teneantur, confirmare dignetur.
4° Petiit de novo excudi et typis mandari bullas summorum pontificum, diplomata regia, edicta ipsius regis consilii et alia quaelibet arresta quae ad privilegiorum et immunitatum ordinis confirmationem pertinere videntur, maxime illa quae ad exemptionem decimarum, beneficiorum curatorum in statu regulari continuationem et restitutionem exuviarum defunctorum parochorum percipiendarum usum et possessionem in

[41]) Goovaerts, I, 425.

unaquaque ecclesia ad quod tribunal seu jurisdictionem recurrere possit et debeat, ex illis instrumentis cognoscere possit et sua tutius jura defendere, quae omnia et singula dicti Patris Nicolai le Juge puncta et commenta Capitulum generale libenter approbavit et suum sortiri effectum mandavit.

E sessione octava 29. Aprilis

[33] Decrevit Capitulum renovari quae in Statutis nostris de Pastoribus scripta sint, scilicet

1° Ut singulis annis per tres ad minus dies in proprio Monasterio vel alio loco per Praelatum designando et ad ejus ordinationem singuli pastores, eorumque capellani, sepositis aliis omnibus occupationibus, in spiritualibus exercitiis toti versentur ut hac ratione spiritum renovent, mentem recolligant et in unum a quo forte defluxerant redigant.

2° Ut singulis annis omnium rerum quarum habeant usum et dispensationem computum fideliter reddant et sinceram atque earum integram dent descriptionem in qua omnia quaeque tam debita quam credita bona fide exprimant sub poena proprietatis.

3° Ut nihil in conventu agant unde turbatio vel discordia exoriri queat et si quid tale egerint publica poenitentia, destructa reparare cogantur.

[34] Item decrevit capitulum ut singulis annis pastores a superioribus canonice visitentur.

E sessione nona 29. Aprilis post meridiem

[35] Lectus est libellus supplex Prioris Branensis[42] et aliorum quorundam requirentium sibi refundi impensas quae pro pluribus diversorum monasteriorum scholaribus sustinere coacti sunt tam pro pensionibus ipsorum quam pro necessariis ipsis suppeditandis, decrevit Capitulum esse refundendas.

[36] Item decrevit Capitulum deambulationes annuas relinqui prudentiae superiorum iisque concedi debere qui per annum exactius officiis perfuncti fuerint.

[37] Item decrevit barbam singulis octiduis tonderi.

[38] Item decrevit suppriorem non debere esse in ecclesia in linea abbatis, sed in eadem cum caeteris fratribus ex sua parte chori.

[42]) De canonia Branensi (= Saint-Yved de Braine, prope Soissons, dép. de l'Aisne, dioecesis Suessionensis = Soissons) in commendam data vide BACKMUND, II, 484-487.

[43]) Acta Cap. gen., V, 1670, n. 23.

[39] Item decrevit quod in posterum tam praepositi quam priores virginum Ordinis nostri, rerum temporalium regimen habentes, singulis annis computus suos reddant coram patre abbate, priorissa vel magistra et quibusdam majoribus de domo et pecuniae asserventur sub tribus clavibus quarum unam praepositus habeat, priorissa vel magistra unam tertiam autem electa a conventu.

[40] Item Capitulum renovans decretum ultimorum Capitulorum generalium annorum 1670[43]) et 1686[44]) declarat religiosum qui occulte injuriam facit superioribus aut aliis fratribus, damna graviora illis inferenda usque ad commissionem peccati mortalis, ipso facto suspensionem, et si non sit in sacris ipso facto excommunicationem incurrere quamvis contra ipsum nulla reperiatur probatio, dictumque casum inter reservatos reputari debere.

E sessione decima 30. Aprilis

[41] Quaesitum est utrum psalmus *Deus misereatur nostri* legi debeat in singulis horis officii B. Mariae in diebus quibus dici solet et responsum est dici debere tantum in Laudibus et Vesperis.

[42] Item declaravit domum Benedictae Vallis[45]) ab abbatia Stagni esse separatam servato semper Abbati Stagni jure paternitatis in ipsam.

[43] Item decrevit quod qui luderent pro pecunia, paena contra proprietarios punirentur.

E sessione undecima 30. Aprilis post meridiem

[44] Capitulum ad requisitionem supprioris Lisquensis a suo priore deputati[46]), transtulit monasterium Lisquense in circariam Pontivi et translatum declaravit.

[44]) Acta Cap. gen., V, 1686, n. 37.

[45]) Benoitevaux, prioratus canoniae Stagni (= l'Etanche), dép. de la Meuse, dioecesis Virdunensis (= Verdun) cum peregrinatione ad imaginem miraculosam B. Mariae virginis. Praesens Capitulum prioratum a canonia Stagni seiungens sui iuris fecit in communitate antiqui rigoris. Contra hoc decretum, latum ad instantiam D. Daguessau cancellarii Franciae, nomine ducis Lotharingiae protestati sunt abbates circariae eiusdem nominis unde ad effectum deduci nequivit. Cfr. BACKMUND, I², 61. Vide etiam annotationem in margine huius decreti in ms. Nancy, n. 1767, (994) fol. 430r°: «Contra hoc decretum protestati sunt abbates Lotharingiae et est nomine ducis et nullum obtinuit effectum usque modo 1727».

[46]) Canonia Lisquensis (= Licques), dép. Pas de Calais, dioecesis Bononiensis (= Boulogne), quae fuit circariae Flandriae (cfr. BACKMUND, II, 413-417) in circariam Pontivi (= Ponthieu) translata fuit postquam Galliae rex per bellum devolutionis magnas partes Flandriae voraverat.

[45] Item declaravit Capitulum absentibus aliis superioribus circatorem .poenitentias in capitulo posse imponere et sedere a suo latere in mensa praesidis in refectorio si sacerdos fuerit.

[46] Deinde ad requisitionem deputati circariae Westphaliae, decrevit Capitulum praepositum virorum installatione juniore debere praecedere praepositis virginum antiquiores se.

[47] Mox Capitulum renovavit decretum jam in pluribus Capitulis confirmatum, quo declaratur ut vacante ecclesia Praemonstratensi jurisdictio poenes sit vicarios ipisque deficientibus poenes circatores[47]).

[48] Exposuit insuper Reverendissimus Dominus amplissimo Capitulo misisse se cum litteris obedientialibus fratrem Franciscum Mangeot sacerdotem communitatis antiqui rigoris ad monasterium Stivagiense[48]) praehabito cum vicario dictae communitatis consilio et a R.D. abbate Stivagiensi in vilipendium suae auctoritatis et contra dictamen Statutorum indigne fuit remissum, rogavitque ut quod iuris esset super hoc a Capitulo decideretur. Capitulum autem re mature pensata decrevit dictum Dominum abbatem Stivagiensem paenas incurrisse Statutorum, volens nihilominus cum illo benignius agere, decrevit ut infra mensem vel per se vel per deputatum a se coram Reverendissimo Domino compareret rationem suae inobedientiae redditurus.

[49] Deinde reduces a visitatione Praemonstratensi qui nominati fuerant ab amplissimo Capitulo generali commissarii referente amplissimo Domino Cuissiacensi abbate, visitationis rationem reddidere, retulit autem D. Cuissiacensis, sese omnia tam in spiritualibus quam in temporalibus in statu bono et laudabili reperisse, soluta esse a Reverendissimo Domino omnia quibus gravabatur domus, ad summam fere trecentorum millium librarum debita, et nihil esse nisi laude dignum: quod amplissimum Capitulum generale gratulatoria approbatione, ipsi Reverendissimo Domino tunc egresso et mox redeunti, nunciatum voluit de quibus ipse, tam Dominis commissariis, quam toti Capitulo gratias egit plurimas.

[50] Tandem ventum est ad Hispanos qui quantumvis ad Capitulum praesens per indictionem vocati minime tamen comparuerunt, nec

[47]) Haec dispositio radicatur in litteris apostolicis *Prospero foelicique* die 8 martii 1641 sub forma brevi datis, quibus intrusioni cardinalis Richelieu in sedem abbatialem Praemonstratensem pro tempore remedium praebebatur. Textus invenitur apud HUGO, *Annales*, I, Praefatio.

[48]) Canonia Stivagiensis (= Etival) prope Senones, dép. Vosges, dioecesis Tullensis (= Toul) anno 1627 communitati antiqui rigoris aggregata fuit. Annis 1682-1723 Simeon Godin abbatiale regimen ibi exercuit. Cfr. BACKMUND, III, 67-71.

ullum a circaria sua deputatum, vel excusatorias absentiae suae litteras miserint, ideo hos Capitulum rebelles, necnon contumaces declaravit et declarat et praecedentium Capitulorum decretis inhaerens, volensque ius suum in dictam circariam continuare, mandat procuratori Ordinis in curia Romana ut omni via iuris adversus eos procedat, tandemque Revmo Domino Praemonstratensi et amplissimo Capitulo generali obtemperare compellat[49]).

[51] Caeterorum autem RR. abbatum et praepositorum sicut et priorum excusationes a referendariis examinatas et Capitulo relatas, ratas habuit et probavit.

[52] Item centum missalium[50]) exemplaria communitati antiqui rigoris, caeteris autem monasteriis quot a Revmo Domino Generali assignata sunt distribui mandavit sicut et ritualium[51]).

E sessione duodecima 1. Maii

[53] Processum est ad nominationem vicariorum, visitatorum, aliorumque officiariorum, cumque Revmus Dominus Generalis proposuisset Capitulo amplissimum Dominum abbatem Clarifontis in vicarium generalem totius Ordinis, amplissimus Dominus Cuissiacensis quartus Ordinis Pater praetendit iniuriam sibi fieri[52]), consulto itaque amplis-

[49]) Abbas generalis Claudius Honoratus Lucas in casu contumaciae circariae hispanicae propositum suum urgere videbatur ac, currente anno 1716, redintegrationem hispanorum tandem exspectavisse. Die enim 14 ianuarii eiusdem anni procuratori generali Romae rescripsit: «Comme j'attendais la décision de cette affaire de jour en jour et que je croyais que je serais obligé de faire le voyage d'Espagne pour rétablir toutes choses dans l'ordre, je n'ai pu convoquer un chapitre général que j'espère pouvoir tenir l'année prochaine...». ROMAE, Archivum curiae generalitiae O. Praem, *Procuratores generales*, AA,1.

[50]) Agi debet de missali auctoritate abbatis generalis Colbert et capituli generalis anno 1697 Parisiis apud Fredericum Leonard edito. Cfr. GOOVAERTS, IV, 205.

[51]) *Rituale Praemonstratense... Michaëlis Colbert, abbatis Praemonstratensis, ... authoritate novissime collectum...*, Parisiis, apud Fredericum Leonard ... M.DC.LXXVI.

[52]) Ad calcem decretorum huius Capituli integre adiicimus expositionem abbatis Cuissiacensis, qua acriter impugnatur libera nominatio *vicarii generalis totius ordinis* ab abbate generali peragenda, quaque asseritur ius paternitatis in abbatiam Praemonstrati viduatam, quod tres proto-abbates in solidum sibi vindicant, iurisdictionem fiduciariam in universum ordinem complectere ac per creationem novi vicarii generalis noceri, quamvis istius figura iuridica numquam a competente auctoritate delineata nec rite promulgata fuerit. Iure consuetudinario paulatim tale munus introductum videtur. Etenim Statuta ordinis nullum explicite deputant qui, viduata ecclesia Praemonstrati, totius ordinis curam gerat, dum, altera ex parte, propter commendam, locorum longinquitatem ac Reformatorum regendi studium, proto-abbates minus apti ad curam totius ordinis gerendam censebantur. Inde factus est quod v.g. abbas S. Martini Laudunensis Nicolaus le Saige, die 20 maii 1618, ab abbate generali Petro Gosset ad munus vicarii generalis totius ordinis

simo Capitulo generali et re mature considerata declaravit posse Rev. mum Dominum Generalem vicarium generalem nominare cui sese decreto Dominus Cuissiacensis opposuit et suam petiit oppositionem actis inseri, quod factum est, cujus tamen oppositione non obstante Revmus Dominus Generalis nominavit

in vicarios generales

Franciae et Ordinis R.D. abbatem Clarifontis in casu necessitatis
Floreffiae et Flandriae R.D. abbatem Floreffiae[53])
Pontivi R.D. abbatem Dommartinensem[54])
Brabantiae R.D. abbatem Tongerloensem[55])
Vasconiae R.D. abbatem S. Joannis de Castello
Westphaliae R.D. abbatem Steinfeldensem[56])
Campaniae et Burgundiae R.D. abbatem Bellelagiae
Sueviae R.D. abbatem Minoraugiensem
Bavariae R.D. abbatem Steingadensem
Bohemiae R.D. abbatem Strahoviensem[57])
Hungariae R.D. abbatem Lucensem[58])
Poloniae R.D. praepositum Plaucensem[59])
Hispaniae R.D. abbatem Sancti Andreae[60]),

in visitatores seu circatores a capitulo deputatos

Pontivi R.D. abbatem Sancti Augustini
Westphaliae R.D. abbatem Seynensem[61])
Bohemiae R.D. abbatem Plagensem[62])

vocatus fuit. Vide litteras nominationis in L.C. Van Dijck, *Le cardinal de Richelieu, abbé de Prémontré*, in *An. Praem.*, LXIV, 1988, 111-113.

[53]) Bernardinus de la Perle (1701-1718), Backmund, II, 378.

[54]) Carolus Ricouart (1708-1719), Backmund, II, 551.

[55]) Gregorius Piera (1695-1723), Backmund, II, 335.

[56]) Michael Küll (1693-1732), Backmund, I², 256.

[57]) Marianus Hermann (1711-1741), Backmund, I², 382.

[58]) Vincentius Wallner (1712-1729), Backmund, I², 364.

[59]) Agitur de Michaele Wilkowski abbate canoniae Hebdoviensis (= Hebdow prope Krakow in Polonia, Backmund, I², 412) insimul praeposito parthenonis SS. Mariae Magdalenae de Plock (Backmund, I², 419). Cfr. A. Zak, *L'ordre de Prémontré en Pologne*, in *Revue de l'Ordre de Prémontré et de ses missions*, Parc, 1906, 195.

[60]) Canonia Sancti Andreae in Nemore (= Saint-André-au-Bois) annis 1688-1731 abbatiali regimini Andreae Thomas subiecta erat. Backmund, II, 564.

[61]) Engelbertus Colendal (1698-1719), Backmund, I², 248.

[62]) Siardo Worath abbati Plagensi (= Schlägl) iam ante huius Capituli generalis celebrationem munus circatoris circariae Bohemiae concreditum fuit, quod tamen ob infirmam valetudinem ipse exsequi non poterat. Visitationes exinde capitulum generale anni 1717 praecedentes ab abbate Strahoviensi Mariano Hermann peractae fuerunt. Cfr. M. Schimböck, *Abt Siard Worath*, p. 59. — Litterae nominationis d.d. 3 Junii 1717 asservantur in archivo Plagensi, Schachtel 105.

Poloniae R.D. abbatem Habdoviensem[63])
Communitatis antiqui rigoris abbatem Cuissiacensem
Belliportus et Blanchelandae R.P. Bellozanae[64])
Loci Dei in Jardo R.P. Belliportus[65]),
in procuratorem generalem in curia romana R.D. Abbas Belli-Campi[66]),
in syndicum parisiensem R.P. Le Juge.

[54] Quibus nominatis Reverendissimus Dominus Praemonstratensis indixit Capitulum generale proximum Praemonstrati celebrandum ad annum 1720 in Dominicam *Cantate* quartam post Pascha.

[55] Deinde omnibus definitis et ordinatis, lecta et publicata fuerunt acta et decreta ejusdem Capituli generalis coram toto assistente conventu et habita ad eodem Revmo Domino Generali ad decretorum observantiam viva et efficaci oratione, dataque ab ipso solemni benedictione cum stola et pedo, terminatum est Capitulum generale die la Maii anni 1717 et signatum a praefato Revmo Domino Generali Capituli praeside et a caeteris RR. Dominis Definitoribus.

Haec extracta cum suo Originali concordant. Sic testor

F. Reynal, Capituli generalis Secretarius.

Praemonstrati 3. Junii 1717.

[63]) Michael Wilkowski, ultimus abbas regularis canoniae de Hebdow prope Cracoviam (= Krakow) quae fuit mater et caput circariae Poloniae (1692-1726). Backmund, I², 412.

[64]) Canoniae Belli portus (= Beauport), dép. Côtes-du-Nord, dioecesis Briocensis (= Saint-Brieuc) et Blanchelandae (= Blanchelande), dép. de la Manche, dioecesis Constantiae (= Coutances) sicut et abbatia Bellosannae (= Bellosanne), dép. Seine-Maritime, dioecesis Rotomagensis (= Rouen) (Backmund, III, 39) communitati antiqui rigoris aggregatae non erant et idcirco prioris Bellosannae visitationi commissae fuerunt.

[65]) Canonia Loci Dei in Jardo (= Lieu-Dieu-en-Jard), dép. de la Vendée, dioecesis Pictaviensis (= Poitiers), jam anno 1660 nomen dederat communitati antiqui rigoris sed religiosi reformati postea expulsi fuere ab abbate generali Colbert. Backmund, III, 23-24.

[66]) Ignatius Backx, canonicus Tongerloënsis, (1650-1736) qui iam inde a die 6 junii anni 1683 munere procuratoris generalis Romae fungebatur, quamvis solummodo die 18 augusti 1684 patentes nominationis ad abbate generali Colbert accepisset, anno 1697 titulo abbatiali canoniae extinctae Belli Campi (= Belchamps), dép. du Doubs, dioecesis Bisuntinae (= Besançon) (Backmund, I², 452-453) insignitus fuit. Vide Cap. gen., V, 1686, nota 62; Goovaerts, III,14-15. — Ad normam Statutorum dist. 4, cap. 15, n. 16 in initio Capituli generalis deposuit officium suum vovens non facile reassumpturum nisi «pro annis praeteritis, si non plena, discreta saltem et honesta per indigitatos superius debitores fiat acceptatio, et pro futuris — si mihi restituendum censueritis — competens decernatur securitas». J.B. Valvekens, *Procurator generalis Ignatius Backx et capitulum generale anni 1717*, in *An. Praem.*, LIII, 1977, 183.

DOCUMENTUM

— fol. 411r° — *Expositio humillima Amplissimo Capitulo generali ordinis Praemonstratensis cum protestatione a F. Josepho Dionis Sacrae Theologiae Doctore abbate Cuissiacensi et ejusdem ordinis quarto Patre facta in aula Capituli generalis die 1a Maii anni 1717 pro conservando suae paternitatis ac duorum collegarum a Capitulo absentium iure. De vicariatu generali totius Ordinis quandocumque ecclesia Praemonstratensis suo pastore fuerit viduata aut quomodocumque alio necessitatis casu etc.*[67]).

Cum in primis inter vos, amplissimi patres, subsellis sedeam, certa mihi spes subest fore ut me meam simul et collegarum meorum causam ex aequo propugnantem benigne sitis audituri, ac ne vos immorer demonstrandum hoc mihi incumbit nominationem Domini abbatis Clarifontis in Vicarium generalem totius ordinis sede Praemonstratensi vacante omnibus ordinis iuribus adversari quippe ius invigilandi toti ordini, ipsumque moderandi in eo viduationis casu ad solos tres ordinis primos abbates, qui patres nuncupantur, — fol. 411v° — attinere tam apertum est, quam quod maxime nec illud fateri gravabitur quisquis 1° Statuta et antiqua ordinis monumenta percurrerit, 2° qui ad usum veterem novumque attenderit, 3° qui rationes omnis generis plurimas easque graves quas in nostri iuris patrocinium sumus allaturi serio perpenderit. Vos tanti momentis assensum non denegaturos facile mihi polliceor.

Atque ut a Statutis nostris ordior, nemo in ipsis non peregrinus ea iuri nostro mire patrocinari ierit inficias. Enimvero sic habent cap. 12, dist. 4, num. 1°: *Quandocumque ecclesia Praemonstratensis suo pastore fuerit viduata canonici ipsius ecclesiae cum trium primorum abbatum (ad quos tunc dictae ecclesiae cura pertinet) Laudunensis scilicet, Floreffiensis et Cuissiacensis consilio, personam idoneam eligant advocatis quoque ad consilium quattuor aliis abbatibus ad eandam ecclesiam pertinentibus quos ipsi canonici dictae Praemonstratensis ecclesiae iudicaverint advocandos.*

Jam plane intelligitis, amplissimi patres, quam elucide concertum sit

[67]) Praesens textus invenitur in ms. Nancy, n. 1767 (994), fol. 411r°-422r° et ita compositus apparet ut revera coram patribus Capituli generalis pronuntiatus fuerit. Documentum eiusdem fere tenoris exstat in eodem manuscripto fol. 463r°-473r°, sed humillima abbatis Cuissiacensis expositio, prout in illa secunda versione prostat, patribus capitularibus submissa non fuit sed est potius redactio praeparatoria.

in allegatis verbis praefatum ius trium primorum abbatum totum ordinem regendi, gubernandique in casu necessitatis ac praesertim viduationis ecclesiae — fol. 412r° — Praemonstratensis. Ut tamen ius illud magis elucescat, hoc ex allatis verbis sic eruor, ad illos solosque spectat regimen totius ordinis ad quos ecclesiae Praemonstratensis cura pertinet. Cur enim Domino Praemonstratensi creditam censetis totius ordinis curam? Cur ipsum quotquot sunt, qui sub beato Norberto militant tamquam principem moderatoremque suum colunt ac venerantur? Idcirco sane quod monasterio Praemonstratensi praeficitur et tunc est quod eo ipso quo fit abbas illius archicoenobii, caput et generalis totius ordinis censeatur.

Nequevero in animum induxeritis ordini nostro hoc esse singulare, ea enim lege utuntur omnes fere qui plura ante saecula floruerunt ordines religiosi, nullum habent quempiam qui generalis vices gerat, quam abbatem vel primi monasterii superiorem: sic habent Cluniacenses, Cistercienses, Cartusiani, canonici regulares tam Sancti Genovefae quam Sancti Salvatoris et fere alii omnes. Jam ergo certo colligere possumus ad illos solos pertinere curam et regimen totius ordinis sede vacante ad quos tunc spectat cura — fol. 412v° — et administratio Praemonstratensis ecclesiae. At ad tres primos abbates pertinet cum haec ecclesiae Praemonstratensis sede vacante ut evidenter constat ex mox allegatis Statutorum verbis, ad illos igitur solosque spectat cura et regimen totius ordinis sede vacante.

Idque iuris tam indivulse tribus ordinis paternitatibus adhaeret ut nec Capitulorum generalium nec Domini Praemonstratensis decebit, reverenter dicam, abrogari queat ullatenus haec quippe apud iurisperitos lex sancta et inconcussa, ab aeterna et naturali fluens, irrita esse illorum iudicia qui minori auctoritate pollent in eorum iussa qui maiori dignitate praefient: atque adeo si semel steterit, haec paternitatum iura a Sancta Sede fluxisse, quis a Reverendissimo Generali amplissimisque Capitulis ea rescindi posse audeat comminisci? Quod vero ius illud a Sancta Sede emanarit, conjicitur ex bullis Alexandri III, Lucii III et omnium ferme pontificum qui ordinis privilegia confirmarant, ii omnes unanimi voce dederant vacante ecclesia Praemonstratensi curam huius ecclesiae ad illos attinere, idque, ut addit Alexander III *ad cautelam et custodiam ordinis*, iam vero quae cautela? quae — fol. 413r° — custodia ordinis penes eos esset, quos iure moderandi ordinem in casu necessitatis spoliatos satis innuit Reverendissimus Dominus Generalis dum non obstante oppositione nostra Dominum abbatem Clarifontis in vicarium

Franciae et totius ordinis non absque gravi paternitatum nostrarum dedecore duxit nominandum.

Huic Sanctae Sedis auctoritati addam et testimonium christianissimi regis Ludovici XI ex suo diplomate extractum anni 1491 *et primo circa electiones dicti praemonstratensis ordinis abbatis et aliorum suorum coabbatum* statutum, decretum et ordinatum esse *comperimus quod eidem monasterio praemonstratensi pastoris solatio destituto per illius monasterii fratres et religiosos consilio trium primorum abbatum, scilicet Laudunensis, Floreffiensis et Cuissiacensis ad quos cura et custodia dicti Praemonstratensis monasterii pertinet quando vacat etc.* Haec probant satis superque ad solos tres primos ordinis patres attinere curam ecclesiae praemonstratensis pastore suo viduato et exinde regimen totius ordinis.

— fol. 413v° — Ne forte vobis molestus sim et fastidientem demum praebeatis aurem contrahere orationem et hanc secundam probationem summatim delibare cogor. Ut vero ad seriem perpetuae minimeque interruptae possessionis nunc pergam, hic scribenda esset historia ordinis: sed unum alterumve factum satis sit breviter exposuisse.

Possessioni perpetuae et non interruptae primo suffragantur acta Capituli generalis anni 1533 quod in monasterio Sancti Martini Laudunensis celebratum est. Ibi quippe legitur Capitulo praesedisse Dominum Amatum a Fonte, Sancti Martini simul et Cuissiaci abbatem, *attento* ut referunt acta Capituli, *decessu Reverendissimi Domini Praemonstratensis*. Aberat ab hoc Capitulo Dominus abbas Floreffiensis. Praefuit idem Dominus Amatus a Fonte Capitulo generali subsequentis anni *attenta vacatione sedis abbatialis Praemonstratensis monasterii.*

Nec immutatus dici potest hic usus temporum decurso. Extat enim in Bibliotheca Praemonstratensi pag. 964[68]) instrumentum — fol. 414r° — quo constat anno 1561 omnes in ea sententia unanimi fuisse vicariatum ordinis penes esse tres primos abbates quando sedes Praemonstratensis suo pastore orbatur. Suppressas enim per commendam nostras paternitates, quo tempore abbatis Praemonstratensis per Eminentissimos Cardinales Pisanum et Ferrariensem occupabatur Dominus Depruetis colloquii Poissiaci (vulgo Poissi) orator in iisdem comitiis regni gallicani a rege christianissimo per libellum supplicem humillime reposcit: at quibus mediis et orationibus vir ille sapientissimus et ordinis reformator usus fuerit ut illae suae pristinae formae restituerentur? Hoc fere unico

[68]) J. Le Paige, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, pag. 964, ubi refert supplicem libellum pro instauranda disciplina ordinis Praemonstratensis a Joanne Despruetis in colloquio Poissiaco porrectum.

argumento quod si rescindantur quo tempore Generalis defuit, ordinem suo pastore viduatum, fore sine regimine siquidem tres primi abbates sede Praemonstratensis vacante sint columnae ordinis fulciendi. Iuvat upsa verba libelli supplicis referre. *Dei Providentia, annuentibus Summo Pontifice et Rege christianissimo, iam olim tres primos abbates universus ordo constituerat ut essent* — fol. 414v° — *veluti columnae ordinis fulciendi ad quos, sede Praemonstratensi vacante, tamquam ad sacram confugerent anchoram afflicti abbates et religiosi, etc.*

Sed quid a remotioribus annis probationem et subsidium investigem? Nonne aetate nostra Dominus Amour abbas Cuissiacensis cum duobus delegatis tum a Domino abbate Floreffiensi tum a Capitulo generali loco abbatis Sancti Martini Laudunensis litem inter Dominum le Scelier, qui munus dignitatis abbatialis praemonstratensis deposuerat et Dominum Colbert coadjutorem electum[69]), non ne inquam, ut pater ordinis, litem iudicavit? cuius iudicium arresto regio, ipso christianissimo rege judicante firmatum est anno 1667. Non est igitur nostra emortua possessio quantumvis eam interturbare nitentur.

His ordinis nostri Statutorum, Bullarum Summorum Pontificum et Regum Christianorum diplomatum testimoniis, perpetua nos dum vacat Praemonstratensis sedes, vicariatus generalis possessione gaudere demonstratum credimus.

Postulat vero nunc ut et illud idem ratione, ex hominum agendi more deprompta, conemur astruere. Omnes porro utilitati semper in omni — fol. 415r° — negotio consulunt, refugiuntque vel levissimas incommodi imagines. Si ordinem regendi auctoritas a nobis ad vicarium generalem modo nominatum deferatur, non tantum non amoverentur quae metuenda censet Reverendissimus Dominus Generalis, verum inde tamquam ex radice plurima alia scaturirent incommoda. Enimvero rarius ille vicarius generalis (novum dico, amplissimi patres, cuius est hodierna et hactenus inaudita credis) novus inquam, ille vicarius generalis in capitis totius ordinis locum suffectus, iurisdictione polleret utique ordinaria vel

[69]) Michael Colbert non in coadjutorem electus fuit sed in abbatem Praemonstratensem, non observato iuris canonici praescripto de acceptatione romana demissionis abbatis le Scellier. Lite de validitate electionis ad non vacantem sedem abbatialem Praemonstratensem Romae pendente, Michael Colbert a Capitulo generali anni 1666 (Cap. gen., V, 1666, n. 43) in vicarium generalem totius ordinis promotus fuerat. Revocata ab abbate le Scellier muneris sui generalitii depositione, ipse a visitatoribus a Michaele Colbert, annuente rege christianissimo, adscitis inhabilem declaratus fuit ad munus generalitium exercendum. — Vide L.C. Van Dijck, *La promotion de Michel Colbert au généralat de l'ordre de Prémontré (1666-1668)*, in *An. Praem.*, LXV, 1989, 207-245.

delegata. Ordinariam esse hodie natam auctoritatem, nemo vestrum, ut arbitror, existimaverit. Delegatam fortasse dixeritis, utrum a Capitulo generali, an a Reverendissimo Domino Generali? Si a Reverendissimo Domino Praemonstratensi auctoritas illa exiit in novum hunc vicarium generalem, illo moriente deficit delegatio et delegati auctoritas et iurisdictio. Non enim stabiliorem esse putetis quam eam quae ab Illustrissimis Archiepiscopis et Episcopis, immo et ab ipso etiam Summo Pontifice delegatur eorum vicariis generalibus, qui tamen ab ipso pontificum obitu auctoritate omni et iurisdictione excidunt. — fol. 415v° — Adeoque moriente Reverendissimo Domino Praemonstratensi vicarii huius generalis iurisdictionem ruere et deficere necesse esset nec proinde posset ab eo sede vacante exerceri.

Si autem ab amplissimo Capitulo generali vicario illi demandetur auctoritas et totius ordinis regimen, duo statim veniunt disquirenda. Primum, an Capitulum iure a Summis Pontificibus confirmato tres primos ordinis patres spoliare et novum recentemque pro libito eodem iure induere queat? Alterum, quid tandem facto opus esset si forte Dominus Praemonstratensis superstes foret novo frui de recenti vicario? Si enim Dominus Abbas Clarifontis e vita excidat ante Dominum Generalem, in quem munus illud obeundum inclinabit? Praesertim novissimis hisce temporibus cum raro admodum comitia ordinis generalia convocentur ordo pastore et rectore destitutus tacebit diu, si cui administrationem deferat haerebit incertus.

His certe tantis meditemur incommodis, si antiquas ordinis leges, statuta, privilegia summorum pontificum et christianissimorum regum diplomata in integrum servemus et ex nostro omnium consensu trium ordinis patrum, ut hactenus, sic in futurum inconcussa semper maneat — fol. 416r° — auctoritas et plene regendi iurisdictio sede Praemonstratensi vacante atque cum eius perpetua possessione muniantur, non tantum novum esset et inauditum sed et nefas profecto foret ac piaculum eos e iure suo reali deturbare. Iure reali dicor, amplissimi patres, quod attentione vestra praecipue dignum est. Ius enim Domini abbatis Clarifontis cum personae, non dignitati sit adiectum, delegatum dumtaxat dici potest, cuius delegationi mox demonstravi incommoda. Patrum vero reale est non personae, sed dignitati et paternitati nostrae innatum et astrictum, unde ordinarium merito dixerim utpote a primoribus nostris et ab ordinis origine institutum, a Sancta Sede multoties confirmatum et in Statutis saepius expressum declaratumque. Inde fit quod cathedrae quae numquam iudice vacat, nunquam rectore destitue-

tur. Enimvero si mortuo Reverendissimo Domino Praemonstratensi tres primi abbates ab innata sibi in ordinem universum iurisdictione non decidunt ad illos recurretur, qui pro suo iure extincti Generalis vices vel supplere poterunt vel exhibere.

Cum hac ergo innata auctoritas cuilibet reipublicae ex unanimi omnium iudicio utilior — fol. 416v° — censenda sit, quam ea quae per vel electionem vel nominationem traditur, e re totius ordinis sit tres primos patres in usitata possessione iurisdictionis sede praemonstratensi vacante ita stare ut ad ipsos semper tamquam ad firma ordinis columna quisque confugere possit. Quamquam quod de tribus dixi, de duobus, immo de uno dumtaxat intelligendum sit, si nempe quod interdum contingit, nec tres nec duo sed unus solus hoc munus obire queat, tunc enim duo vel unus trium vices suscipere valet. Huius rei fidem facit arrestum regium, cuius hic tenor est: *Veu par le Roy estant en son conseil ... ordonne Sa Maiesté que les Statuts et Constitutions de l'ordre de Prémontré seront gardees selon leur forme et teneur et que suivant iceux l'indiction de l'election des dits generaux se fera par les trois premiers peres abbes dudit ordre; lesquels y presideront ou celuy ou ceux d'entre eux qui pourront faire la dite indiction et presider en cas d'absence, legitime empeschement, mort ou incapacité des autres, etc.*

Intelligitis certe, amplissimi patres, mala quae prospicit et suum obitum secutura declarat Revmus Dominus Generalis ea prorsus a nobis eliminari quippe semper erunt illi superstites et ratione officii — fol. 417r° — et paternitatis quodammodo indeficientes tres ordinis primi abbates, aut eorum alter qui sede vacante rerum capescent administrationem. Per huiusce novi igitur ac personalis in ordine vicariatus erectionem ne dum incommodis obviam itur, quin et graviora ordinisque multo magis infausta scaturiant. Taceam hic discordias, dissensiones, rixas, dissidia, quae ex hac nova et inaudita et anteactis saeculis ignota institutione statim orientur. Si enim deficiat vicarius ille generalis, quo tandem sese vertet ordo? novus procul dubio designandus; at quomodo? a quo? an nominatione? an electione? si a Domino Praemonstratensi an extra vel intra Capituli solemnia? si extra, vacillabit nominati auctoritas, immo et penitus deficiet post nominantis decessum quippe delegata est. Si intra Capituli generalis concessum, sane cum unum ab alio nonnumquam triginta annorum spatio distet, res eo tandem venient discriminis ut saepe saepius pessum eat omnis ordo praemonstratensis orbatus superioris maioris regimine. En, amplissimi patres, in quot quantaque dubia nos immergat nova haec institutio

quae nulla forent si sua nostris paternitatibus firma staret et inconcussa auctoritas.

— fol. 417v° — Haec si non evincant, quod disserendum mihi propositum est, vix credam futurum esse ut quavis ratione probari quid aliquando possit. Verum ne quid causa desit, addam et argumentum coeteris ni fallor gravius, ex quo vix sese expedient qui tribus primis patribus regimen ordinis in casu necessitatis denegandum censent. Sustinete me adhuc paululum, amplissimi patres, aemulor enim ordinem nostrum Dei aemulatione.

In est primis tribus ordinis paternitatibus (reverenter dicam et humillime) non nihil potestatis in ipsum Dominum generalem sibi a Summis pontificibus concessae et multoties in usu productae. Inde ius ordinis regendi in casu viduationis ecclesiae praemonstratensis tribus his patribus competere, quod eruam haud difficile mihi est. Huius porro non dicam praepositi auctoritatis, vester refugeret animus, sed qualiscumque potestatis tot ubique in scriniis ordinis exhibentur vestigia, ut non sit cur praetentionis chimeria eam fastidiosius insimulent.

Ea primo quidem mire elucessit ex historia Guillielmi secundi abbatis praemonstratensis. Guillielmus ille Praemonstrati abbas abdicaverat coram tribus primis abbatibus regimini abbatiae et totius ordinis. Tandem poenitentia sed sera ductus, quod posuit edidit ut in sua munia pristinamque dignitatem restitueretur. Ad Summum Pontificem appellavit — fol. 418r° — exoravitque commissarios a Sancta Sede qui in hac parte de sua abdicatione inquirerent. Re discussa per abbates Frigidi Montis et Fulcardi Montis Cisterciensis ordinis delegatos, Guillelmum abbatem Praemonstratensem *ab administratione amoverunt sententialiter* ut refert auctor Bibliothecae Praemonstratensis[70]), *hac de causa videlicet, quod coram tribus primis abbatibus aliquando cesserat.* Nullus certe potest abdicare beneficium nisi in manu superioris.

Ad quem alium testem graviorem possum producere qui fidem faciat illius auctoritatis in Reverendissimum Dominum Generalem quam Dominum Colbert ultimum abbatem Praemonstratensem, hanc confessus est, de declaratione publica et autentica subscriptione etiam tipis mandata, et a toto Praemonstratensi conventu subsignata comprobavit in quodam libello cui titulus est *Dissertation sur la demission faite par le Reverend Pere Augustin le Scelier*, pag. 22 et 23 cuius tenor hic est *quoique l'abbaye de Prémontré soit immédiatement dépendante du Saint*

[70]) J. Le Paige, BPO, 928-929.

Siège c'est a dire exempte comme toutes les abbayes de l'ordre de Prémontré de la iurisdiction — fol. 418v° — *de l'ordinaire, il ne s'ensuit pas néanmoins que l'abbé de Prémontré n'ait point d'autre superieur que le pape et qu'il ne puisse se démettre de son abbaye sans avoir obtenu la permission et l'agrément de Sa Sainteté; puisque par les bulles des papes et par les Statuts il est obligé de reconnoitre deux supérieurs dans l'ordre, scavoir les abbés de Laon, de Floreffe et de Cuissi qui ont droit de visite et de correction dans Prémontré* tam in capite quam in membris *et le chapitre général a la iurisdiction du quel il est tellement soumis qu'il est obligé de luy promettre la meme obeissance que les abbés de l'ordre promettent a l'abbé de Prémontré. Le droit de supériorité des trois pères abbés sur la personne de l'abbé de Prémontré et celle de ses religieux est établie*

1° par la bulle d'Alexandre III qui est de l'année 1177[71] *adressée a l'abbé et aux religieux de Prémontré et confirmée par d'autres papes: Lucius III*[72]*, Urbain III*[73]*, Clément III*[74]*, Innocent III*[75]*, Honoré III*[76]*, Grégoire IX*[77]*, Urbain IV*[78]*, et Grégoire X*[79]*, rapportées dans la Bibliothèque de Prémontré*, ad hoc quoniam *dit ce pape* Praemonstratensis ecclesia prima mater est — fol. 419r° — omnium ecclesiarum ordinis et patrem super se alium non habet, sicut ad cautelam et custodiam ordinis per tres primos abbates scilicet de Lauduno, de Floreffia et de Cuissiaco statutum est, ibidem annua visitatio fiat ut ad suggestionem eorum in ipsa domo corrigatur si corrigendum fuerit etc.

2° Par une bulle d'Innocent IV de l'année 1245[80]*, adressée aux abbés de Laon, de Floreffe et de Cuissi auxquels il ecrit en ces termes* Duximus firmiter iniungendum quatenus dictam ecclesiam praemonstratensem cui secundum tenorem privilegii praefati ordinis officium annuae visitationis impendere et corrigere sine audientia maiori debetis, quae in ipsa fuerint corrigenda singulus annis iuxta communem formam ipsius ordinis quoties necesse fuerit visitetis, corrigentes et reformantes ibidem

[71]) *In Apostolicae sedis*, 1177, 27 aprilis, BPO, 631.
[72]) *In eminenti apostolicae*, 1184, 10 martii, BPO, 635.
[73]) *In eminenti apostolicae*, 1187, 30 junii, BPO, 640.
[74]) *In eminenti apostolicae*, 1188, 15 octobris, BPO, 643.
[75]) *In eminenti apostolicae*, 1198, 27 julii, BPO, 645.
[76]) *In eminenti apostolicae*, 1217, 11 maii, BPO, 650.
[77]) *In eminenti apostolicae*, 1227, 3 sept., BPO, 655.
[78]) *In eminenti apostolicae*, 1261, 6 decembris, BPO, 685.
[79]) *In eminenti apostolicae*, 1272, 31 augusti, BPO, 689.
[80]) *Qui sunt in loco*, 1245, 12 martii, BPO, 666: summus pontifex urget obligationem trium primorum patrum visitandi annue archicoenobium Praemonstratense.

auctoritate nostra, tam in capite quam in membris, quae correctionis et reformationis officio indigere noveritis.

3° par une seconde bulle d'Innocent IV en l'année 1247[81] *et par d'autres d'Alexandre IV de 1276*[82] *et de Boniface VIII de l'année 1298*[83] *lequel permet à l'abbé de Prémontré de choisir entre ses religieux ceux qu'il connoitra* — fol. 419v° — *être plus propres à l'étude de la théologie et de les envoier à Paris, après en avoir demandé l'advis et le consentement des trois pères* consilio trium primorum abbatum ordinis. *Ce droit de supériorité sur l'abbaye de Prémontré semblable a celuy que les peres abbes ont sur les maisons de leur filiation se trouve encore établi en faveur des trois premiers pères abbés par les Statuts etc.*

Ex his omnibus satis demonstratur tres primos ordinis patres, in Reverendissimum Dominum Praemonstratensem frui quapiam auctoritate et potestate. At auctoritas deficiens in inferiori sive per obitum sive alio quocumque modo, iure ad superiorem ascendit. Reverendissimus Generalis tali iure potitur in monasteriis commendatis ubi paternitatis, per commendam rescissa ad ipsum revertitur solita iurisdictio. Quod Domino Reverendissimo Generali contingit quid ni et nobis contingat? Ecclesiam Praemonstratensem nullum patrem abbatem habere super se profitemur, ut asserunt Statuta et Summorum Pontificum bullae, sed Statutorum terminis inhaerentes et iisdem diplomatibus insistentes loco patris abbatis constituti sunt tres primi ordinis — fol. 420r° — patres; ut videre est in capite 12 dist. 4 Statutorum num. 3° et in capite 3° eiusdem dist. num. 17. Si igitur fato functus fuerit Dominus abbas Praemonstratensis ad quem aptius decentiusque transfundetur, vos ipsos iudices appello amplissimi patres, ipsius auctoritas et iurisdictio, quam ad eos qui patris abbatis locum tenent, et qui auctoritate superiori in ecclesiam et in abbatem Praemonstratensem insigniti sunt.

Hinc est quod electioni Reverendissimi Domini Generalis nulli alia ratione praesint, nisi quia totius ordinis administrationem tenent cuius praesidentiae locus certe Domino abbati Clarifontis dimittendus esset, si regimen totius ordinis illi sede Praemonstratensi vacante demandaretur. Nonne enim indecorum et ab omni ratione alienum videretur, si totius ordinis moderator, in tanti momenti negotio, quod totum ordinem maxime spectat, praesidentiae nullam haberet partem.

[81]) Innocentius IV, *Pro divini honore nominis*, 1247, 17 aprilis, BPO, 670.

[82]) Agitur de bulla *Pro divini honore*, 1258, 13 februarii, BPO, 685. Annus expeditionis 1276, prout habetur in textu abbatis Colbert mendosus habendus est, quippe pontificatus Alexandri IV incepit 1254, 20 decembris ac terminavit 1262, 25 maii.

[83]) *Exultamus in Domino*, 1295, 1 augusti, BPO, 692.

Cum insuper tres primi patres ut consiliarii et quodammodo assistentes Reverendissimi Generalis dicantur et cur passim ordinis privilegia et Statuta de consilio trium primorum abbatum referunt? certe ut in nostro sicut in omnibus — fol. 420v° — aliis religiosis ordinibus consuetudo sit: Generali autem decedente, ipsius assistentes totius ordinis regimen et administrationem sibi adsciscunt. Igitur praesidendi auctoritas in electione Reverendissimi Generalis de qua hucusque numquam fuit disceptatum, et nomen et officium assistentis Reverendissimi Domini Generalis non designat solum sed et continet iurisdictionem in ordinem totum statim ac sedes vacat.

Diutius vos non immorer. Hoc postremo velim attendatis quod cum amplissimum Capitulum generale nuperis diebus indixerit nihil sibi esse antiquius quam ut abbatialem dignitatem Sancti Martini Laudunensis ad regularem statum reduceret[84]), his innixum rationibus quod sit secundus ordinis pater cuius muneris exercitium ordini ita prodest ut et illo exstincto plurima imminent incommoda, haec ratio omnino decideret coram regni Serenissimo Gubernatore, si vicarius generalis institueretur in praesenti Capitulo, cui demandaretur administratio totius ordinis Praemonstratensis sede abbatiali vacante; Serenissimi enim principis responsio in promptu esset, abrogatis per institutionem vicarii generalis paternitatibus novus ille vicarius peraget — fol. 421r° — patrum ordinis officium et munus.

Sed quaedam mihi praeclara novi vicarii generalis defensio obiicitur, exemplum scilicet nominationis Domini abbatis Domnimartini in vicarium generalem totius ordinis in Capitulo generali anni 1663 ea lege ut si vacaret ecclesia Praemonstratensis, eadem plenaria auctoritate uteretur ac ipse Reverendissimus Dominus Generalis[85]).

Contra tot et tanti ponderis argumenta hic a me supra allata solus ille murus opponitur sed ad haec quaeso attendite, amplissimi patres,

1° Vicarii generalis nominatione leges, Statuta, bullas summorum Pontificum, iura omnia trium primorum abbatum penitus everti apertissimum est;

2° ab origine ordinis ad nostra usque tempora id est ad annum 1663 talem nominationem numquam usitatum fuisse hac prima vice talis vicarius generalis in lucem prodiit[86]);

[84]) Inde ab anno 1701 episcopi Laudunenses in commendam tenuerunt abbatiam Sancti Martini Laudunensis.

[85]) Philippus Babeur, antea secretarius abbatis generalis Augustini le Scellier, factus fuit vicarius generalis ordinis die 30 aprilis 1663, vide Acta Cap. gen., V, 1663, n. 148.

[86]) Iam anno 1616 abbas S. Martini Laudunensis, Nicolaus le Saige, utriusque iuris

3° Capitula generalia postrema et ab anno 1663 talem vicarium generalem creare nequidem cogitaverunt[87]), ex quo inferre mihi facillimum est hanc nominationem improbasse[88]), uti iuribus ordinis alienam et ab aevo insolitam; — fol. 421v° —

4° a solo vel Domino le Scelier Dominum abbatem Domnimartinensem vel a solo Revmo Domino generali moderno Dominum abbatem Clarifontis nominatos lego, non autem ab Amplissimo Capitulo. Tunc est quod auctoritas illa et iurisdictio fugax et titubans a denominante Domino Generali emanat in novum hunc vicarium generalem non autem a silente Capitulo generali;

5° nominationem Domini abbatis Domnimartini absentibus primis abbatibus factam[89]), cui proinde refragari non potuere nostro iuri nullatenus adversari aut nocere quis non videat?

6° recens ille vicariatus generalis numquam in ordine ad exercitium venit, quin imo Dominus Amour, abbas Cuissiacensis, sede vacante per demissionem Domini generalis le Scelier magni ponderis negotium pertractavit, litemque ut pater ordinis iudicavit inter dictum Dominum le Scelier et Dominum Michaelem Colbert, silente tunc Domino abbate Domnimartini sub oculis sui institutoris, post quartum a sua nominatione annum quod maius indicium lucidiusque vicariatus nullius roboris? quippe cum in tanti momenti negotio ubi de totius ordinis capite et generali agebatur ipse siluerit[90]) et huic causa sese auctoritatis procul

doctor, ab abbate generali Petro Gosset vicarius generalis totius ordinis creatus fuit. Vide litteras commissionis apud L.C. Van Dijck, *Le cardinal de Richelieu, abbé de Prémontré*, in *An. Praem.*, LXIV, 1988, 111-112.

[87]) Anno 1666 Capitulum generale Michaelem Colbert in vicarium generalem totius ordinis instituit cum ad normam iuris tantummodo prioris Praemonstrati esset, quamvis a quibusdam legisperitis gallicanis uti legitime electum in abbatem Praemonstratensem haberetur. Cfr. Acta Cap. gen., V, 1666, n. 43. Vide etiam L.C. Van Dijck, *La promotion de Michel Colbert au généralat de l'ordre de Prémontré (1666-1668)*, in *An. Praem.*, LXV, 1989, 207-209.

[88]) Capitulum generale anni 1670, annuente abbate Stivagiense Epiphanio Louis, antiqui rigoris communitatis sodali, improbavit nominationem Michaelis Colbert in vicarium generalem totius ordinis a comitiis generalibus anni 1666 peractam, dum iste dignitate abbatiale ex provisione pontificia nondum insignitus fuerat. Vide Acta Cap. gen., V, 1670, n. 55.

[89]) Deficientibus abbatibus Laudunensi et Floreffiensi aderat tamen quartus pater ordinis Isidorus Amour, abbas Cuissiacensis, e communitate antiqui rigoris. Cfr. Acta Cap. gen., V, 1663, introductio.

[90]) Animadvertere debemus abbatem Domnimartinensem vicarium generalem ordinis creatum fuisse intuitu vacationis sedis abbatialis Praemonstratensis. Atqui mense Junii 1667 dum prior Colbert et ipse intuitu vacationis Generalatus titulo vicarii generalis totius ordinis a Capitulo generali anni 1666 ornatus Isidorum Amour ac duos alios abbates

dubio pavidum non immiscuerit — fol. 422r° — clarius sole patet illum Vicarium generalem numquam in exercitium officii venisse;

Ad ultimum. Decreta Capituli generalis nullam habent vim legis nisi per tria Capitula generalia confirmentur. Atqui adeo cum me, tum proprio tum collegarum meorum nomine reclamantem audiatis, ac me nominationi Domini abbatis Clarifontis totis viribus reluctantem opponentemque non est cur haec valida firmaque censeri debeat.

His aliis plurimis rationibus suo tempore deducendis fultus, protestor meo et collegarum meorum absentium nomine et me in quantum possum interpono nominationi novae et in ordine inusitatae Domini Abbatis Clarifontis in Vicarium generalem totius Ordinis in casu vacantis ecclesiae Praemonstratensis et ab Amplissimo Capitulo generali postulo humillime et cum omni reverentia ut hac mea protestatio actis Capituli generalis inscribatur.

Dictum et factum Praemonstrati in aula Capituli generalis coram amplissimis abbatibus la die mensis Maii anni 1717.

Fr. Josephus Dionis abbas Cuissiacensis

Sacrae Theologiae doctor et quartus ordinis pater.

iussu regio adscersivit ut tamquam visitatores abbatem le Scellier deponerent, iste resignationem sui muneris, re adhuc integra, die 20 novembris 1666 coram notario revocaverat et Sanctae Sedi significavit. Sede ergo plena, imo plenissima, abbas Domnimartinensis nullam in ordinem iurisdictionem exercere potuit. Vide L.C. Van Dijck, *La promotion de Michel Colbert au généralat de l'ordre de Prémontré*, in *An. Praem.*, LXV, 1989, 217-222.

1738

Excerpta ex actis et decretis huius Capituli generalis prelo subiecta promulgata fuerunt sub titulo: *Capitulum Generale Ordinis Praemonstratensis Praemonstrato celebratum Anno Domini M.DCC.XXXVIII. praeside Reverendissimo Domino Domino Claudio Honorato Lucas, Doctore Sorbonico, Abbate Praemonstrati & totius ejusdem Ordinis Praemonstratensis Generali*, VIRDUNI, Apud Petrum Perrin filium, Bibliopolam, M.DCC. XXXVIII. Cum privilegio Regis[1]).

Huiusmodi resolutiones communes, in forma abbreviata et tenore contracto in praecitato textu editae, enucleatae ac explanatae inveniuntur in diario abbatis Augustini Van Eeckhoudt Grimbergensis, qui partes non minimas in praedicto Capitulo egit. Quae acta capitularia prout in textu impresso prostant, omisso tamen elencho participantium, simul cum adnotationibus abbatis Grimbergensis, iam publici iuris facta fuerunt a J.B. VALVEKENS, *Capitulum generale anni 1738*, in *An. Praem.*, L, 1974, 5-69.

De argumentis quibusdam respicientibus vel ad ipsam celebrationem Capituli generalis vel ad materiam in hisce comitiis enodatam disseruerunt auctores subsequentes: J. VERSTEYLEN, *Un voyage à Prémontré au XVIII^e siècle*, in *An. Praem.*, III, 1927, 182-194, ubi et elenchus inseritur capitulantium; Th. PAAS, *Visitationsrecht des Abtes Christian Steinheuer auf dem Generalkapitel zu Prémontré*, in *An. Praem.*, III, 1927, 314-321; H. LAMY, *L'érection de la statue de Saint Norbert dans la basilique de Saint-Pierre à Rome*, in *An. Praem.*, XVI, 1940, 109-144; J.B. VALVEKENS, *De erectione statuae S. Patris Norberti in Basilica S. Petri Vaticana*, in *An. Praem.*, XLVII, 1971, 232-243.

Indictio Capituli Generalis Ordinis Praemonstratensis[2])

Frater Claudius Honoratus Lucas, Doctor Sorbonicus, Praemonstrati Abbas, totius Ordinis Caput & Generalis, Regi Christianissimo a Sanctioribus Consiliis & Eleemosinis. Universis ejusdem Ordinis Reverendis Abbatibus, Praepositis, Prioribus, Archipresbiteris, Decanis, Curatis, Beneficiatis, Canonicis universis, Donatis, Abbatissis, Priorissis, Magistris, Sanctimonialibus, omnibus utriusque sexus ubicunque locorum Ordinem nostrum professis, SALUTEM.

Promovendae regulari disciplinae, ac unanimitati in ordine nostro conservandae pro officii nostri ratione sollicite intenti, utrique in Comitiis generalibus consulere dudum desiderabamus. Quoniam igitur pacato jam orbe Christiano[3]), nullo amplius retardatur obice Patrum

[1]) Decreta impressa huius Capituli asservantur: ROMAE, in archivo curiae generalitiae O. Praem., sine numero; AAP, corpus VII, — capsa VI, lias 3, nr 68; PLAGAE/SCHLÄGL, in archivo canoniae, *Schachtel* 106.

[2]) Asservatur in AAT, IV, 53, n° 76 et in NANCY, *Bibliot. munic.*, ms. 1767 (994), fol. 433r°.

[3]) Anno 1713, per tractatum pacis Ultrajectensem inter Galliam, Angliam et Hollan-

conventus tractandis communibus Ordinis negotiis plane necessarius. Vobis idcirco quod Deus Optimus Maximus feliciter evenire jubeat, Capitulum Generale anno proxime sequenti M.DCC. XXXVIII die vero quarta Maii, quae incidit in Dominicam *Cantate*, & aliis deinceps diebus, in nostro Praemonstratensi archicoenobio, habendum celebrandumque indicimus, annuntiamus & promulgamus. In virtute salutaris obedientiae & sub poenis Juris et Statutorum nostrorum districte praecipiendo MANDANTES omnibus et singulis quorumcumque Regnorum, Provinciarum, Circariarum, & Communitatis antiqui rigoris Abbatibus, Praepositis, Monasteriorum Commendatorum Prioribus, Collegiorumque Praesidibus Ordinem nostrum professis, ut pro ejusmodi Capitulo Generali canonice celebrando ad dictam diem, horâ, loco & habitu per Statuta notatis, Praemonstrati compareant. Si qui vero legitima ex causa ab eodem Capitulo generali se absentare coacti fuerint, sui loco Procuratores debite instructos mittant, qui in animas suorum Principalium de veritate causae, cur excusari velint, jurare valeant, & pro eisdem villicationis rationem reddere[4]). Ac ne quis praesentium ignoratione absentiam suam praetexat, MANDAMUS Reverendis admodum Vicariis nostris Generalibus, Visitatoribus ubicunque existant, ut eas in singulis suae jurisdictionis Collegiis et locis publicantes[5]), nostra et Capituli Generalis authoritate mandent iisdem & singulis quorum interest up supra, obtemperari. Quia vero praesentis Originalis indictionis litterae circumferri, omnibusque exhiberi nequeunt, VOLUMUS ut earum transcriptis Secretarii nostri aut in partibus Vicarii Generalis manu subscriptis, eadem ubique, quae ipsis Originalibus fides adhibeatur. DATUM Praemonstrati die nona

diam finis imponebatur bello successionis Hispanicae, et per conventionem pacis in Rastadt anno 1714 inter Galliam et Domum Austriae initam, Belgium, Mediolanum, Neapolis et Sardinia a dominatione hispanica in regimen Domus Austriacae transferebantur.

[4]) Antequam abbas generalis hoc Capitulum generale indixerit sedulo exploravit mentem gubernatorum civilium sub quorum regimine abbates praemonstratenses constituebantur. Ex epistolari commercio cum vicario Brabantino Vander Achter elucet abbatem generalem Lucas praelatos Belgii et hac vice, sicut et in 1717, suspicari in exoptata prohibitione gubernatoris austriacae causam quaerere ut a participatione Capituli generalis eximantur. Attamen Brabantiae abbatibus gubernatrix Maria Elisabeth die 30 martii 1738 libenter licentiam Praemonstratum adeundi concessit. Vide AAT, IV, 53, n° 92. Quamquam abbas generalis haud semel institit (AAT, IV, n° 94), ipse vicarius Brabantinus ob infirmam valetudinem sese ab adeundo Capitulo generali per litteras diei 22 aprilis 1738 eximi curavit. Vide AAT, IV, 53, n° 94.

[5]) Josephus Vander Achter, abbas Tongerloënsis et vicarius generalis pro circariis Brabantiae et Frisiae, praelatis suae iurisdictionis transmisit indictionem Capituli generalis iunctam litteris diei 23 septembris 1737. Vide AAT, IV, 53, n° 79.

Augusti anni M.DCC. XXXVIII. in quorum fidem et robur praesentes manu propria et Secretarii nostri subscriptas sigilii nostri fecimus impressione communiri.

Signatum F. Claudius Honoratus Lucas, Praemonstrati Abbas et Generalis.

Locus + Sigilli Et infra:

De mandato Reverendissimi Domini D. mei Generalis

F. De Vinay Doct. Sorb. et secretarius (subscripsit)[6])

***

Acta et decreta communia Capituli generalis Ordinis Praemonstratensis apud Praemonstratum celebrati anno Domini M.DCC.XXXVIII. a die IV. Maii usque ad decimum inclusive.

[1] Cui adfuerunt: Reverendissimus Dominus Claudius Honoratus Lucas, Doctor Sorbonicus, Praemonstrati abbas, totius Ordinis caput et generalis, Capituli praeses[7]).

R.D. Carolus Dartevelle, abbas Floreffiensis, secundus Ordinis Pater[8]).

R.D. Carolus Martin, Sac. Theol. Doctor, abbas Cuissiacensis,

[6]) Secretarius abbatis generalis Petrus Antonius Parchappe de Vinay erat filius ultimogenitus Petri Antonii Parchappe domini de Vinay, et frater Ludovici Annae Parchappe de Vinay. Petrus Antonius vota solemnia emisit in archicoenobio Praemonstratensi die 15 augusti 1718 sed ad sacerdotium accessit tantum anno aetatis 35 post adeptum gradum doctoris Theologiae et postquam iam per biennium munere secretarii abbatis generalis functus fuisset. Vitetur confusio cum Ludovico Anna Parchappe de Vinay, sodalis canoniae Sancti Martini Laudunensis, qui per annos Parisiis procuratoris generalis ordinis munus explevit ac demum, regnante fratre suo, archicoenobii archivum ordinavit. Vide X. Lavagne d'Ortigue, *L'élection de Pierre-Antoine Parchappe de Vinay 27 février 1758*, in *An. Praem.*, LIX, 1983, 288-315.

[7]) Octogenarius abbas generalis Lucas obsurdescens argumenta prolata haud capere valuit et idcirco partes minimas ipse egit in hoc Capitulo, testante eius secretario P.A. Parchappe de Vinay qui et in litteris die 2 iulii 1738 ad Carolum Hugo missis, asseruit Generalem facilis animi fuisse erga pium et zelosum abbatem Grimbergensem. Cfr. J.B. Valvekens, *Capitulum generale anni 1738*, in *An. Praem.*, L, 1974, p. 50, nota 7. Abbas Van Eeckhoudt, e contra, saepe sese mirari affirmat vigorem senis octoginta et duo annorum. Cfr. Idem., *art. cit.*, p. 54.

[8]) Recenter abbas Carolus Dartevelle constitutus erat abbas canoniae Floreffiensis quam rexit annis 1737-1756. Cfr. U. Berlière, *Abbaye de Floreffe*, in *Monasticon belge*, I/1, 123.

UNIV. BIBL. TÜBINGEN
7 A 246-5

tertius Ordinis Pater & in Communitate strictioris observantiae Reverendissimi vicarius generalis[9]).

R.D. Marianus Hermann, Sacrae Theologiae Doctor, abbas Strahoviensis, Bohemiae, Moraviae, Silesiae & Austriae vicarius generalis[10]).

R.D. Basilius Delespierre abbas Castellensis[11]).

R.D. Ferdinandus Vander Hagen, abbas Ninoviensis[12]).

R.D. Augustinus van Eeckhout, abbas Grimbergensis[13]).

R.D. Nicolaus Oudet, abbas Vallis Dei[14]).

R.D. Nicolaus Felix, Sac. Theol. Doctor, abbas Sanctae Mariae Mussipontanae[15]).

R.D. Henricus Crockaert, abbas Dilighemensis[16]).

R.D. Nicolaus François, Sac. Theol. Doctor, abbas Janduriarum[17]).

R.D. Claudius Hiacinthus Collart, abbas Regiae Vallis[18]).

[9]) Carolus Martin, sodalis communitatis antiqui rigoris, praefuit abbatiae Cuissiacensi (= Cuissy), département de l'Aisne, dioecesis Suessionensis (= Soissons), annis 1733-1764. Cfr. BACKMUND, II, 499.

[10]) Marianus Hermann iam ab anno 1711 canoniam Strahoviensem in urbe Praga rexit indeque, utpote senior electione, praecedentia gaudebat immediate post quartum Ordinis proto-abbatem nempe Cuissiacensem. Vide J.B. VALVEKENS, *art. cit.*, p. 10. Diem ultimum obiit anno 1741. BACKMUND, I², 382.

[11]) Rexit canoniam Castelli Mauretaniae (= Château-Mortagne), in dioecesi Cameracensi (= Cambrai) inde ab anno 1711 usque ad annum 1746. BACKMUND, II, 408. Sicut et in comitiis generalibus anni 1717 promotorem Capituli egit, cuius erat negotia proponere, quamquam et omnibus singulisque hoc liceret. Vide J.B. VALVEKENS, *art. cit.*, p. 15.

[12]) Ferdinandus Vander Haeghen, abbas Ninoviensis annis 1712-1754, G. MERSCH-J. WAUTHOZ-GLADE, *Abbaye de Ninove*, in *Monasticon belge*, VII, 3, 533-534.

[13]) N.J. WEYNS, *Abbaye de Grimbergen*, in *Monasticon belge*, IV, 3, 743. GOOVAERTS, II, 298-300. Recte credendi spiritu animatus abbas Grimbergensis jansenisticae menti strenue invexit ita ut a nuntio apostolico Bruxellensi ablegari mereretur ad visitationem canonicam instituendam etiam in aliorum ordinum monasteriis.

[14]) Nicolas Oudet annis 1715-1766 praefuit canoniae Vallis Dei (= Lavaldieu, hodie Monthermé-Lavaldieu), département des Ardennes, dioecesis Remensis (= Reims). BACKMUND, II, 385.

[15]) Nicolaus Felix sedem abbatialem Mussipontanam (= Pont-à-Mousson), département Meurthe et Moselle, dioecesis Nanceiensis (= Nancy) annis 1717-1754 tenuit. BACKMUND, III, 96.

[16]) Henricus Crockaert regimen canoniae Diligemensis (= Dielegem, Jette), prov. Brabantiae, dioecesis Mechliniensis (= Mechelen) annis 1721-1744 exercuit. Cfr. M. KOYEN, *Abbaye de Dielegem, à Jette-Saint-Pierre*, in *Monasticon belge*, IV, 3, 716.

[17]) Ultimus abbas regularis abbatiae Janduriarum (= Jandeures), département de la Meuse, diocesis Virdunensis (= Verdun) communitati antiqui rigoris aggregatae, erat Nicolaus François (1723-1744). BACKMUND, III, 78.

[18]) Hyacinthus Collart rexit abbatiam Regiae Vallis (= Riéval), département de la Meuse, dioecesis Virdunensis (= Verdun) Communitati antiqui rigoris incorporatam, ab anno 1725 usque ad annum 1739. BACKMUND, III, 101.

R.D. Nicolaus Habert, abbas Rengisvallis[19]).

R.D. Hieronymus Petit, Abbas Bonae-Spei[20]), Flandriae vicarius generalis.

R.D. Augustinus de Rocquevert, abbas Clarifontis[21]), Franciae et totius Ordinis vicarius generalis.

R.D. Henricus, Joseph de la Bruyère, abbas Corneoli[22]), Burgundiae, Campaniae et Alzatiae vicarius generalis.

R.D. Isfridus Van den Broeck, abbas Postellensis[23]).

R.D. Guillelmus Fossé, abbas Sancti Foilliani[24]).

R.D. Thomas Brecveart, abbas Dommartinensis[25]), Pontivi vicarius generalis.

R.D. Antonius Varnier, abbas Bonifageti[26]).

R.D. Jacobus Petrus Jussy, abbas Justimontis[27]).

[19]) Alteram canoniam Communitati antiqui rigoris adscriptam nempe Rengevallis (= Rengéval), département de la Meuse, dioecesis Virdunensis (= Verdun) moderavit abbas Nicolaus Habert (1724-1753). BACKMUND, III, 98.

[20]) Hieronymus Petit praefuit canoniae Bonae-Spei in Hanonia annis 1724-1752. U. BERLIERE, *Abbaye de Bonne-Espérance*, in *Monasticon belge*, I/2, 1973, 408.

[21]) Ab anno 1724 sedem abbatialem canoniae Clari Fontis (= Clairfontaine), translatae in Villers-Cotterêts, département de l'Aisne, dioecesis Suessionensis (= Soissons) (BACKMUND, II, 372) occupaverat Augustinus de Rocquevert usquedum mense decembri anni 1740 ad archicoenobium Praemonstrati electione promotus, obtentisque mense Iulii 1741 bullis nominationis, breve post tempus, die nempe 30 octobris eiusdem anni, Suessionis diem ultimum clausit. Vide J.B. VALVEKENS, *De electione abbatum generalium Augustini de Rocquevert (1740), Brunonis de Bécourt (1741), Antonii Parchappe de Vinay (1758)*, in *An. Praem.*, XLVIII, 1972, 373-384 et X. LAVAGNE D'ORTIGUE, *L'élection de Pierre-Antoine Parchappe de Vinay 27 février 1758*, in *An. Praem.*, LIX, 1983, 288-315.

[22]) Canonia Corneoli (= Corneux), département de la Haute Saône, dioecesis Bisuntinensis (= Besançon) sub regimine abbatis regularis Henrici Josephi de la Bruyère posita erat. BACKMUND, I², 457.

[23]) Isfridus Van den Broeck, annis 1726-1744 canoniae Postellensi (= Postel), provinciae et dioecesis Antverpiensis (= Antwerpen) in Belgio praefuit. BACKMUND, II, 326. Th.I. WELVAARTS, *Postel's Biografisch Woordenboek*, Brecht, 1892, 46-55.

[24]) Abbas Sancti Foillani Rodensis (Saint-Feuillien du Roelx), nunc in dioecesi Tornacensi (= Tournai), Belgium, annis 1726-1747 erat Gulielmus Fossez. BACKMUND, II, 397. U. BERLIERE, *Monasticon belge*, I, 2, 1973, 418.

[25]) Thomas Breuvart annis 1725-1739 regimen abbatiale canoniae Dommartinensis (= Saint-Josse-au-Bois), département Pas de Calais, nunc dioecesis Atrebatensis (= Arras) exercuit. BACKMUND, II, 550.

[26]) Ultimus abbas regularis canoniae Bonfays, département des Vosges, nunc dioecesis Saint-Dié, Communitati antiqui rigoris associatae, erat Antonius Varnier. BACKMUND, III, 63.

[27]) Communitati quoque antiqui rigoris aggregata erat canonia Justimontis (= Justemont), département de la Moselle, dioecesis Metensis (= Metz) sub abbate, ultimo quidem regulari, Jacobo Petro Jussy. BACKMUND, III, 84.

R.D. Leonardus Jansen, abbas Knechtstedenis[28]).

R.D. Carolus Regnier, abbas Albae Curiae[29]).

R.D. Joannes Ludovicus Genestet, abbas Doae[30]).

R.D. Antonius Nolbeck, Sac. Theol. Doctor, abbas Lucensis[31]), Hungariae vicarius generalis & Bohemiae, Silesiae et Austriae visitator.

R.D. Alexander Slootmans, abbas Parcensis[32]).

R.D. Franciscus de Lavelle, abbas S. Joannis de Castella[33]), Aquitaniae & Vasconiae vicarius generalis.

R.D. Reginaldus Beele, abbas Sancti Nicolai Furnensis[34]).

R.D. Stephanus Salvan d'Auterive, abbas Fontis Calidi[35]).

R.D. Petrus de Caesmaker, abbas Trunchiniensis[36]).

R.D. Christianus Steinewert[37]), Sac. Theol. Doctor, abbas Stein-

[28]) Leonardus Jansen, abbatiali dignitate insignitus, canoniae Knechtstedensi (= Knechtsteden) prope Dormagen, Rhenania, dioecesis Coloniensis (Köln) annis 1728-1754 praefuit. BACKMUND, I², 223.

[29]) Carolus Regnier abbatiale regimen annis 1730-1739 exercuit in canonia Albae Curiae (= Abbecourt), département Seine-et-Oise, dioecesis nunc Versaliensis (= Versailles). BACKMUND, II, 543.

[30]) Annis 1729-1741 Joannes Ludovicus Genestet praefuit canoniae Doae (= Doue), département Haute-Loire, dioecesis Podiensis (= Le Puy). BACKMUND, III, 149.

[31]) Annis 1729-1745 abbas Antonius Nolbeck praefuit canoniae Lucensi (= Louka, Klosterbruck), in Moravia, nunc dioecesis Brunensis (= Brno), ac vicarius generalis circariae Hungaricae constitutus fuit eo quod Lucensis abbatia ibidem antiquas canonias hungaricas acquisivit et quasdam parvas communitates dependentes instituit. BACKMUND, I², 362-364.

[32]) Alexander Slootmans, abbas Parchensis (= Park), prov. Brabantiae, dioecesis Mechliniensis/Bruxellensis (= Mechelen/Brussel) Belgium annis 1730-1756. BACKMUND, II, 322; GOOVAERTS, II, 186; A. D'HAENENS, *Abbaye de Parc à Heverlee*, in *Monasticon belge*, IV, 3, 823.

[33]) Franciscus de Lavelle, abbas (1731-1769) canoniae Sancti-Joannis de Castella (= Saint-Jean-de-la-Castelle/Château de St. Jean), département des Landes, nunc dioecesis Tarbelensis (= Dax). BACKMUND, III, 196.

[34]) Reginaldus Beelen abbatiali dignitate canoniae Furnensis (= Veurne), prov. Flandriae occidentalis, nunc dioecesis Brugensis (= Brugge) annis 1731-1749 insignitus erat. BACKMUND, II, 433. N. HUYGHEBAERT et H. ANECA, *Abbaye Saint-Nicolas de Furnes*, in *Monasticon belge*, III, 2, 625.

[35]) Stephanus Salvan d'Hauterive, monachus cisterciensis ordinis, sedem abbatialem canoniae Fontis callidi (= Fontcaude), département du Hérault, dioecesis Montispessulani (= Montpellier) occupavit ab anno1731, sed anno 1768 deponi debuit. BACKMUND, III, 184.

[36]) Petrus de Caesemaecker, annis 1731-1740 abbatiale regimen canoniae Trunchiniensis (= Drongen), prov. Flandriae orientalis, dioecesis Gandavensis (= Gent) in Belgio exercuit. N.J. WEYNS, *Abbaye de Tronchiennes*, in *Monasticon belge*, VII, 3, 564-565.

[37]) Christianus Steinheuer abbatiale regimen canoniae Steinfeldensis (= Steinfeld), prope Urft in Eiflia, Rhenaniae, nunc dioecesis Aquisgranensis (= Aachen) annis 1732-1744 gessit. BACKMUND, I², 256.

feldensis, Westphaliae, Yveldiae & Vadegeotiae vicarius generalis.

R.D. Claudius Sterin[38]), abbas S. Augustini.

R.D. Casparus[39]), abbas Roggenburgensis, Sac. Theol. Doctor, a circaria Suevica deputatus.

R.D. Hieronymus Bondu[40]), abbas Viconiensis.

R.D. Simon Braunman[41]), abbas Averbodiensis.

R.D. Augustinus Lagache[42]), abbas S. Andreae in Nemore.

R.D. Joseph Nicart[43]), abbas Bucilii.

R.D. Eligius Rigoudts[44]), praepositus Vallis Liliorum.

R.P. Claudius Dautrey[45]), Baccalaureus Sorbonicus, prior Praemonstratensis.

R.P. Ludovicus Grisard, Doctor Sorbonicus, prior collegii Parisiensis.

R.P. Nicolaus Meyers[46]), praeses collegii Sancti Norberti in Urbe & Ordinis in Curia Romana procurator generalis.

[38]) Claudius Stérin canoniam Sancti Augustini (= Thérouanne Saint-Augustin), département Pas-de-Calais, dioecesis Atrebatensis (= Arras) annis 1732-1748 rexit. BACKMUND, II, 424.

[39]) Casparus Geisler, abbas (1735-1753) Roggenburgensis (= Roggenburg), prope Weissenhorn, in Suevia Bavarica, dioecesis Augustanae (= Augsburg). BACKMUND, I², 69.

[40]) Hieronymus Boudu, abbas (1735-1760) canoniae Viconiensis (= Vicogne), in finibus Belgii, département du Nord, nunc dioecesis Cameracensis (= Cambrai). BACKMUND, II, 437.

[41]) Simon Braunman, Aquisgranis natus, canoniam Averbodiensem (= Averbode) nunc dioecesis Mechliniae/Bruxellensis (= Mechelen/Brussel) annis 1736-1747 rexit. M. KOYEN, *Abbaye d'Averbode*, in *Monasticon belge*, IV, 3, 669; GOOVAERTS, I, 89-90; Pl.F. LEFEVRE, *L'abbaye norbertine d'Averbode pendant l'époque moderne*, Louvain, 1924, 27-31.

[42]) Augustinus Lagache, abbas (1736-1750) canoniae Sancti Andreae in Nemore (= Saint-André-au-bois), département du Pas de calais, dioecesis nunc Atrebatensis (= Arras). BACKMUND, II, 564.

[43]) Joseph Nitard, abbas (1738-1744) canoniae Bucilliensis (= Bucilly), Communitati antiqui rigoris associatae, département de l'Aisne, dioecesis nunc Suessionensis (= Soissons). BACKMUND, II, 367.

[44]) Eligius Rigoudts, canonicus Tongerloënsis, praepositus exemptus (1724-1754) prioratus sororum ordinis nostri Vallis-Liliorum (= Leliëndaal) in civitate Mechliniensi (= Mechelen) dioecesis eiusdem nominis in Belgio. BACKMUND, II, 301.

[45]) Sub hoc nomine nullus inscriptus invenitur religiosus gremii Praemonstrati in necrologio archicoenobii.

[46]) Nicolaus Meyers, canonicus Tongerloënsis, praeses collegii Sancti Norberti Romae (1736-1778), qui, uti procurator generalis ordinis praemonstratensis, peculiarem curam habuit de statua sancti Fundatoris erigenda in basilica Sancti Petri in Urbe. BACKMUND, I², 491; GOOVAERTS, I, 585 et IV, 199. Sicut et praedecessor Ignatius Backx († 1736) titulo abbatiali Belli Campus sese insigniri curavit spe fretus ut ex eius proventibus expensa recuperare possit pro Ordine facta et vix umquam ad assem reddita. Vide infra n. 25.

R.P. Ludovicus de Vinay[47]), Ordinis syndicus & in curiis Parisiensibus procurator generalis.

R.P. Claudius Hardy, Baccalaureus Sorbonicus, prior S. Martini Laudunensis[48]).

R.P. Petrus Postel, Sac. Theologiae Doctor, prior Sancti Joannis Ambianensis[49]).

R.P. Robertus de la Salle, Baccalaureus Sorbonicus, prior Sancti Evodii Branensis[50]).

R.P. Nicolaus de la Pierre, prior Montis Sancti Martini[51]).

R.P. Joannes Doüar, prior Vallis Christianae[52]).

R.P. Ludovicus Joseph Chomel, prior Sancti Pauli Senonensis[53]).

R.P. Joannes Baptista Doulcet, prior Vallis Secretae[54]).

R.P. Joannes Baptista Dutot, prior Cartovorensis[55]).

R.P. Ludovicus Dureau, Baccalaureus Sorbonicus, prior Vallis Serenae[56]).

R.P. Remigius de Hedouville, prior Viromandensis[57]).

R.P. Nicolaus Audry, prior Sancti Andreae Claromontensis[58]).

R.P. Gabriel de la Motte, prior Camerae Fontis[59]).

[47]) De hoc fratre minore Petri Antonii Parchappe de Vinay, secretarii abbatis generalis, vide supra notam 6.

[48]) Canonia Sancti Martini Laudunensis incorporata erat mensae episcopali Laudunensi.

[49]) Canonia Sancti Joannis Ambianensis (= Amiens) commendata erat. BACKMUND, II, 544-547.

[50]) Abbatia Sancti Evodii Branensis (= Saint-Yved de Braine), prope Soissons, iam inde a saeculo decimosexto commendata erat. BACKMUND, II, 484.

[51]) Mensa abbatialis canoniae Montis Sancti Martini (= Notre-Dame-du-Mont-Saint-Martin) anno 1668 mensae episcoporum Senonensium (= Sens) incorporata erat. BACKMUND, II, 418.

[52]) Canonia Vallis Christiani (= Valchrétien), prope Château-Thierry, département de l'Aisne, dioecesis Suessionis (= Soissons) inde a saeculo decimosexto in commendam data erat. BACKMUND, II, 584.

[53]) Canonia in suburbio sedis episcopalis Senonensis (= Sens) in commendam data erat. BACKMUND, II, 532.

[54]) Abbatia commendata Vallis secretae (= Valsecret), circariae Praemonstrati. BACKMUND, II, 535-537.

[55]) Abbatia commendata Carthovorum (= Chartreuve), circariae Franciae, BACKMUND, II, 493.

[56]) Abbatia commendata Vallis Serenae (= Valsery), circariae Praemonstrati. BACKMUND, II, 537.

[57]) Abbatia commendata Viromandensis (= Vermand), circariae Flandriae. BACKMUND, II, 426.

[58]) Abbatia commendata intra civitatem Clermont-Ferrand, circariae Arverniae. BACKMUND, III, 146-148.

[59]) Abbatia commendata Camerae-Fontis (= Chambre-Fontaine), circariae Franciae. BACKMUND, II, 487-489.

R.P. Joannes Rouyer, prior Bellae Vallis[60]).

R.P. Petrus de Champigny, prior Hermeriarum[61]).

R.P. Judocus Delville, prior S. Justi[62]).

R.P. Joseph Augustinus Chambellain, Baccalaureus Sorbonicus, prior Capellae ad Plancas[63].

R.P. Edmundus Cotelle, prior S. Mariani Altissiodorensis[64].

R.P. Julius de la Jonchere, prior Sancti Petri Selincurtensis[65].

R.P. Franciscus Joseph Lherogel, prior Thenoliensis[66]).

R.P. Albertus Hiacynthus Damars, prior Septem Fontium[67]).

R.P. Carolus Sanson, prior Bassi Fontis[68]).

R.P. Servatius Neel, prior Ardenensis[69]).

R.P. Joannes Baptista du Rosey, prior Bellae Stellae[70]).

R.P. Petrus Menessier, prior Sancti Pauli Virdunensis[71]).

R.P. Dionysius d'Albrek, superioris Sanctae Othiliae[72]).

[60]) Abbatia commendata Bellae-Vallis (= Belval), Communitati antiqui rigoris associata. BACKMUND, III, 57-60.

[61]) Abbatia commendata Hermeriarum (= Hermières), circariae Franciae. BACKMUND, II, 506-508.

[62]) Abbatia commendata Sancti Justi (= Saint-Just-en-Chaussée), circariae Ponthivi. BACKMUND, II, 564.

[63]) Abbatia commendata Capellae-ad-Plancas (= Chapelle-aux-Planches), circariae Franciae. BACKMUND, II. 490.

[64]) Abbatia commendata Sancti Mariani in civitate Altissiodorensi (= Auxerre), circariae Francie. BACKMUND, II, 475.

[65]) Abbatia commendata Selincurtensis (= Sélincourt), circariae Ponthivi. BACKMUND, II, 566.

[66]) Abbatia commendata Thenoliae (= Thenailles), circariae Floreffiae. BACKMUND, II, 400.

[67]) Quia Albertus Hyacinthus Damars non recensetur inter priores abbatiae Septem Fontium in Thierascia (= Septfontaine en Thiérache) in elencho edito a ROUSSEL, *L'abbaye de Septfontaine de l'ordre de Prémontré*, in *An. Praem.*, XX, 1944, 72, verosimiliter hic agitur de abbatia commendata Septem Fontium in Bassianiaco (= Septfontaine-en-Bassigny), anno 1675 Communitati antiqui rigoris adscripta. BACKMUND, III, 108-109.

[68]) Abbatia commendata Bassi-Fontis (= Basse-Fontaine), circariae Franciae. BACKMUND, II, 479.

[69]) Abbatia commendata Ardennae (= Ardenne en Calvados), circariae Normanniae Borealis Communitatis antiqui rigoris adscripta. BACKMUND, III, 33-36.

[70]) Abbatia Bellae-Stellae (= Belle Etoile), eaedem circariae adscripta. BACKMUND, III, 36-38.

[71]) Abbatia Sancti Pauli in civitate Virdunensis (= Verdun) sub abbate commendatario, circariae Lotharingiae Communitatis antiqui rigoris aggregata erat. BACKMUND, III, 111-114.

[72]) Nomen hic datur mutilatum Dionysii Albrecht qui, natione bohemus, nomen dedit Communitati antiqui rigoris eum praecipue in finem ut Reformatio lotharingica in Bohemiam introduceret. Renuente tamen abbate generali Lucas, scopum attingere non potuit quamvis coram S. Congregatione Episcoporum et Regularium Romae cum Domino Praemonstratensi litigasset. Cfr. AAT, *Collegium Romanum*, II, nn. 23-32. Tan-

R.P. Franciscus Schwart, prior Sancti Nicolai Hagenoensis[73]).

R.P. Joannes Wintersdorff, prior Wadegotiensis[74]) a Reverendo suo abbate deputatus.

R.P. Andreas Beauchou, provisor Heilesimensis[75]) a Reverendo suo abbate deputatus.

R.P. Nicolaus de la Salle, prior Blemensis a Reverendo suo abbate Belli loci[76]) deputatus.

R.P. Prior Belli Reditus Leodiensis[77]) a Reverendo suo abbate deputatus.

R.P. Benedictus Cavae, canonicus Lisquensis[78]) a R.P. priore Lisquensi deputatus.

R.P. Petrus Antonius de Vinay, Doctor Sorbonicus, Reverendissimi Domini Generalis & Capituli generalis secretarius.

[2] Die quarta Maii 1738 quae erat Dominica *Cantate* post Paschalem Festivitatem quarta, Praemonstrati quo pridie convenerant mox recensiti abbates, praepositi, priores & alii ad Capitulum generale deputatis, hora circiter nona, solemnis instituta est supplicatio, sub qua Reverendissimus Dominus Generalis pontificalibus indutus, eique assistentibus cum infulis RR. admodum Dominis abbatibus Floreffiensi, Cuissiaceni & Strahoviensi, ac praeeunte toto conventu suo Praemonstra-

dem domui Montis Sanctae Othiliae (= Mont-Saint-Odile) in Alsatia praeficiebatur quam laudabiliter annis 1737-1755 rexit ac observantiam antiqui rigoris strenue scriptis suis propagavit. BACKMUND, III, 234; GOOVAERTS, I. 17.

[73]) Hagenau, praepositura a Capitulo generali anni 1717 ad circariam Campaniae translata (Acta Cap. gen. V, 1717, n. 29) quam rexit praepositus Franciscus Schwarz annis 1726-1745. BACKMUND, I², 96.

[74]) Abbatia Vadegotiensis (= Wadgassen) prope Saarlouis, caput circariae usque 1766 quando regno Gallico fuit incorporata. Abbas regularis fuit tunc temporis Hermann Mertz (1705-1743). BACKMUND, I², 122. Johannes Wintersdorff (1701-1774) erat tempore Capituli generalis vicarius in Ebersweiler, ita W.F.J. TRENZ, *Die Prämonstratenserabtei Wadgassen zur Zeit der französischen Herrschaft von 1766 bis zur Auflösung im Jahre 1792*, Averbode, 1961, p. 149.

[75]) Abbatia Heylissemensis (= Heylissem), circariae Brabantiae, cuius abbas regularis tunc erat Milo Defossez (1734-1761). M. KOYEN, *Abbaye de Heylissem*, in *Monasticon belge*, IV, 3, 767-768.

[76]) Bellus Locus (= Beaulieu) abbatia regularis circariae Campaniae cuius praelatus erat Carolus Leblanc (1730-1776). BACKMUND, II. 483.

[77]) Abbatia regularis Belli Reditus (= Beaurepart) in civitate Leodiensi (= Liège), circariae Floreffiae, sub abbate Norberto Burnenville (1733-1745). BACKMUND, II, 360.

[78]) Canonia Lisquensis (= Licques), circariae Flandriae, in commendam data regebarur a priore claustrali qui, ipso impedito, ius habuit sibi substituendi deputatum. BACKMUND, II, 413-417.

tensi, ex ecclesia procedens, ad supra nominatos capitulantes in aula majori hinc inde ordinate adstantes pervenit, eosque aqua lustrali et thure odorato excipiens, ad celebranda secum haecce generalia Comitia admisit. Tum incoepta a cantoribus antiphona *Christus resurgens*, simul omnes bini et bini eandem Antiphonam prosequentes ad templum processerunt, moxque Reverendissimus Dominus ad implorandum divini numinis auxilium pro tot capitulantium collegio, missam de Spiritu sancto, pontificali ritu celebravit, qua finita sese omnes ad aulam capitularem conventus recepere, concionem pro more audituri.

Sessio prima habita die 4a Maii hora post meridiem tertia

[3] Convocato ad pulsum majoris campanae Capitulo, Reverendissimus Dominus Generalis aulam capitularem ingressus, moxque in genua provolutus, dicta antiphona *Veni Sancte Spiritus*, surrexit et sedit, et quoniam ipse jam Capitulo generali promiserat obedientiam, sedenti illi omnes abbates genibus flexis obedientiam et reverentiam promiserunt et juraverunt.

[4] Tum Reverendissimus Dominus Generalis praehabito cum Reverendis admodum Dominis Floreffiensi, Cuissiacensi, Strahoviensi, Bonae Spei, Dommartinensi, Lucensi, Grimbergensi et Steinfeldensi abbatibus consilio, in definitores assumpsit et nominavit praeter

R.D. abbatem Floreffiensem secundum Ordinis patrem et
R.D. abbatem Cuissiacensem tertium Ordinis patrem
R.D. Strahoviensem, R.D. Dommartinensem, R.D. Ninoviensem, R.D. Grimbergensem, R.D. Parcensem, R.D. Bonae Spei, R.D. Steinfeldensem, R.D. Rengivallis, R.D. Clarifontis, R.D. Roggenburgensem, R.D. Lucensem, R.D. Corneolensem, R.D. Sancti Joannis de Castella, R.D. Albae Curiae, R.D. Priorem Praemonstrati, R.D. Praesidem collegii Romani, Ordinis in Urbe procuratorem generalem.

[5] His et aliis Capituli officiariis absque ullo praecedentiae praejudicio nominatis, declaravit Rmus Dominus Generalis ex more Ordinis tam suos quam Capituli generalis quovis titulo commissarios, vicarios, visitatores, aliosque ad Ordinis negotia, sive generalia, sive particularia commissos, seu deputatos, a suis officiis, commissionibus et mandatis absolutos, qui statim ad praefati Reverendissimi manus commissionum suarum litteras humiliter resignaverunt.

[6] Deinde lecta sunt decreta ultimi Capituli generalis. Quibus lectis hanc sessionem terminavit Reverendissimus Capituli praeses.

E secunda sessione die 5a Maii hora 8 matutina.

[7] Quaesivit ad amplissimo Capitulo Reverendissimus Dominus abbas S. Mariae Mussipontanae, utrum qui tenentur ad recitationem breviarii, tenentur ad recitationem litaniarum majorum in die S. Marci et in Rogationibus, et responsum est jam antea a Capitulo defini - 11 - tum fuisse illos non obligari, quae quidem decisio fuit a Capitulo confirmata.

[8] Tum exposuit R.P. prior Praemonstrati, a quodam authore Ordinis anonimo editum fuisse librum gallico idiomate[79]), in quo impugnantur decreta Capitulorum generalium, tum ea quae spiritualem et temporalem ecclesiae Praemonstratensis administrationem, sede abbatiali vacante, priori Praemonstrati vindicant, tum ea quae jus indicendae electionis abbatis Praemonstrati eidem Priori confirmant et amplissimum Capitulum rogavit ut latam a Reverendissimo Domino Generali contra praefatum librum sententiam ratam haberet et approbaret; cujus supplicationis occasione Reverendissimus Dominus abbas Mussipontanus supplicem praefati authoris chartam ab eodem subscriptam, amplissimo Capitulo consignavit, qua Reverendissimi Domini Generalis censurae cum debitae venerationis protestatione sese submittit. Quibus auditis, Capitulum ipsius excusationem et obsequium censurae exhibitum approbavit et praedicta decreta, tum ea quae spirituale m simul et temporalem ecclesiae administrationem, sede vacante, priori Praemonstrati adjudicant, tum ea quae diem electionis abbatis Praemonstrati ab ipso indicendam esse definiunt, sua sanctione confirmavit. - 12 -

[79]) Agitur de libro a Joanne Blanpain (GOOVAERTS, I, 62-64), sodale Communitatis antiqui rigoris et quondam intimus ac secretarius Annalistae Ordinis C.L. Hugo, reticito nomine conscripto, cui titulus: *Jugement des écrits de M. Hugo, évêque de Ptolémaïde, abbé d'Estival en Lorraine, historiographe de l'ordre de Prémontré*, s.l., MDCCXXXVI. In praedicto libro, parte II, articulo 1: *A qui appartient le droit de gouverner l'Abbaye de Prémontré, lorsque le Siège est vaquant?* p. 59-84, impugnantur decreta Capitulorum generalium quibus certa iura in regimine archicoenobii viduati Priori Praemonstrati committuntur.

E sessione tertia die 5. Maii hora 3. pomeridiana

[9] Exposuit Reverendissimus Dominus Generalis amplissimo Capitulo monasterium suum jam pridem non fuisse visitatum et illico nominatus est Reverendus admodum Dominus Strahoviensis qui cum Reverendis admodum dominis abbatibus Floreffiensi et Cuissiacensi illud officium exsequeretur.

[10] Item conquestus est Reverendus admodum dominus abbas Albae Curiae[80]) abusum apud plures religiosos invaluisse, ut absque superiorum scitu et licentia emerent, venderent et pecuniam sibi asservarent, quem ut pro viribus emendaret Capitulum renovavit decretum Statutorum quo cuilibet religioso prohibetur ne quidquam inscio suo Superiore, emere vel sibi comparare praesumat.

[11] Renovavit etiam Capitulum aliud decretum Statutorum distinct. 2 cap. 23 quo pastoribus injungitur ut vel in octava S. Norberti vel in aliquo alio tempore solemni ad suae professionis domum sese recipiant, ibidem spiritualibus exercitiis per aliquot dies vacaturi et villicationis suae tam spiritualis quam temporalis rationem suis superioribus reddituri. - 13 -

[12] Ordinat ulterius Capitulum ut pastores qui suis superioribus immediatis parere recusabunt, ad superiores majores deferantur, ab iisdem pro merito carpendi et castigandi.

E sessione quarta die 6. Maii hora 9. matutina.

[13] Petiit R. admodum Dominus abbas Postellanus ut suum monasterium ad circariam Brabantinam transferretur[81]) et auditis illius supplicationis motivis, collectisque votis dictum monasterium Postellanum circariae Brabantinae fuit amplissimi Capituli decreto incorporatum salvo jure paternitatis Reverendi admodum domini Floreffiensis.

[14] Postea retulit R. admodum dominus abbas Dilighemensis negotium R.P. Procuratoris Generalis Parisiensis, petentis nimirum 1° ut

[80]) De zelo abbatis Albae Curiae in refrenando vitia contra votum paupertatis, ex quo etiam ortum duxit decretum de iterum spargendo, latino idiomate, exhortationes hac de re abbatis generalis Michaelis Colbert, vide diarium abbatis Grimbergensis in J.B. VALVEKENS, *art. cit.*, p. 19-20.

[81]) Erectus ut domus dependens a canonia Floreffiensi, domus Postulana cum abbatia matrice incorporabatur in circaria Floreffiae et Flandriae, dum ipsa sita erat in finibus Leodii et Statuum Hollandiae. Rationes post initialem recusationem Capitulum inclinantes ad praedictae translationi consentiendum, inveniuntur in diario abbatis Grimbergensis. Vide J.B. VALVEKENS, *art. cit.*, p. 23.

omnia Ordinis monasteria in regno Franciae constituta in partem honorarii sibi ab Ordine concessi venirent. 2° Ut nova contributa singulis monasteriis sibi solvenda imponeretur. 3° Ut nemini liceret negotia aliis quam Ordinis patronis seu procuratoribus prosequenda committere. 4° Ut nulli Ordinis religiosi Parisios appellentes, alibi quam in Ordinis collegio commorari possent. Super - 14 - quo negotio amplissimo Capitulo exposuit praefatus Abbas se et adjunctos commissarios censere nihil a praedicto procuratore generali Parisiensi petitum quod justum non esset. Tum collectis omnium praelatorum votis unanimi Capituli suffragio approbata et concessa fuerunt omnia supplicationis supra recensita capita et approbatus et confirmatus novus contributionis index Capitulo ad eodem Procuratore generali oblatus et actis Capituli generalis insertus.

[15] Tum retulit R. adm. Dominus Capituli promotor libellum supplicem RR. adm. DD. abbatum Strahoviensis et Lucensis quo scilicet petebant 1° ut dignaretur Capitulum confirmare omnia Capitula Provincialia Circariae Bohemiae potissimum ab anno 1680 usque ad annum 1733 celebrata, necnon omnia pacta inter abbates comprovinciales conventa. 2° Ut erectio prioratus Sacri Montis[82]), penes Olmutium, confirmaretur ea conditione ut a conventu Gradicensi omni modo et immediate dependeat, ita ut nullae fiant in praedicto prioratu professiones, sed Gradicenses professi ibidem officii divini pensum persolvant et maneat unum corpus et inseparabiles ab ecclesia matrice Gradicensi, voce activa et passiva in eadem gaudente. 3° Ut translationes abbatum ab una abbatia ad aliam, possent, in casi - 15 - bus, in quibus tempus recurrendi ad Reverendissimum Dominum Generalem non suppeteret a vicariis generalibus provisorie fieri, ita tamen ut deberent abbates translati suae translationis approbationem et confirmationem a Reverendissimo Domino Generali postulare et obtinere. 4° Ut translatio abbatiae Gryphensis[83]) a circaria Bavariae ad Bohemicam, olim facta, a Capitulo rata haberetur et jus paternitatis in eandem Gryphensem ecclesiam R. adm. Domino abbati Lucensi adjudicatum, ab amplissimo Capitulo confirmaretur. Quae quidem quatuor capita juxta petentium vota unanimi patrum suffragio concessa fuerunt et definita.

[82]) Prioratus Sacromontanus (= Svaty Kopeček) prope Olomucium (= Olmuc) in Moravia erectus a canonia Gradicensi (= Hradisko) erronee a Capitulo generali anni 1710 (sic) confirmatus invenitur apud BACKMUND, I², 382.

[83]) Acta Cap. gen., V, 1717, n. 31, cum nota 40.

[16] Item petiit R. Prior Belli Reditus nomine R. adm. D. sui abbatis 1° Ut authoritate Capituli confirmarentur decreta in ultima visitatione monialium Rekemensium[84]) ab eodem abbate edita et jussus est illa decreta RR.DD. praesidibus causarum regularium exhibere. 2° Ut ex aliis Ordinibus numquam accerserentur professores, quod probavit Capitulum. 3° Ut renovaretur decretum Capituli generalis anni 1663, sess. 15[85]) quo definitur Theologiae lectores esse majores domus, et reipsa renovatum est decretum, hac apposita clausula, *modo sint de gremio ecclesiae et unus sit tantum in uno monasterio.*

[17] Deinde renovatum est decretum Capituli - 16 - generalis anni 1686 quo sess. 13[86]) definitum fuit Reverendissimum Dominum Generalem, ubi deficit prior in abbatiis commendatis, gaudere jure praeventionis in casu concursus vel praesentiae cum Patre Abbate.

[18] Item renovatum est aliud decretum in Capitulo generali anni 1663 sess. 3[87]) his verbis editum: *Si vero contingeret casum exigere, ut, deficiente abbate regulari capace, expediret, imo necesse foret priorem claustralem delegare ad visitandum abbatem aut abbates regulares, potest Reverendissimus Dominus Praemonstratensis priorem ejusmodi deputare ad visitandum etiam abbates regulares, prout judicaverit expedire.*

E sessione quinta die sexta Maii hora post meridiem tertia.

[19] Nomine circariae Suevicae amplissimo Capitulo proposuit R. admodum D. abbas Roggenburgensis ejusdem circariae deputatus 1° Ad Ordinis decus expedire ut processus sanctificationis et canonisationis pro universali ecclesia institueretur beati Hermanni Joseph canonici Steinfeldensis. Quam propositionem non admisit Capitulum[88]). 2° Rogavit ut statueretur officium de Sancto Norberto semel in mense

[84]) Rekem, prioratus sororum praemonstratensium in hodierna provincia belgica Limburgica, circariae Floreffiae (BACKMUND, II, 392) visitatus fuit diebus 9 et 10 Aprilis 1738, ab abbate Belli Reditus, uti ex supplicatione ablegati huius praelati patet. Vide W.M. GRAUWEN, *Prieuré de Rekem*, in *Monasticon Belge*, VI, 1976, 236, qui relictum huius visitationis refert, dum ei latebat nomen visitatoris.

[85]) Acta Cap. gen., V, 1663, n. 125.

[86]) Acta Cap. gen., V, 1686, n. 35.

[87]) Acta Cap. gen., V, 1663, n. 15.

[88]) Notat abbas Grimbergensis in sui diario: «Quod hic propositum fuit per abbatem Roggenburgensem de canonisatione B. Hermanni Joseph, Capitulum modeste recusavit; quia constabat negotium istud Romae de saeculo propositum — etsi a Caesare commendatum — non successisse, ut videre licet apud Bollandistas in Actis Sanctorum ad 7am Aprilis [*Acta Sanctorum Aprilis*. Tom. I, Antverpiae, 1675, 686]» — J.B. VALVEKENS, *art. cit.*, 25.

recitandum, die quadam, festo non - 17 - impedita, et respondit Capitulum standum esse ordinationi in nova Ordinarii editione circa illud officium inserendae.

[20] Item amplissimo Capitulo nomine R.D. sui abbatis supplicavit R.P. Prior Belli Reditus, ut a Capitulo juberentur omnes abbates dioeceseos Leodiensis in partem expensarum ad tuitionem privilegiorum Ordinis faciendarum venire. Cui respondit Capitulum se praedictos abbates ad illud enixe adhortari.

[21] Postea retulit R. adm. D. abbas Lucensis commissum sibi negotium de jure paternitatis in ecclesiam Rengisvallis[89]) quod praetendebat R. admodum D. abbas Regiaevallis[90]) contra Reverendissimum Dominum abbatem Praemonstratensem, et amplissimo Capitulo exposuit praedictus R.D. abbas Lucensis se et adjunctos commissarios exhibita ab utraque parte documenta attente examinasse, iisque debite perpensis censere jus paternitatis in praedictam Rengisvallis ecclesiam Reverendissimo Domino Abbati Praemonstratensi multiplici titulo competere et R.D. abbas Regiaevallis praetensionem nullo legitimo fundamento esse innixam. Cui quidem judicio unanimi suffragio adhaesit Capitulum.

[22] Tum ad propositionem R.D. abbas Grimbergensis quales preces pro defuncto Generali fundi deberent, respondit Capitulum et ordinavit pro eo solemne servitium in omni - 18 - bus Ordinis ecclesiis per ipsum abbatem esse celebrandum et ab unoquoque sacerdote duas missas esse persolvendas, illudque Ordinario jamjam typis edendo esse inserendum.

[23] Deinde ad ejusdem R.D. abbatis Grimbergensis requisitionem decrevit Capitulum festum Septem Dolorum B.V.M. in toto Ordine esse celebrandum per modum triplicis tertiae classis feria sexta ante dominicam Palmarum.

E sessione sexta die 7. Maii horis matutinis.

[24] RR. admodum DD. Praemonstrati visitatores a Capitulo nominati, referente R. adm. D. abbate Floreffiensi Capitulo visitationis rationem reddidere eidemque retulerunt sese omnia tam in spiritualibus quam in temporalibus in optimo statu deprehendisse, nihilque esse in toto conventu nisi laude dignum.

[25] Tum amplissimum Capitulum pro singulari qua et Ordini co-

[89]) Rengéval, Communitati antiqui rigoris associata canonia. BACKMUND, III, 98.

[90]) Riéval, canonia in commendam data ad circariam Franciae Communitatis antiqui rigoris pertinens. BACKMUND, III, 99.

aeva devotione erga Immaculatam semper Virginem Mariam primariam Ordinis patronam, unanimi voto evexit ad dignitatem triplicis secundae classis festa Immaculatae Conceptionis, Purificationis et Annuntiationis ejusdem Sanctissimae Dei Genitricis.

[26] Postea Capitulo retulit R. adm. D. abbas - 19 ,- Cuissiacensis litem motam inter R. adm. D. abbatem Corneolensem et R.P. Procuratorem generalem Romanum, abbatem Belli Campi designatum, ratione proventuum ejusdem abbatiae Belli Campi, et audita praedicti R.D. abbatis suo et condeputatorum nomine loquentis sententia, Capitulum declaravit R.P. procuratorem generalem Romanum in sua praetensione minus esse fundatum et R.D. abbatem Corneolensem in sua possessione conservandum.

[27] Deinde retulit R. adm. D. abbas Sanctae Mariae Mussipontanae puncta a R. adm. D. abbate Steinfeldensi proposita super Ordinis exemptione, et audita commissariorum sententia, decrevit Capitulum ut nomine totius Ordinis Romae fieret intercessio pro conservanda praefata Ordinis exemptione, sed expensis illorum quorum interest.

[28] Mox legit R. adm. D. Capituli Promotor memoriale sibi ex parte Illustrissimi Domini Ptolemaïdis Episcopi[91]) consignatum, quo nimirum petebat 1° Ut posset unum ex religiosis suis ad aliquam mittere universitatem, qui gradibus insignitus Officialis munus in suo posset obire monasterio, quod concessit Capitulum ea conditione ut esset semper ad nutum superiorum amovibilis. 2° Ut pastores in suo monasterio dependentes non possent a R.D. Vi - 20 - cario generali[92]) absque illius consensu revocare, quod omnino a Capitulo denegatum est.

[29] Deinde Capitulo retulit R.D. abbas Dilighemensis commissam sibi causam inter circariam Sueviae ac R.P. procuratorem generalem romanum, ratione centum scutorum romanorum ad antepraedecessorem praediciti procuratoris generalis romani[93]) transmissorum. Capitu-

[91]) Agitur de Carolo Ludovico Hugo, abbate Stivagiensi (= Etival), qui, renuente episcopo Tullensi (= Toul), die 15 decembris 1728 a Benedicto XIII episcopus Ptolemaïdis in partibus infidelium creatus fuit, dum canonia Stivagiensis figuram iuridicam assumpsit abbatiae nullius dioeceseos. Pius abbas Grimbergensis, ad nomen praedicti abbatis Hugo, indignatus fuse invexit contra insignem historiographum eo quod ausus esset in dubium revocare authenticitatem apparitionis B. Mariae Virginis habitum candidum S. Norberto porrigentis. Vide J.B. VALVEKENS, *art. cit.*, 29-33.

[92]) Agitur de vicario generali Communitatis antiqui rigoris cui canonia Stivagiensis associata erat.

[93]) Agitur de Norberto Mattens, praeside Collegii Romani et procuratore generali (1726-1728), abbate titulari Fontis-Andreae (= Fontaine-André). BACKMUND, I², 491.

lum audita RR.DD. commissariorum relatione censuit minus fundatam esse amplissimorum DD. praelatorum Suevorum praetensionem.

E sessione septima die 7. Maii horis pomeridianis.

[30] Retulit R. adm. D. Capituli promotor petitionem trium praepositorum circariae Bohemiae, nimirum Doxanensis[94], Cotieschoviensis[95]) et Czarnovancensis[96]), qui Capitulo humillime supplicant ut abbatiali titulo suae decorentur praepositurae. Quorum supplicationi, audito RR. adm. DD. vicarii generalis et visitatoris Bohemiae testimonio, annuit Capitulum et praedictas tres praeposituras in abbatias erexit sicut de facto erigit, ipsosque praepositos abbatiali dignitate insignit.

[31] Tum petiit R. adm. D. abbas Lucensis ut confirmaretur contractus inter ecclesias Perne - 21 - censem[97]) et Czornensem[98]) initus, eo fine ut ecclesia Tiriensis[99]) adunetur ecclesiae Czornensi, cujus auditis pensatisque rationibus, Capitulum voto unanimi praedictum contractum confirmavit et confirmat.

[32] Deinde referente R. adm. D. Dilighemensi quaestionem an possent vicarii generales ab abstinentia temporibus Adventus et Septuagesimae dispensare, decrevit Capitulum nullum praelatum posse in dicta abstinentia dispensare cum toto conventu, sed necessario recurrendum vel ad Reverendissimum D. Praemonstratensem vel ad vicarios generales.

[33] Postea in causa valoris cessionis factae ab amplissimo Domino abbate Trunchiniensi et ejus Capitulo ad manus ampl. D. Grimbergensis ejusque Capituli juris paternitatis super ecclesia de Tussembeke[100])

[94]) Prioratus sororum Doxanensis (= Doksany), Bohemia. Primus praepositus abbatiali dignitate auctus erat Benedictus Bayer. BACKMUND, I², 348.

[95]) Prioratus sororum praemonstratensium de Chotěšov, in districtu Pilsensi, Bohemia. Primus praepositus abbatiali dignitate insignitus fuit Christophorus Schmiedl (1737-1761). BACKMUND, I², 343-346.

[96]) Prioratus sororum praemonstratensium in Czarnowasy, in Silesia Orientali, dioecesis nunc Opolensis (= Opole). Eustachius Fritsch primus praepositus factus abbas. BACKMUND, I², 408-410.

[97]) Canonia virorum in Pernegg, prope Horn in Austria Inferiore, nunc dioecesis Sancti Hypoliti (= Sankt Pölten). BACKMUND, I², 371.

[98]) Abbatia Csornensis (= Csorna) in comitatu Sopronensi, dioecesis Jaurinensis (= Györ), Hungaria. BACKMUND, I², 527.

[99]) Agitur de praepositura de Türje, in comitatu Zala, dioecesis Veszprem, Hungaria. BACKMUND, I², 558-559.

[100]) Prioratus sororum praemonstratensium vocatus Tusschenbeek situs in Serskamp, non longe ab Aalst, in provincia Flandriae Orientalis, nunc dioecesis Gandavensis (= Gent) in Belgio. BACKMUND, II, 424 ubi erronee transitus ad paternitatem abbatis

SUMMARIUM HUIUS FASCICULI

Articuli:

W.M. GRAUWEN, Norberts reis naar Saint-Gilles-du-Gard, 1118 . . 5-22

W.M. GRAUWEN, Norbert en de reliekenvinding te Keulen, 12/13 oktober - 24 november 1121 23-41

G.R. EVANS, Unity and diversity: Anselm of Havelberg as ecumenist . 42-52

Walter NEUHAUSER, Das «Opusculum compendiosum» des Wiltener Chorrherren Michael Ausse, eine bisher nicht beachtete Darstellung der Gründungsgeschichte des Prämonstratenserordens (*Fortsetzung*) 53-104

Miscellanea:

W.M. GRAUWEN, Vitalis van Savigny en Norbert als *Wanderprediger* . 105-109

Karl KAUFMANN, Der Schussenrieder Abt Tiberius Mangold als Visitator des Reichsstifts Ursberg in den Jahren 1708 und 1709 . . . 110-119

Martine PLOUVIER, In memoriam R.P. François Petit (1894-1990) . . 120-137

Recensiones:

Manfred GERWING, *Cappenberg unter Tage*. Zur Bedeutung Cappenbergs im Mittelalter (L. Horstkötter, O. Praem.) 138-139

A. KNOOP en G. MERKELBACH, *Het domein Lieshout, 7de eeuw - ca. 1300* (H. van Bavel, O. Praem.) 139-140

Kaspar ELM, *Mittelalterliches Ordensleben in Westfalen und am Niederrhein* (L. Horstkötter, O. Praem.) 140-141

Franz BENTLER, *Dorfkirchen im Einflußbereich der Prämonstratenser* (aufgezeigt am Beispiel der Kirchen in der Prignitz), Teil 3 (L. Horstkötter, O. Praem.) 141-142

S. HIDDEMA en C. TROMP (ed.), *Inventaris van archieven van kloosters in de provincie Groningen* en C. TROMP (ed.), *Groninger kloosters* (A.W. van den Hurk, O. Praem.) 142-143

Bernard ARDURA, *Nicolas Psaume (1518-1575), Evêque et Comte de Verdun* (C.L. Caals, O. Praem.) 144

Chronicon 145-174

Editio textus

Acta et Decreta Capitulorum Generalium O. Praem. T. V (1657-1738) (Ed. J.B. VALVEKENS (†), O. Praem. et L.C. VAN DIJCK, O. Praem.) . 349-364

Valvekens, J.B. 68(1982), 112

et beneficio curato de Chercam[101]) controversata, censuit ampl. Capitulum validam esse cessionem mentionati juris conformiter ad ratificationem Illustrissimi D. Generalis die 19. novembris anni 1709 emanatam.

[34] Mox referente R. adm. D. abbate Steinfeldensi ad requisitionem R.D. abbatis Ilbenstradiensis (sic)[102]), an penes Illustrissimum D. Generalem aut amplissimum Capitulum generale sit potestas in aliam diem transponendi dedicationem ecclesiae, quae ob incidens continuo aliud festum - 22 - primae classis, aut ejus octavam commode servari non possit et respondit Capitulum habere potestatem.

[35] Item proponente eodem R.D. abbate Steinfeldensi an priores sanctimonialium, dum accedunt ad coenobia virorum, locum habeant post priorem domus, sicut priores abbatiarum, responsum est negative, cum ex Capitulo generali anni 1663[103]) in paterno suo monasterio non habeant stallum nisi suae professionis, posse tamen ex urbanitate locari post priorem domus.

E sessione octava die 8. Maii hora nona matutina.

[36] Exposuit R.D. Capituli promotor R.D. abbatem Sancti Andreae in Nemore talliarum solutionem sub hoc praetextu denegare, quod olim ab uno ex praedecessoribus suis impensa fuerit summa ducentarum quadraginta librarum ad Ordinis privilegiorum tuitionem in quarum expensarum considerationem a talliis Ordinis immunis, ut praetendebat, factus fuerat. Capitulum, audita lectione decretorum trium capitulorum generalium, quibus declaratur praedicto R.D. abbati Sancti Andreae abunde satisfactum fuisse, jubeturque tallias Ordini in posterum singulis annis solvere, eadem de - 23 - creta confirmat, illaque a dicto R.D. abbate sine ulla amplius contradictione observanda decernit.

[37] Mox ventilata est quaestio de repetitione R.D. abbatis Ninhoviensis summae nimirum triginta trium millium centum et quinquaginta septem librarum Turonensium olim ab uno ex illius praedecessoribus

Grimbergensis et consequenter ad circariam Brabanticam resolutioni Capituli generalis anni 1718 (sic) adscribitur.

[101]) Agitur de beneficio curato paroeciae de Serskamp.

[102]) Abbatia de Oberilbenstadt, in regione dicta Wetterau, Oberhessen, in dioecesi Moguntina (= Mainz). Abbas erat Jakob Münch (1725-1715). BACKMUND, I², 98-101.

[103]) Acta Cap. gen., V, 1663, n. 82.

7 A 246

pro negotiis Ordinis impensae[104]) et collectis votis definivit Capitulum omnes circarias quae undecim tallias a praecedentibus capitulis generalibus in diminutionem summae repetitae impositas non solverunt, illas juxta taxam in *Bibliotheca Praemonstratensi*[105]) inscriptam intra quinquennium solvere debere, interea injungit Capitulum RR.DD. vicariis generalibus illas tallias in suis quique circariis colligant et ad R.D. abbatem Ninhoviensem transmittant. Cui decreto sese opposuerunt RR.DD. abbates strictioris observantiae nomine[106]) suae Communitatis qua non obstante oppositione, collectis votis statuit Capitulum illos praedicto decreto comprehendi et ad solutionem praefatae impositionis talliarum undecim obligari, consentanee ad decreta praecedentium capitulorum generalium.

[38] Deinde referente R.D. abbate Lucensi quaestionem de jure paternitatis in ecclesiam Claroholtanam[107]), motam inter ecclesias Praemonstratensem et Cappenbergensem[108]), censuerunt - 24 - amplissimi Patres R.D. praepositum Cappenbergensem provisionaliter sine cujusquam praejudicio in possessione esse conservandum, donec tam in possessoris quam in petitoris, auditis utriusque partis momentis, a futuro Capitulo generali feratur judicium definitivum.

[39] Item Capitulum approbavit Librum Caeremoniarum, quem Ordinarium vocamus, novo praelo esse committendum, novis accessionibus et explicationibus visis et probatis a RR.DD. ex definitorio deputatis in hac parte.

[104]) Agitur de expensis ab ultro centum annis, nempe ab anno 1627, in lite contra Communitatem antiqui rigoris ab abbate Ninoviensi Joanne David (1613-1636), procuratore generali ordinis praemonstratensis, factis praesertim in vindicandis coram tribunal Sacrae Romanae Rotae iuribus Capituli generalis. Vide L.C. Van Dijck, *De internationale betrekkingen van Joannes David, abt van Ninove (1613-1636)*, in *De abdij van Sint-Cornelius en Sint-Cyprianus. 700 jaar premonstratenzerleven te Ninove*, Ninove, 1989, 61-76.

[105]) In J. Le Paige, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, 324-344, invenitur elenchus omnium abbatiarum et domuum ordinis praemonstratensis simul cum taxa fixa iuxta amplitudinem proventuum uniuscuiusque imposita.

[106]) Quotiescumque, in decursu temporis, quaestionem de solutione crediti abbatis Ninoviensis Capitulum generale movebat, delegati Communitatis antiqui rigoris sese opposuerunt eo quod actio iudiciaria coram Rotam Romanam a procuratore generali ordinis ex iussu Capituli generalis introducta validitatem bullarum praedictam Communitatem reformatorum constituentium impugnaverat.

[107]) Praepositura nobilium canonicorum de Clarholz, prope Wiendenbrück in Westfalia, dioecesis nunc Paderbornensis. Backmund, I², 189-190.

[108]) Cappenberg, canonia virorum prope Lünen, Westfalia, dioecesis Monasteriensis (= Münster). Backmund, I², 186-187.

[40] Mox Capitulum volens in Ordine sacro et canonico promovere cultum augustissimi Eucharistiae Sacramenti, Beatae Mariae Virginis Deiparae patronae nostrae singularis et SS. Patris nostri Norberti, statuit quod in posterum officium votivum SS.P.N. Norberti feria secunda, venerabilis Sacramenti feria quinta, et de sancta Maria in sabbato persolveretur pro officio canonico, quotiescumque ex Ordinarii praescripto et juxta rubricas generales missalis nostri, titulo *de Missis votivis ex praescripto Ordinis pro summa celebrandis*, extra adventum et octavas, summa debet esse familiaris de iisdem, sine dispendio officii defunctorum aliunde non impediti, salvis rubricis de historia legenda.

[41] Item usum quarundam circariarum celebrandi festum Septem Dolorum B.M. Virginis - 25 - (ut dictum est superius) et solemnitatem Rosarii ejusdem Dei genitricis etiam ritu majoris duplicis a summis pontificibus praeceptam, ad dominicam primam in mense Octobri, extendit Capitulum ad omnes omnino circarias.

[42] Et quatenus Ordo noster canonicus est et ex hoc apostolicus, SS. Apostolorum et Evangelistarum natalitia evexit et evehit ad ordinem et ritum majorum duplicium, sicut et festa Sanctorum Ordinis nostri Ludolphi episcopi et martyris, Evermodi et Isfridi episcoporum.

[43] Decrevit item Capitulum nomen Sancti Joseph Sponsi SS. Dei Genitricis in Sanctorum litaniis majoribus et brevibus inserendum hoc modo et ordine: S. Joannes Baptista, S. Joseph, omnes SS. Patriarchae, etc.

[44] Item transtulit et transfert officium S. Gilberti abbatis Ordinis nostri ad diem 24. mensis Octobris, quo sacrae ejus exuviae sunt elevatae et procuratori generali in curia romana injungit ut indulgentias huic festo annexas ad praedictam diem a Sanctissimo transferri procuret.

[45] Placuit item non obstantibus supplicationibus publicis in aliqua ecclesia, canonicos teneri ad lectionem vigiliarum, si occurant, sed quae tunc persolvi poterunt aut in choro ante pulsum Vesperarum, aut in capella separata, debitumque aliquod servitium pro de - 26 - functo, sive pro defunctis, deferri non debere ultra triginta dies non obstante festo novem lectionum tantum; mandatque observari in omnibus circariis Ordinarium titulo *quantum fieri debeat pro fratre, abbate, fundatoribus etc.*, n. 6. Videlicet pro omnibus praefato titulo recensitis, singuli sacerdotes omni tempore, nisi sint in cursu quotidianae missae Ordinis, aut manifeste infirmi, singulis septimanis missam unam, clerici septem psalmos poenitentiales, conversi viginti quinque orationes dominicas et

totidem salutationes angelicas persolvant, sub conditione ibidem apposita.

E sessione nona die 8. Maii hora 3. pomeridiana.

[46] Quaesivit R.D. Rengisvallis an deberent vocari pastores, quando in monasteriis faciendae sunt quaedam bonorum commutationes et Capitulum respondit negative.

E sessione decima die 9. Maii horis matutinis.

[47] Rogavit R.D. Abbas Grimbergensis ut publice legeretur quoddam piae memoriae Reverendissimi Domini Colbert quondam totius Ordinis Generalis mandatum de observanda a religiosis paupertate[109]) et quaesivit ut authoritate Capituli renovaretur et latino ac gallico idiomate novo praelo subjiciendum statueretur; quod quidem post auditam praedicti mandati lectionem gratissimum habens Capitulum illud renovavit et renovat et tum latino tum gallico idiomate typis mandari decernit, amplissimis DD. vicariis generalibus expresse injungens ut dictum mandatum in suis quique circariis observari sollicite satagant.

[48] Deinde retulit R.D. abbas Roggenburgensis motam quaestionem inter Ecclesias Sanctorensem[110] et Wadegotiensem super jure paternitatis in ecclesiam S. Nicolai Hagenoensis et audita relatione, lectoque decreto Capituli generalis anni 1686[111]) his verbis concepto: *Declaravit ampl. D. Marchtallensis R.D. Abbatem Cellae Sanctorum Omnium authoritate Rmi D. et Capituli Generalis jam pridem denominatum Patrem Abbatem Monasterii Hagenoensis ob redemptionem ejusdem*

[109]) Gallice fuit conscripta exhortatio d.d. 25 februarii 1701. Iterum prelo submissum fuit huiusmodi pium hortamen nunc praeter gallico etiam latino sermone exaratum: *Mandatum Rmi in Christo Patris ac Domini D. Michaele Colbert, quondam Generalis totius Ordinis Praemonstratensis De observando paupertatis voto, renovatum in Capitulo Generali Praemonstrati celebrato anno 1738 et Reverendissimi DD. Claudii Honorati Lucas, abbatis Praemonstratensis et Generalis, necnon praefati Capituli jussu et auctoritate editum.* Virduni, Typis Petri Perrin, Filii, Ordinis Praemonstratensis Typographi et Bibliopolae Virdunensis, M.DCC.XXXIX. Textus integer reproducitur in J.B. VALVEKENS, *art. cit.*, 66-69. Cfr. GOOVAERTS, I, 131.

[110]) Canonia Sanctorensis sive Omnium Sanctorum (= Allerheiligen) in solitudine non longe a civitate Oppenau in Silva Nigra, nunc dioecesis Friburgensis (= Freiburg-im-Breisgau). BACKMUND, I², 46-47.

[111]) Decretum Capituli generalis anni 1686, in praesenti Capituli protocollo reassumptum, non insertum fuit in elencho impresso actorum et decretorum Capituli illius anni.

Monasterii ad Haereticorum saeculariumque Potestatum usurpatione, dictam Paternitatem Abbatialem resignare ad manus Rmi D. Praemonstratensis et capituli Generalis, supplicando ut Abbatiae Wadegotiensi cujus ab initio dicta Ecclesia Hagenoensis erat filia, reuniretur. Cui quidem peti - 28 - *tioni annuens Capitulum generale Ecclesiam Hagenoensem ad dictae Wadegotiensis Abbatiae Paternitatem revocavit, eamque in posterum sub R.D. Wadegotiensis Paterna jurisdictione remanere debere declaravit et declarat*; ejusdem decreto ordinationi standum esse definivit Capitulum, salva repetitione expensarum in praedicti monasterii Hagenoensis recuperatione a R.D. Sanctorensi factarum.

[49] Item agitata quaestione an vicarius generalis Communitatis antiqui rigoris possit delegare visitationem, statim recesserunt Revmus D. Praemonstratensis et RR.DD. abbates strictioris observantiae, illisque egressis, censuit unanimiter Capitulum, cum in hoc casu de intellectu apostolicarum bullarum[112]) agatur, sibi non competere facultatem easdem interpretandi, sed remittendam esse dictam Communitatem ad S. Sedem Apostolicam pro declaratione bullarum, idque quantocius et committendum R.P. procuratori romano, quatenus resolutionem Romae urgeat et provisorium medium pro casu necessitatis procuret.

[50] Mox petente procuratore generali romano ut pro sua sustentatione renovaretur decretum Capituli generalis anni 1657[113]) in quo sessione 10. procuratori generali in curia romana, extra tallias Ordinis, assignatae sunt mille centum et viginti quatuor librae Franciae, soluto - 29 - in partibus cambio, libere et integre singulis annis Romam transmittendae, per singulas circarias divisae et pro rata taxae solvendae, quod decretum in Capitulis generalibus annorum 1660[114]) et 1663[115]) fuit confirmatum. Capitulum ad votarum pluralitatem praedictum decretum denuo confirmavit.

[51] Petiit iterum idem procurator romanus, ut negotia sacri Ordinis nostri Romae peragenda nulli alteri quam sibi committerentur, et sumptus negotiorum sibi tempestive procurarentur, quae ad petentis votum definivit Capitulum, assignatasque tallias a vicariis generalibus colligi mandavit.

[112]) Agitur de bullis *Exigit pastoralis* d.d. 26 iulii 1617 (Le Paige, BPO, 750) et *Ad sacram*, d.d. 21 aprilis 1621 (Le Paige, BPO, 751-756), quibus Reformatio lotharingica ordinis praemonstratensis approbata ac introducta fuerat, insciente Capitulo generali ordinis, cuius potestas legislativa et administrativa in Reformatos per sententiam iudicialem Sacrae Romanae Rotae suspensa declarata fuerat (Le Paige, BPO, 759).

[113]) Acta Cap. gen., V, 1957, n. 73.

[114]) Acta Cap. gen. V, 1660, n. 38.

[115]) Acta Cap. gen., V, 1663, n. 85.

E sessione undecima die 9. Maii horis vespertinis.

[52] Mota qaestione utrum deberet fieri partitio Communitatis antiqui rigoris in tres provincias, quarum unaquaeque suum haberet visitatorem et ex tribus provinciis alternatim assumi vicarius generalis, sicut et definitores in comitiis annuis ex tribus provinciis aequaliter elegi[116]), respondit Capitulum illa non expedire.

[53] Deinde retulit R.D. abbas Steinfeldensis motam contentionem inter ecclesias Straho - 30 - viensem[117]) et Osterhoviensem[118]) ratione juris paternitatis in ecclesiam Plagensem[119]), Capitulum audita relatione hanc causam plena authoritate judicandum commisit in partibus RR.DD. abbatibus Teplensi[120] et Speinshartensi[121]); interea provisorium manebit in sequestro R.D. vicarii generalis Bohemiae. Partibus autem injunxit Capitulum ut instrumenta originalia coram commissariis producerent.

[54] Tum referente eodem R.D. abbate Steinfeldensi litem motam inter ecclesias Wiltinensem[122]) et Windbergensem[123]) ratione praecedentiae, voto unanimi definitum est dari locum praescriptioni et consequenter praecedentiam penes R.D. abbatem Wiltinensem remansuram.

[55] Mox Capitulum renovavit decretum praecedentium Capitulorum generalium[124]), quo declaratur religiosum qui occulte injuriam facit superioribus aut aliis fratribus, damna graviora illis inferendo

[116]) Ex annotationibus abbatis Grimbergensis elucet huiusmodi divisionem, per quasi procuratorem abbatem Rengis Vallis, propositam fuisse ab abbate Stivagiensi C.L. Hugo, Lotharingiae causae addictissimo, eum in finem ut minueretur influxus sodalium aliarum nationum, praesertim gallorum, qui sese Reformationi Lotharingiae pedetentim iunxerunt. Vide J.B. VALVEKENS, *art. cit.*, 47.

[117]) Canonia Strahoviensis Pragae circariae Bohemicae. BACKMUND, I², 378.

[118]) Osterhofen, canonia Bavariae inferioris, dioecesis Passaviensis (= Passau). BACKMUND, I², 13-15.

[119]) Canonia Plagensis (= Schlägl), prope Aigen im Mühlviertel, Austria Superior, circariae Bohemicae tunc adscripta. BACKMUND, I², 374.

[120]) Raymundus Simonowsky annis 1724-1741 abbatiale regimen tenuit canoniae Teplensis (= Tepl) prope Cheb in districtu Karlovivary Bohemiae occidentalis, dioecesis Pragensis. BACKMUND, I², 384-386.

[121]) Dominikus von Lieblein, annis 1734-1771 abbas fuit canoniae Speinshartensis prope Eschenbach, Oberpfalz, dioecesis Ratisbonensis (= Regensburg). BACKMUND, I², 24-28.

[122]) Canonia virorum iuxta, nunc intra civitatem Oenipontanam (= Innsbruck), dioecesis eiusdem nominis, Austria. BACKMUND, I², 33.

[123]) Canonia virorum circariae Bavaricae, prope Bogen, Bavaria Inferior, dioecesis Ratisbonensis (= Regensburg). BACKMUND, I², 36.

[124]) Acta Cap. gen., V, 1670, n. 23; 1686, n. 37; 1717, n. 40.

usque ad commissionem peccati mortalis, ipso facto suspensionem, et si non sit in sacris, ipso facto excommunicationem incurrere, quamvis contra ipsum nulla reperiatur probatio, dictumque casum reservatis annumeravit.

[56] Item quaesivit R.P. procurator generalis romanus utrum religiosus S. Ordinis Praemonstratensis fugitivus aut immorigerus[125]), ab abbate proprio legitima poena juxta leges Ordi - 31 - nis mulctandus aut mulctatus, ab ullo majori Ordinis nostri superiore valide possit absolvi, inaudito, non consentiente, multo minus intercedente proprio abbate, aut illo ad cujus obedientiam juxta Ordinis Statuta missus est; et respondit Capitulum non posse, sed standum ordinationi Statutorum dist. 3, cap. 11, n. 6[126]).

[57] Item petiit R.D. abbas Roggenburgensis nomine suae circariae 1° Ut a recipiendo novo Ordinario deobligaretur praedicta circaria, quod omnino negavit Capitulum. 2° Ut novi Ordinis libri pro eadem circaria non reciperentur, sed quodvis monasterium pro indigentia sibi provideret; et respondit Capitulum circariam Suevicam debere reliquo Ordini sese in omnibus conformare. 3° Ut celebrarentur festa Sanctorum Fundatorum aliorum ordinum v.g. SS. Philippi Nerii, Joannes de Deo, Gajetani, Joannis Nepomuceni et Francisci Xaverii, per modum festorum novem lectionum et responsum est a Capitulo standum Ordinarii mox edendi praescripto.

[58] Item decrevit Capitulum SS.P.N. Norberti statuam in Ecclesia Vaticana communibus Ordinis impensis esse erigendam[127]). - 32 -

[125]) Refert abbas Grimbergensis in suo diario, reticito nomine casum hic propositum fuisse religiosi cuiusdam abbatiae Belli Reditus (= Beaurepart) prope Leodium (= Liège), qui, ob transgressiones emissus a proprio abbate ad canoniam Knechtstedensem, tandem ad abbatem generalem confugiens ab isto absolutus fuit inscio abbate Belli Reditus. Notat Van Eeckhout abbatem generalem vel non meminisse huiusmodi casus vel finxisse ignorantiam. Cfr. J.B. VALVEKENS, *art. cit.*, 48.

[126]) En tenor praescripti Statutorum: «Si quis vero, tertio vel ulterius apostasiae crimen incurrerit & salutari poenitentiae sui facti compunctus, rursum admitti petierit, admittatur quidem, sed ad 40 dies sine aliqua relaxatione praedictae poenae subiaceat, ac insuper sit omnium ultimus, tot tempore vitae suae.» Legendus est hic numerus conferendo cum numero 4: «... ut ad omnes Horas [divini officii] diei ac noctis, Conventu transeunte, ante chorum toto corpore prostratus iaceat.»

[127]) Vide relationem ab ipso procuratore generali Nicolao Meyers exaratam arduae illius erectionis statuae Sancti Norberti in basilica Vaticana in AAT, *Coll. Rom.*, reg. 17, fol. 161 r°-164 r° et computum contributionum circariarum, praeter gallicarum, *ibidem*, fol. 41 r°-43 v°.

E sessione duodecima die 10. Maii hora aa matutina.

[59] Retulit abbas Averbodiensis[128]) commissam sibi Illustrissimi D. Episcopi Ptolemaidis dissertationem de episcopis titularibus, cujus audita lectione, Capitulum eam approbavit, cum hac restrictione, quod in tribus locis ab authore emendaretur, juxta commissariorum mentem et judicium.

[60] Deinde statuit Capitulum ut quando erunt sex sacerdotes liberi in uno monasterio, ad missam de B.V.M. obligabuntur. Item ubi erunt sex religiosi missa et vesperae debebunt cum cantu persolvi.

[61] Item renovatum est decretum ultimi Capituli generalis, quo sessione quarta[129]) statuitur ut a festo Omnium Sanctorum usque ad Pascha in omnibus Galliae monasteriis, canonici nostri Ordinis uti debeant rochetis sub cappis laneis et longis caputiis; a Paschate autem usque ad festum Omnium Sanctorum superpelliceis et almutiis sub divinis officiis Primam immediate sequentibus, sicut et biretis quadratis, quibus utuntur sacerdotes etiam antiqui rigoris, tam in domo quam in ecclesia. Statuit etiam Capitulum omnes stric - 33 - tioris observantiae professos pileolos nigros gerere debere[130]).

[62] Item Capitulum tallias Ordinis hactenus debitas archicoenobio Praemonstratensi concessit.

[63] Deinde a Revmo D. Generali nominati sunt:

IN VICARIOS GENERALES

Franciae et Ordinis R.D. abbas Clari Fontis.
Floreffiae et Flandriae R.D. abbas Bonae Spei.
Pontivi R.D. abbas Dommartinensis.
Brabantiae R.D. abbas Tongerloensis[131]).

[128]) Simon Braunman, abbas Averbodiensis et quondam per ultra 23 annos praeses Collegii Praemonstratensis Lovanii, Capitulo generali sedente, perscrutari debuit positiones controversas episcopis gallis forsan minus gratas quas episcopus i.p.i. C.L. Hugo ad tuenda propria iura defenderat in tractatulo: *De episcopis titularibus* cuius tenor asservatur in ms. Nancy, Bib. Mun., n. 997 (1772), 734-765.

[129]) Acta Cap. gen. V, 1717, n. 20.

[130]) Animadvertit abbas Van Eeckhout huiusmodi decretum latum fuisse eo quod Generali displicuit morem doctorum et quorundam abbatum laurea doctorali non auctorum antiquum rigorem profitentium, gerendi pileolos purpureos vel albos deauratos, dum minime invexit contra Germanos doctores qui itidem pileolos purpureos holosericos gestabant. Cfr. J.B. VALVEKENS, *art. cit.*, 50-51.

[131]) Joseph Vander Achter abbatialem sedem Tongerloensem die 27 aprilis 1724 adivit ac iam 8 iunii 1724, loco praedecessoris sui Gregorii Piera, ab abbate generali Lucas vicarius generalis pro circariis Brabantica et Frisiae constitutus fuit, quod munus die 14 augusti 1724 aggressus est.

Wasconiae R.D. abbas Sancti Joannis de Castella.
Westphaliae et Wadegotiae R.D. abbas Steinfeldensis.
Bohemiae, Moraviae et Silesiae R.D. abbas Strahoviensis.
Suevae R.D. abbas Roggenburgensis.
Hungariae R.D. abbas Lucensis.
Bavariae R.D. abbas Neocellensis[132]).
Burgundiae et Campaniae R.D. abbas Corneolensis.
Poloniae R.D. abbas Sandecensis[133]).

IN VISITATORES SEU CIRCATORES
a Capitulo generali deputatos

Pontivi R.D. abbas sancti Augustini. - 34 -
Brabantiae R.D. abbas Parcensis.
Westphaliae R.D. abbas Ilbenstadiensis.
Bohemiae, Moraviae et Silesiae R.D. abbas Lucensis.
Poloniae R.D. praepositus Strzelnensis[134]).
In procuratorem generalem in curia Romana R.P. praeses Collegii Romani.
In Syndicum et procuratorem generalem in urbe Parisiensi R.P. de Vinay.

[64] His ita ordinatis et definitis, lecta et publicata fuerunt Acta et Decreta ejusdem Capituli generalis coram toto assistente coetu et data a Rmo D. Generali solemni benedictione cum stola et pedo, terminatum est Capitulum generale die decima Maii anni 1738 et signatum a praefato Rmo D. Generali Capituli praeside et a coeteris RR.DD. definitoribus.

Haec extracta concordant cum Autographo. Sic testor F. De Vinai, Doctor Sorbonicus et Capituli generalis secretarius.

[132]) Jacobus Lacopius Gruber annis 1721-1740 canoniam Neocellensis (= Neustift) prope Freising, Bavaria Superior, rexit. BACKMUND, I², 12.

[133]) Chrysostomus de Staszewski annis 1729-1742 canoniam Sandecensis (= Nowy Sacz), in montibus ab austro Cracoviae, Polonia. BACKMUND, I², 418.

[134]) Joseph Norbertus Luczycki annis 1736-1770 praepositus infulatus erat canoniae sororum de Strzelno circariae Poloniae. BACKMUND, I², 422.

Acta Capitulorum generalium Ordinis Praemonstratensis

INDEX NOMINUM ET RERUM

tomi V

Ad paginas remittimus non ad numeros decretorum.
Materia in capitulis generalibus tractata crassioribus typis notatur.
Personarum nomina romanis typis excudiuntur demptis praepositionibus casum genitivum vernacule exprimentibus uti *de, du, des, le, van, von, Vanden, Vander* et similia quae post substantivum inseruntur quin elenchi ordinem afficiant. Nomina domuum tam virorum quam mulierum ordinis Praemonstratensis italicis typis reproducuntur. Ubi necesse fuerit ad vitandam confusionem nomen vernaculum adiicitur. Numeri inter uncinos annum indicant quo capitulum generale celebratum fuit.

ABBREVIATIONES:

ab. : abbas
ab.gen. : abbas generalis
archiep. : archiepiscopus
can. : canonicus
cap.gen. : capitulum generale
con. : conversus (conversa)
dep. : deputatus
ep. : episcopus
n. : novitius
p. : prior
par. : parochus
pp. : praepositus
praem. : praemonstratensis
proc. : procurator
prof. : professus
prov. : provisor
s.o. : strictioris observantiae sodalis
sor. : soror
sup. : superior
supp. : supprior
v. : vide
vic.gen. : vicarius generalis

Abbas: praeses electionis 31, 233; electi confirmatio, 51, 239; vox in cap.gen. 119, 120; coadiutoria cum futura successione 151; pontificalia 165; benedictio 222; depositio 28, 238; rationem reddant administrationis coram conventu 46, 239; deambulationes abbatum de licentia vic.gen. 277; electio abbatum in circaria Lotharingica 304; translatio 360
Abbas generalis: 245, 249, 265, 304; appellatio 310; recursus 46; ius praeventionis in abbatiis commendatis 361; paternitas ecclesiae Rengisvallis 362; suffragia pro ab.gen. defuncto 362; obedientia promittenda ab.gen. ab omnibus Ordinis sodalibus 45; v. Despruets, Joannes; Longpré, Franciscus de; Gosset, Petrus; Scellier, Augustinus le; Colbert, Michaël; Lucas de Muin, Claudius.
Abbas-pater: recognitio superioritatis, 32, 239; administratio ecclesiae filialis vacantis 22, 180; non habet vocem in electione

abbatis filii, 31, 239; abbatia vacante recurrendum est ad patrem abbatem, salvo iure ab.gen. 307-308; paternitas sequitur monasterium principale cui aliud annectitur 233, 361

Abbatia: praecedentia iuxta accessum ad ordinem praem.165, 241: abbatia vacante recursus pro superiore instituendo 307-308

Abbatia commendata: priorum claustralium institutio et destitutio 296; formula institutionis 306-307, 324; priores claustrales non habent iurisdictionem ordinariam 210, 275, 297, 305-306, 324; iurisdictio ab.gen. 296, 307; priores assumuntur in definitores capituli gen. 19, 21-22, 236-237, 256, 264; habent vocem decisivam in capitulo gen. 263; Breve Alexandri VII, *Exponi nobis* 1664, 19 dec. 264; clausura 273; deambulationes de licentia vic.gen. 277; appellatio priorum destitutorum ad cap.gen. 295, 296

Abstinentia a carnibus, 37, 258, 308

Achter, Joseph Vander, ab.Tongerloensis, 8, 348, 372

Adami praemonstratensis *Sermones* 282

Adelberg, 33, 130,; ab.v.Wernher, Ludovicus; Schönhainz, Georgius.

Aedificia sumptuosa ne erigantur absque licentia patris-abbatis 59

Alba curia (Abbecourt), 58, ab. v. Soppite, Ludovicus; Penillon, Joannes; Regnier, Carolus 357

Albrecht, Dionysius, s.o., sup. S.Othiliae 355

Almutia 36, 55

Amour, Isidorus, s.o. ab. Cuissiacensis, 10, 15, 16, 17, 18, 44, 46, 56, 69,79, 87, 88, 102, 104, 122, 186, 191, 199, 200, 209, 212, 228, 249,252, 256, 290-291, 338, 345

Andegavum 64

Aneline, Simon, par.de Cortery 111, 160

Angelica porta (Engelport), 221

Anna, archiducissa Austriae, 97

Annulum, 133

Antiphonale v. **Liturgia**

Archivum v. **Praemonstratum**

Ardena (Ardenne), 284

Arnsberg v. *Wedinghausen*

Articuli Reformationis Mussipontanae 124-126, 166, 167-169; Annotationes in Articulos reformationis 169

Arzet, Augustinus, ab. Soretanus 11, 15, 16, 17, 31, 32, 35, 68, 102, 105,115, 120, 130, 142, 145, 154, 160, 183, 186, 246

Assels, Henricus, pp. Vallis S.Catharinae de Oosterhout, 217, 280

Aubert, Nicolaus, ab. Belliloci, proc. in curia Parisiensi 13, 18, 53, 184,247, 166, 288, 290

Aubertin, Antonius, p. Cuissiacensis s.o., 176

Auchy, Ferdinandus d', ab. S.Augustini 321

Audry, Nicolaus, p. S.Andreae Claromontensis 354

Aved, Norbertus, can. Capellae, 63

Averbodium (Averbode), 318 v. abbates: Vaes, Servatius; Braunmann, Simon

Babeur, Philippus, ab. Dommartinensis 10, 15, 17, 20, 43, 56, 61, 62, 65,67, 78, 86, 87, 88, 94, 99, 102, 105, 115, 120, 121, 131, 140-141, 156, 159, 184, 186, 189, 199, 200, 207, 209, 246, 247, 249, 250, 274, 284, 288, 299, 307, 313, 344

Backx, Ignatius, ab.tit. Belli Campi, proc. gen. Romae, 319, 320, 353

Badot, Gullielmus, can. Floreffiensis 65, 243

Bail, Marianus, s.o.,in Bella Valle 227

Bals, Albertus, ab. Heylissemensis 202, 206, 207, 249, 262

Bandhauer, Zacharias, pp. Chotěžov, 36

Barba, singulis octiduis tondatur 329

Barbaran, Ludovicus, can. S.Martini Laudunensis 17

Barbarant, Gerardus, p. Gaudii Vallis, 13

Bassifons (Bassefontaine) 182, 243, 246, 289

Bavariae circaria v. circaria Bavariae

Bayen, Remigius, s.o., par. la Romagne, 228-229

Bayern, Maximilianus Henricus von, arch. Coloniensis, 37, 65, 148, 218
Beauchou, Andreas, prov. Heilissemensis 356
Beelen, Reginaldus, ab. S.Nicolai Furnensis 352
Beenen (Bunen), Albertus, prof. Bonae Spei 205
Bel, Nicolaus Le, supp. Ressonii, 13, 60
Bella Vallis (Belval), s.o., 59, 227
Bella Vallis Nivernensis (Bellevaux) 315
Bellecocq, Alexius, p. Dei-Loci-in-Jardo, 115, 204, 207
Bellelagium (Bellelay), 32, 33, 56, 129,161, 182, 227, 244, 246; ab.v. Cuénat, Joannes, Petrus; Voirol, Joannes, Georgius.
Bellus Locus (Beaulieu) 93, 182, 246, 290; ab. v. Lebrun, Petrus; Lebrun, Franciscus; Aubert, Nicolaus; Hardy, Antonius; Couroy, du, Henricus; Mathon, Joannes, Christophorus; Leblanc, Carolus.
Bellus Portus (Beauport), 67, 160, confraternitas sub scapulari candido 303
Bellus Reditus (Beaurepart), 160, 244, 316, 319, 361; ab.v. Jamart, Antonius; Defraine, Ambrosius; Burnenville, Norbertus.
Benedicta Vallis (Benoitevaux), 330
Benedictus XIII, 363
Beneficium, curatum, iuramentum 133-134, 213, 240, 311; licentia superiorum 277, 311; curatus redeat ad monasterium professionis suae 135; simplex, proventus 259
Berchet,..., can. Capellae ad Plancas, 14
Berna (Berne), vitae communis instauratio 278-279, 323
Beselich, recuperatio 38
Bevière, Petrus, Bonaventura, proc.gen.in Castello Parisiensi (Le Châtelet) 328
Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis auctore J. Le Paige, revisio imponitur 178-179
Bifaux (Biphos), Joannes, p.Urdaci in Gasconia
Bilcocq v. Bellecocq, Alexius,
Billecocq, Joannes, par. Genliaci 287
Binet, Stephanus, p. Stellae (L'Étoile) 110
Bischof, Godefridus, ab.Cellae superioris (Oberzell) 41
Biseaux, Fredericus de, ab. Corneoli, 253
Bist, Matthaeus Vander, pp. Horti Conclusi Herentalensis 137
Blanchelanda (Blanchelande), 244, visitator 315, 334
Blanpain, Johannes, s.o., 317, 358
Boimans, Maria, conv. Heinsbergensis 72
Boleslawiec, 61, 179, 180
Bona Spes (Bonne Espérance), 159, 160, 163, 189, 249, 313 abbates v., Felleries, Augustinus, de; Maghe, Engelbertus; Petit, Hieronymus.
Bondu, Hieronymus, ab. Viconiensis 353
Bonenmayer, Augustinus, ab. Steingaden 35, 36, 67, 121
Bonifagium (Bonfays), ab. v. Périn, Joannes Damascenus; Mouron, Godefridus; Varnier, Antonius.
Bonvalet, Quintinus, can. Praemonstrati, 211
Boquen, Remigius, s.o., 260
Bourbon, Domina de, superiorissa prioratus benedictinarum de Braisne-sur-Vesle, 248.
Brana v. S. Evodius Branensis
Bratitz, Norbertus, ab. S.Vincentii Bratislaviensis 35, 63
Braunmann, Simon, ab. Averbodiensis 353, 372
Bresine, Jacobus de, can. Lucernae/Perrodii Novi 171, 172
Breuvaert, Thomas, ab. Dommartinensis 351, 357, 372
Breve: *In supremo apostolatus solio*, 309
Breviarium Praemonstratense v. **Liturgia**
Briele, Antonius, can. Minoraugiensis, 130
Brixinensis ep. concordia cum vic.gen. Bavariae 35, 46-47,concordia cum abbatia Wiltinensi 47-49
Brochet (Broizet), Franciscus, supp. Bellosannae, 13, 118
Broeck, Isfridus, Van den, ab. Postellensis 351

Brulé, P., p. collegii Parisiensis 322
Bruyère, Henricus, Joseph, de la, abbas Corneoli 351, 357, 373
Buchau, v. Montfort
Bucilly, 160, 165; ab. v. Sauvage, Edmundus; Humbert, Franciscus; Nitard, Joseph.
Bullae: *Devotionis vestrae precibus*, 1295, 1a augusti, 281; *Militantis ecclesiae regimen*, 1652, 29 novembris 309.
Burnenville, Norbertus, ab. Belli Reditus 356
Butor, Dominicus, p. Lisquensis 113, 184
Buyrette, Franciscus, can.Praem., 115, 251, 253, 269, 286, 290

Caesemaecker, Petrus de, ab. Trunchiniensis 352
Caillieu, Claudius, p. Carthovorensis, 13, 112
Caillieu, Norbertus, p. Praemonstrati, p. Parisiensis 68, 99, 108, 115, 120,143, 145, 169, 170, 176, 183, 184, 187, 189, 199, 251
Camerae Fons (Chambre-Fontaine), delictum 64; 160
Camp, Hugo du, ab. S.Augustini 201, 206, 207, 249
Campania (Champagne), 217
Canneron (Ganneron), Martinus, p. Camerae-Fontis, 110
Cantus v. **Liturgia**
Capella-ad-Plancas (Chapelle-aux-Planches), 93, 182, 289, 315
Capella iuxta Tolosas, 62, 174, 179
Capitulum canoniae 260, 274, 275
Capitulum generale: (**1657**) absentes uti contumaces habentur, 19; oboedientia capitulo praestita, 15; sermo inauguralis 14; acta et definitiones 8-102; acta et decreta capituli generalis integre publicentur 101; expensae deputatorum circariae Bavaricae 65; secretarius: Gregorius du Crocq, 9, 12, 17, 22, 49, 86, 102;
(**1660**) indictio 99; sermo inauguralis 113; acta et definitiones 103-199; expensae deputatorum refundendae 175; secretarius: Gregorius du Crocq: 115, 159, 184, 186, 189, 199, 200, 207, 209, 246, 247, 249, 250, 274, 284; deputatio communitatis antiqui rigoris 116; definitores quinam 116-117, praecedentia 118-131;
(**1663**) indictio 184; sermo inauguralis 206; acta et definitiones 200-250; secretarius: Philippus Babeur 207; notarii: Epiphanius Louys et Hugo Gallien 207; portarii et circator 207; decreta capitulorum generalium praecedentium excerpuntur 207 et corroborantur ac promulgantur 236; vox deliberativa pro omnibus abbatibus et praelatis 236; pro emergentibus deputantur ab.gen. ac abb. Cuissiacensis, Bonae Spei, Dommartinensis et Vallis Serenae 239, 245; praecedentia abbatum 241; materia pro cap. gen. tempestive significanda 242; desideratur promulgatio actorum cap.gen. sub terminis formalibus 252, 259;
(**1666**) indictio 248; acta et definitiones 251-266; secretarius: Franciscus Buyrette 251, 253; elenchus patrum capitularium 252-254; quaestio de praeside huius cap. gen.254-255; religiosi Brabantini expostulant sibi dari acta cap.gen. sub terminis formalibus 258; priores abbatiarum commendatarum habeant vocem in cap.gen. non minus quam abbates definitores 263-264; Michaël Colbert constituitur vicarius generalis ordinis 265; vicarii abbatis generalis 265; circatores cap; gen. 266;
(**1670**) indictio 267-269; secretarius: Philippus Babeur; acta et definitiones 269-291; decreta cap.gen. praecedentis corroborantur 270; nominatio ab.gen. Colbert crisi subiicitur sicut et visitatio archicoenobii anni 1668 270-271; cap.gen. non ultra quattuor dies protrahi licet 312; appellatio 312-313; indictio cap.gen. anno 1673 celebraturum 290;
(**1686**) secretarius: Franciscus Buyrette; acta et definitiones 292-316; vicarii gen. 313-314; circatores cap.gen. 314-315; indici-

tur proximum cap.gen. ad annum 1689 316; recursus cap.gen. ad regem Galliae ut causa fr. Hugonis Gallien contra ab.gen.Colbert ad suum tribunal advocet et cap.gen. audiendam relinquat 293-295; cap.gen. competens declaratur ad audiendas omnes querelas sodalium ordinis 296; definitores cap.gen. non eliguntur sed constituuntur ab ab.gen. de consilio trium proto-abbatum vel seniorum 297;
(**1717**) Prohibetur accessus ad cap.gen. praelatis sub dominatione Imperii existentibus 317-319; acta et definitiones 320-346; secretarius: F. Reynal 334; indicitur sequens cap.gen. pro anno 1720, 334; vicarii 333; circatores cap.gen. 333-334;
(**1738**) indictio 347-348; secretarius: Petrus Antonius Parchappe de Vinay 349, 373; praesentes: 349-356; definitores: 357; acta et definitiones 349-373; vicarii gen. 372-373; circatores cap. 373.

Capitulum nationale Galliae, celebratio exoptata 281-282

Capitulum provinciale, approbatio actuum, 28; definitores 240; priores claustrales convocandi 240; singulis trienniis celebrandum 323; circariae Bohemiae et vicinarum provinciarum 1659 Plagae 104, 180, 262; approbatio actuum 1680-1733 360; Vallis Serenae 1656, 123; Virduni 1658, 124

Cappenberg, reformatio 37, 149, 154, 224

Cappon, patronus ordinis praem.in Parlamento Parisiensi et Magno Consilio328

Caracena, Don Luis de, gubernator hispanicus Flandriae 242

Carceres habeantur in singulis circariis 326

Carette, Petrus, p. Gaudii Vallis, proc.gen. Romae, 13, 67, 129, 483, 184,266, 287

Carpegna (Carpineus), Udalricus, card. protector ordinis, 33, 55, 93, 96,130, 224

Cartovorum (Chartreuve), 138, 160 v. p. Caillieu, Claudius

Casa-Dei (La Case-Dieu), 62, 63, 174, 175

Castellum Mauritaniae (Châteaudieu, Château-lès-Mortagne), subsidium 147; ab. v. Wéry, Basilius; l'Espierre, de, Basilius.

Casus reservati, absolutio 138, 240, 275

Cauroy, Henricus du, ab. Belli-Loci 315

Cavae, Benedictus, can. Lisquensis 356

Cayet, Robertus, p. S.Justi 203

Cella inferior (Unterzell), visitatio 53, 222

Cella Omnium Sanctorum (Allerheiligen) 39, 66, 68; ab. v. Schlecht, Anastasius.

Cella superior (Oberzell), visitatio 41, 53; ab. v. Bischof, Godefridus.

Cellae religiosorum, 212

Chambellain, Joseph, Augustinus, p. Capella ad Plancas 355

Champagne, Philippus, can. Ninoviensis, 111

Champendu, Joannes, conv. S.Mariae majoris Mussipontanae 168

Champigny, Petrus de, p. Hermeriarum 355

Channe (Chant), Gerardus, p. Loci Restaurati, 13, 110, 115,

Chantemesse, Martin, can. Praemonstrati 294

Chipart, Maugin, conv. S.Mariae Majoris Mussipontanae 168

Chomel, Ludovicus, Joseph, 354

Chorus: quot praesentes in summa missa et horis 259

Chotěžov, pp. non habet vocem activam in mon. Teplensi 36; pp. v. Bandhauer, Zacharias.

Churwalden, 27

Circaria

Alverniae (Arverniae, Averniae) 66, 68, 183, 244, 246, 247, 313-314,315

Angliae, Scotiae et Hiberniae 67, 183, 246

Bavariae, 20, 25, 26, 31, 67, 68, 121, 154, 164, 183, 209, 224, 227,244, 246, 247, 312, 314, 333, 360, 373

Bohemiae, Moraviae, Hungariae, Daniae, Norwegiae et Saxoniae 67, 68,104, 117,

183, 209, 223, 230, 232, 244, 246, 251, 265, 312, 314, 333,360, 373
Brabantiae et Frisiae 66, 68, 182, 183, 225, 246, 265, 266, 313, 314,333, 359, 372, 373
Burgundiae et Campaniae 66, 68, 246, 313, 315, 327, 333, 373
Flandriae 66, 67, 182, 183, 245, 313, 314, 333, 372
Floreffiae 66, 67, 182, 183, 245, 246, 313, 314, 333, 359, 372
Franciae 20, 23, 66, 67, 183, 265, 266, 289, 313, 314, 333, 372
Gasconiae (Vasconiae, Wasconiae)) 67, 68,174, 175, 183, 234, 244, 246
Hispaniae 59, 67, 68, 118, 183, 235, 244, 246, 312, 313, 331-332, 333
Hungariae 314, 333, 373
Iveldiae 67, 68, 151, 182, 183, 201, 202, 222, 244, 246
Lotharingiae 68, 227, 244, 304
Normanniae 67, 68, 172, 183, 246, 247
Pictaviae et Britanniae 315
Poloniae 20, 25, 26, 27, 183, 312, 333, 334, 373
Pontivi 66, 68, 122, 154, 182, 183, 246, 313, 314, 330, 331, 333,372, 373
Sueviae 57, 67, 68, 154, 183, 209, 224, 225, 227, 244, 246, 247, 314,315, 333, 361, 363, 371
Tusciae, Siciliae, Calabriae, Cypri et terrae Jerosolimorum 67,183,246, 314
Westphaliae 67, 68, 150, 151, 182, 183, 201, 202, 222, 244, 246, 313,314, 331, 333, 373

Circaria: circariae regimen vacante ecclesia Praemonstratensi 22, 185, 237-238; 331; circariarum ablegati permanentes apud abbatem generalem, 22-23; circariae bursa communis 143-144.

Circator conventualis 238;

Circatores capituli generalis 184, 185, 237, 255, 256, 259, 269-270, 276,quinam: (1657) 67-68, (1660) 183-184, (1663) 246-247; (1666) 266;(1683) 314-315; (1717) 333-334; (1738) 373.

Clausura v. **Moniales**

Clairbois (Clerbois), Maternus, suppr. Grimbergensis, 110, 115,

Clarus Fons (Clairfontaine) 245, ab. v. Doucet de la Houssaye, Joannes; Roquevert, de, Augustinus, 351

Clarus Mons S. Andreas (Clermont S. André), 183

Clarholz, reformatio 37, 149, 221, ius paternitatis apud ab. Cappenbergensem 366

Coghen, Carolus, lector Parcensis, 109

Cohier, p. S.Justi 287

Colart, Nicolaus, can. Praem., par. in Genlis, 14

Colbert, Michaël, p. Praemonstrati., ab. gen. 5, 202, 205, 207, 246, 250, 251, 265, 267, 269, 271, 272, 281, 284, 290, 291, 292, 297, 302, 328, 338, 341, 345, 368.

Colendal, Engelbertus, ab. Saynensis, 318

Colignon, Sebastianus, can. Mussipontanus 168, 189, 199,

Collart, Claudius, Hyacinthus, ab. Regiae Vallis 350

Collegium Parisiense 123, 138, 284, 311, visitatio 315, 328; Sancti Norberti Coloniae 38; S.Norberti Romae, visitatio 59

Colonia (Köln), 292

Commandeur, Joannes, pp. Heinsbergensis 71

Communitas antiqui rigoris, 20, 25, monasteria in Normannia 53, 68, 95, 96, 124; secessio ab ordine, 129, 153; iustificatio erectionis, 155 -156, 157-159, 167-171, 188; praesentia abbatum et priorum in capitulo generali 156-157; et abbatia Corneolensi 175-176; circator capituli generalis 183, 247;Colloquium Bonae Spei 167,184,188-199, 229-230, 264; visitatio 227; parochi discoli 228, 182; recusat refundationem expensarum ab abbate David Ninoviensi factarum 365-366; delegatio visitationis a vic.gen.s.o. 369;recusatur partitito in tres provincias 370

Computus redditio 218

Concilium Flandriae, 216
Concio, tantum cum licentia superioris 58
Confessarii sororum non tantum e monasterio patris-abbatis assumantur, 29,238; e clero saeculari ne assumantur, 29, 238;
Confessio 138-139;
Consanguinei ingredientes eundem monasterium, 174, 224, 241
Consultor ordinis 310
Conventio pacis de Rástadt 1714 348
Convivia prohibentur 258
Corneolum (Corneux), circariae Sueviae adscribitur 33; visitator 129; 175, 176, 182, revocatio resignationis abbatis Lafosse 242; 246, 290, lis de titulo ab. Belli Campi 363; ab. v. Briseaux, Fredericus,de; Bruyère, Henricus Josephus, de; Laurent de Visemal, Gulielmus.
Corona capilliata, 174, 303
Cotelle, Edmundus, p. S.Mariani Altissiodorensis 355
Coursonnois, Dionysius le, ab. Lucernae 244
Courtewille, Godefridus de, ab. Furnensis 67, 105, 118
Couwerven, Norbertus van, ab. S.Michaëlis Antwerpiensis, 105, 114, 128, praecedentia, 131;
Creteil, Jacobus, socius ab. Vallis Serenae, 13
Creuterius, Joannes, p. Tremoniae 149
Crils, Hroznata, Jacobus, ab. Tongerloënsis 275, 279, 283, 313
Crockaert, Henricus, ab. Diligemensis 350, 363
Crocq, Gregorius du, can.Praem., 9, 12, 17, 22, 49, 86, 102, 112, 115,157, 159, 188, 243, 253, 254, 263, 270, 271, 272, 281, 287.
Crux pectoralis 133;
Csorna, 364
Cuénat, Johannes, ab. Bellelagiae, 57, 118, 245
Cuissy, s.o., 44, 47, 55, 146, 160, 163, 239, 249, 290; ab. v. Desbans, Petrus; Amour, Isidorus; Mouy de Riberpré, de, Gabriel; Dionys, Joseph; Martin, Carolus.
Cunin, Vincentius, s.o., p. Ressonii 189, 199, 254
Curwaldia (Churwalden), succurritur in egestate 161
Czarnowasy, 61

Dale, Paulus van, p. Grimbergensis, 109
Damars, Albertus, Hyacinthus, p. Septem Fontium in Bassiniaco 355
Dan, Philippus, n. Wadegotiae, 20
Dartevelle, Carolus, ab. Floreffiensis, 349, 356, 357, 358, 359,
Dautrey, Claudius, p. Praemonstrati 353, 358
David, Joannes, ab. Ninoviensis 94, 259
Dayart, Alexius, prof. Vallis Serenae 135
Definitores capituli generalis 93, 102, (1660) 114-115, (1663) 206-207,215,295, 296, 299, 357
Defossez, Milo, ab. Heylissemensis 356
Defraine, Ambrosius, ab. Belli Reditus 253, 256
Defunctorum vigiliae 139, 256, 367-368; suffragia 239, 278
Dei Locus (Dilo), 93, 160, 290
Dei Locus in Jardo (Dieu-Lieu-en-Jard), 157, 243, 334
Dei Villa (Divielle), 247
Delespierre, Basilius, ab. Castelli Mauritaniae, promotor cap.gen. 317, 350, 360
Delville, Judocus, p. S.Justi 355
Depert v. Pert Prochacq, de
Depruetis, Joannes, ab.gen. 337
Desarmoires, Petrus, conv. S. Mariae Majoris Mussipontanae 168
Desbans, Petrus,ab.Cuissiacensis s.o., 3, 168,
Desfontaines, Michael, suppr. Viconiensis 140,
Desprez, Augustinus 138;
Didelot, Sebastianus, prof. S. Mariae Majoris Mussipontanae 168,
Diederichs, Petrus, ab. Rommersdorf, 223
Diestemium (Diest), capitulum collegiale 279
Dilighem (Dielegem), ab. v. Crockaert, Henricus

Dillen, Johannes a, pp. Heinsbergensis, 12, 16, 43, 52, 70, 88, 92, 102,108,
Dimpfl, Christophorus, ab.Osterhoviensis 144
Dionys, Josephus, ab. Cuissiacensis 317, 320, 322, 331, 335
Disciplina conventus: praecedentia 55; preces pro defunctis 55; cellarum clausura 53
Diurnale Praemonstratense, impressio 35
Doa (Doue), ab. v. Genestet, Joannes, Ludovicus.
Doctores et licentiati theologiae, privilegia, 25; usus bireti violacei vel alterius coloris 54
Documenta restituantur monasteriis ad quae spectant 239
Doksany, pp. 36, 230, 261, abbatia 364
Dolé, Samson, can. Praemonstrati, p. Dei Loci, 64, 93, 94, 109
Domnimartini (Dommartin), 60, 61, 122, 143, 239, 290 v.ab. Babeur, Philippus; Brevaert, Thomas.
Doser, Franciscus, ab. Roggenburgensis 226
Doüar, Joannes, p. Vallis Christianae 354
Doucet de la Houssaye, Joannes, ab. Clari Fontis 11, 15, 245, 252
Doulcety, Joannes Baptista, p. Vallis Secretae 354
Droëssin, sor. Heinsbergensis 74
Drusius, Joannes, ab. Parcensis, visitatio circ. Hispaniae 59, 127,
Duboislambert, Josephus, p. Hermeriarum 203, 207
Ducamp v. Camp du
Duchat (Duchast), Claudius, ab.S.Pauli Senonensis 176
Ducrocq v. Crocq du
Duhamel, Antonius, ab.de Moncellis, 202, 206, 250
Dumesnil, Gilbertus, p.Septem Fontium in Thierascia, 287
Dunnwald, mon. sor. unitum Collegio S. Norberti in Colonia 38,39-41, 222
Dupré, Josephus, prof. Capellae 63
Dupuis (Du Puys), Ludovicus, p. Sancti Petri Selincurtensis, 13, 17, 60, 110
Dupuis de Cressonville, Henricus, ab. de Castello Vasconiae 321
Dureau, Ludovicus, p. Vallis Serenae 354
Dutot Joannes Baptista, p. Cartovorensis 354

Eberlin, Bartholomaeus, ab. Minoraugiensis, 130
Eeckhoudt, Van, Augustinus, ab. Grimbergensis, 317, 318, 350, 357, 361, 363, 364, 371, 372
Eiselin, Eusebius, rel. Minoraugiensis, 130
Electio canonica: tantum sodales in sacris ordinibus constituti, junioribus professis exclusis, habent vocem in electionibus praelatorum,alienatione bonorum et in vestitione et professione novitiorum 26, 282-283
Ellen, 74
Enzen (Henzen), Gerardus von, ab. Rommerdorpiensis 183
Estrées, Franciscus Annibal d', orator Regis Franciae, 96
Eustache, Ludovicus, p. Blanchalandae, 13
Even, Joannes Baptista, p. Dei Loci in Jardo, 13
Exemptio 363
Expensae communes pro toto Ordine factae refundendae abbatiis Parcensi et Ninivensi 129-130; 142; 152-154; 258-259; 365-366

Falco, Siardus, ab. Siloënsis 261
Fauchel v. Sanchez
Faure, Claudius, p. Branae, 13, 108, 139, 202, 207,
Felix, Nicolaus, ab. Sanctae Mariae Mussipontanae 350, 358, 363
Felleries, Augustinus de, ab. Bonae-Spei, 67, 105, 114, 120, 122, 140, 184,186, 189, 199, 200, 209, 230, 246, 249, 252, 288, 290-291
Fera, Ludovicus, secretarius ab. gen. Colbert, 294, 305
Ferdinandus, Carolus, archidux Austriae 97
Ferdinandus a Loen, pp. Hinsbergensis 309
Feron, 248

Fery (Ferry), Petrus, 168, 294, 315
Firmenich, Theodorus, ab. Steinfeldensis 274, 292, 297, 299, 310, 313
Firnaux, Carolus, p. Floreffiensis 202
Flaesheim (Haltern) 65,
Floreffia (Floreffe) 146, 160, 163, 249; ab. v. Severi, Carolus; Heest, de, Christophorus; Heest, de, Ignatius; Dartevelle, Carolus.
Fons calidus (Foncaude), ab. v. Salvan d'Hauterive, Stephanus.
Forceville, Thomas, p. Albae Curiae 13, 58, 171
Forestier, Lucas, p. Ressonii, 13, 60
Forget, Nicolaus, conv. S. Mariae Majoris Mussipontanae 168
Foro, Bonifacius a, p. Selincurtensis 203, 207
Fosse (Lafosse), Franciscus de la, ab. Corneoli 107, 127, 175, 176, 182,202, 242,
Fossez (Fossé), Guillielmus, ab. Sancti Foillani 351
Fossier,Joannes, can. Praemonstrati, 17, 112, 115, 135, 165, 282, 287, 294
Fouquet, Nicolaus, procurator generalis Parlamenti Parisiensis, 97
Four, Bernardus du, ab. Clari Fontis 308, 314, 320, 321, 322, 335
Fraisinne, Joannes, pp. S. Gerlaci Houthem, ab. Wesaliensis, ab. Knechtstedensis 98, 106, 148, 149-150, 172, 187
Fraiteur de (Freture), Joannes, p. Heylissemensis, 110, 204
France, Alexander de, ab. Vallis Dei 202, 206, 249
François, Nicolaus, ab. Janduriarum 350
Frank, Vincentius, Macarius, ab. Strahoviensis 126, 149, 176
Freisleben, Franciscus, can., ab. Plagensis, 14,17
Fresnoy, Carolus du, ab. Jovillariensis 244, 253,
Fromage, Antonius, p. Sancti Martini Laudunensis 302
Fuchs (Fux), Michaël, ab. Windbergensis, 10, 15, 17, 65, 102
Fugitivus, absolutio 371
Furnum (Veurne), 120; controversia cum abbatia Grimbergensi de antiquitate monasterii 146; 147, 160, 201, 218, ab. v. Beelen, Reginaldus; Courtewille, Godefridus, de.

Galen, Christophorus, Bernardus, von, ep. Monasteriensis 37
Gallien, Hugo, can. Praemonstrati, 207, 250, 288, 293-294, 296, 300, 302,308-309
Gallot, Petrus, p. Thenoliensis 110, 118
Gannerot, Martinus, p. Camerae Fontis 13
Gaudii Vallis (Joyenval), 160
Geilrath, Petrus, administrator apostolicus et coadjutor Knechtstedensis,253
Geisler, Casparus, ab. Roggenburgensis 353, 357, 361, 371, 373,
Genestet, Joannes, Ludovicus, ab. Doae 352
Gerardus, prof. S. Mariae Majoris Mussipontanae 168
Gerardus, supp. Albae Curiae 171
Gerardus, Stephanus, prof. S. Mariae Majoris Mussipontanae 168
Geras, 232, 261, 263; ab. v. Westhaus, Joannes.
Gerlachsheim (Gerlaseim), recuperatio 41, 151, 223,
Germania 18-19,
Godart, Antonius, p. Sancti Andreae in Nemore 204
Gombervaux, Joannes, ab. Salinae Vallis, 85
Gorcomienses martyres: canonizatio 150, 214
Gosset, Adrianus, p. Praemonstrati 3, 12, 17, 18, 67, 88, 102, 115
Gosset, Petrus, ab.gen., 3, 35, 86, 94, 125, 155, 166, 167, 169, 345,
Gradicium (Hradisko) 261, 262, 360; ab. v. Schinalius, Fredericus; Olšansky, Thomas;
Graduale v. **Liturgia**
Grandis Campus (Grandchamp), visitatio 141, diruta aedificia 217, 244

Grangiarii Gasconiae, 174
Gregorius XV, 86, 166,
Grelle, Josephus, p. Lucernae, 13, 68,
Gretsch, Philippus, ab. Wadegotiae 11, 102, 105, 152, 182, 187,
Greysing, Martinus, ab. Plagensis, 29, 164, 232
Griffen, paternitas abbatis Steingadensis 34, 164, visitatio 328, paternitas ab. Lucensis confirmatur 360
Grimbergia (Grimbergen) altercatio cum ab. Urspergensi 145, 162-164; controversia de praecedentia contra Furnense monasterium 147, 160; 217-218; paternitas in ecclesia de Tusschenbeek 364; ab. Fernandez de Velasco, Carolus; Eeckhout, van, Augustinus.
Grisard, Ludovicus, p. collegii Parisiensis 353
Gruber, Jacobus Lacopius, ab. Neocellensis 373
Guerni, Dominicus, n. Capellae iuxta Tolosam, 179
Guibert, Nicolaus, vic.gen.s.o. 53
Guillard, Augustinus, s.o., p.Ardenae, vic. gen.,24, 25, 58, 85, 86, 124,165
Guillielmus, ab.gen. 341
Guinet, Nicolas, s.o. ab. S. Mariae Mussipontanae 10, 15, 16, 39, 52, 58, 60,86, 87, 95, 102, 115, 116, 124, 153, 154, 155, 156, 157, 166, 167, 170, 171, 180, 187, 199, 200, 207, 215, 227, 228, 230, 249, 252, 261, 282, 285, 299, 314
Gulica (Jülich), Adolphus a, ab. Sayn, 201, 206, 207, 208, 209, 221, 223,236, 246, 249, 254, 262, 274

Habert, Nicolaus, ab. Rengivallis 351
Habitus ordinis: uniformitas 259, 303, 326 collaria lanea, 24, 25, biretum36, palliae oblongae 54, pileoli et biretum albi coloris 65, nigri coloris 372, habitus in Gasconia 74, almutia 258, 325 superpelliceum 258, 278, 325, cappa lanea 258, 278, calcei ex corio non tincto 276, pluviale 278, manicae togarum 303, pilei 303, chlamys 303, rocheta sub cappis laneis et longis caputiis 325, 372
Hagenau, ius paternitatis 66
Haghen, Ferdinandus Vander, ab. Ninoviensis, 95
Ham, Richardus, corrigendus 42-43
Hamborn, reformatio 37, 149
Hannivel de Mainevillette, Claudius d', ab. Vallis Serenae 299, 308, 313,314
Hanum, Bernardus, rel. S.Augustini Morinorum 205
Hardy (Hardius), Antonius, p. Gaudii Vallis, 17, 109, 113, 203, 287
Hardy, Claudius, p. S. Martini Laudunensis 354
Harff, Irmengardis, sor. Heinsbergensis, 74
Harrach, card. Ernestus von, archiep. Pragensis, 9
Haze, Godefridus de, cellarius Postulanus, 111
Hedouville, Remigius de, p. Viromandensis 354
Heest, Ignatius de, ab. Floreffiensis 301,
Heest, Christophorus de, lector, postea ab. Floreffiensis, 110, 138, 301
Helye (Elye), Ludovicus, ab. Marchasii Radulphi 253
Herentals v. *Hortus conclusus*
Hermann, Marianus, ab. Montis Sion Pragae (Strahoviensis) 318, 350, 356, 357, 359, 370, 373
Hermannus-Joseph, can. Steinfeldensis, processus canonizationis 361
Hernia, impedimentum vestitionis
Heylissem, 160 ab. v. Raulets, Joannes; Bals, Lambertus; Defossez, Milo.
Heinsberg, 42, 52, 56, 68-69, 160, 173, 236 pp. v. Dillen, Joannes; Commandeur, Joannes; Ferdinandus a Loen.
Hilst, Walterus van, supp. Tongerloënsis 137
Himselrath, Michaël, can. Steinfeldensis, conf.in Heinsbergen, p.in Ellen56, 75, 90-91
Höchenrieder, Matheus, ab. Urspergensis 145, 162-164, 224

Hoeswinckel, Philippus Van, par.in Duffel, dep. Tongerloënsis 204
Homann, Hyacinthus, ab. Montis Sion Pragensis, 314
Horrichem, Norbertus, ab. Steinfeldensis, ius paternitatis 31; 37, 67, 127,
Hortus conclusus (Besloten Hof), 220, 283, pp. v. Bist, Vander, Matthaeus.
Houthem S. Gerlacus v. *S. Gerlacus Houthem*
Huchon, 248
Hugo, Carolus Ludovicus, ab.tit. Fontis Andreae, 317, historiographus ordinis constituitur 324; 349; adversatur a J. Blanpain 358; 363;
Hugo Fossensis, B., 186,
Hullegarde, P. de, minorita, procurator in causa canonizationis martyrum 303
Humbert, Franciscus, ab. Bucilliensis 318
Humblot, Norbertus, prior collegii Parisiensis 294
Hungariae circaria, 25, 26, 27,
Huygens, Anna Norberta, priorissa Horti conclusi de Herentals 220
Huyn et Geleen, Arnoldus, Wolfgangus comes de, 98
Huyn et Geleen, Godefridus comes de, 98
Hungariae circaria, 25, 26, 27,

Ilbenstadt superior (Oberilbenstadt), 39, 53, 222, 365, ab. v. Laurentii, Georgius; Münch, Jacobus.
Ilbenstadt inferior (Niederilbenstadt), 222
Incarcerati, 229
Infirmi, 276
Innocentius X, papa, 5
Insula-Dei (Isle-Dieu), incorporatur circariae Pontivi 66, visitatio 217,
Iuniores professi non habent vocem in electionibus, 26

Jamart, Antonius, ab. Belli Reditus Leodiensis, 107, 114, 187, 224
Janduriae (Jandeures), 141; ab. v. François, Nicolaus.
Jansen, Leonardus, ab. Knechtstedensis, 321, 352,
Janssen, Aegidius, ab. Postulanus, 107, 114, 244
Jardin, Petrus du, p. Castri Mauretaniae, 110
Jarry, Petrus, prof. Perrodii Novi, 173
Jejunium 142, 171
Jonchere, Julius de la, p. S.Petri Selincurtensis 355
Jonnart, Ladislaus, ep. S.Audomari, 62
Joseph Dionys, ab. Cuissiacensis, contra vicariatum generalem ordinis 335-346; 372
Jovillaris (Jovilliers), 182, 217, 246, 289; ab. v. Fresnoy, Carolus, du; Sauvage, Edmundus.
Juge, Nicolaus le, proc. ordinis Parisiis, confirmatio electionis in cap. nationali gallico anno 1707 Parisiis celebrato, 328,
Julien, Siardus, ab. Sancti Foillani 201, 206, 207, 209, 249,
Jussy, Jacobus, Petrus, ab. Justimontis 351
Justus Mons (Justemont), ab. v. Regnault, Servatius; Jussy, Jacobus, Petrus.

Kaer (Cahier), Benedictus, can. Strahoviensis 66
Kaiser, Wilhelmus, can. Minoraugiensis, 130, 224
Keizersbosch, v. pp. Puteanus, Martinus.
Kempen, Thomas, can. Grimbergensis 205
Kempens, Arnoldus, typographus 56
Kerckhove, Vanden, Norbertus, ab. Trunchiniensis 201, 206, 207, 216, 249,
Kistner, Godefridus, supp. Cellae Omnium Sanctorum, 14
Knechtsteden, ab. v. Teveren, Leonardus; Fraisinne, Joannes.
Kneer, Conradus, ab. Marchtalensis, 32
Koch, Henricus, pp. Wedinghausen 41, 50, 68
Königsegg-Aulendorff, Joannes Guillielmus comes de, 97
Krusin (Krosin) Antonius, ep. Brixinensis 35, 46
Krysanowice, 26,
Küll, Michaël, ab. Steinfeldensis 318

Labbe, Christophorus, ab. Viconiensis 113, 140
Lafaux (La Faux, de la Faux), Antonius, p. Perrodii-Novi, 108, 115, 154,171, 173, 246
Lafosse v. Fosse
Lagache, Augustinus, ab. S.Andreae in Nemore, 353
Lairuelz, Servatius, s.o., 4,
Lamy, Petrus, dominus de Ponceau 64
Langwaden, pp. v. Meldert, van, Andreas.
Lapostole, Antoine, prof. S.Mariae Majoris Mussipontanae 168
Laudes vespertinae in circ. Brabantiae et Wadegotiae 141, 181,
Laurent de Visemal, Gulielmus, ab. Corneoli, 298, 299, 300, 308, 313
Laurentii, Georgius, pp., ab.Ilbenstadensis 39
Laurissa (Lorsch), recuperatio 41, 151-152, 223
Lavaldieu v. *Vallis Dei*
Lavelle, Franciscus de, ab.S.Joannis de Castella 352, 373
Leblanc, Carolus, ab. Belli Loci 3356
Lebon, thesaurarius regis Ludovici XIV, 248
Lebrun, Franciscus, ab. Belli Loci 62, 93, 249
Lebrun, Petrus, ab. Belli Loci 202
Lecomte de Montangan, Ludovicus, ab. Marchasii Radulphi 245
Lectores theologiae 28, 181, 241, 242, 361
Lédé (Le Dé), Nicolaus, ab. S.Andreae in Nemore 62, 66, 104, 114, 141, 143, 147, 163, 186, 244
Leeuw, Lambertus de, p. Tongerloensis 137;
Lefebvre, Petrus, ab. Leffiensis 299, 314
Leffe, 160, ab. v. Noizet, Perpetuus; Lefebvre, Petrus
Leghere, Martinus, lector Ninoviensis 205
Lelong Joannes, p. Loci Restaurati 203
Léonard, Fredericus, bibliopola Ordinis 211, 248, 274
Lepaige, Joannes, can. Praemonstrati 178
Lescellier v. Scellier, Le
Lespierre v. Espierre, Basilius de l';
Lesquière (Lesquier), Claude, p. S. Joannis Ambianensis 13, 18, 111, 138,
Lessot, Johannes, p. Vallis Christianae 13
Lestendart de Bully, Claudius, ab. Vallis Secretae 11, 15, 17, 87, 186,201, 249, 252, 263, 288
Lestique, Anna, 248
Leszynski, Adalbertus, archiep. Gnesniensis, 180
Leyen, Carolus, Caspar von der, ep. Trevirensis 37, 51
Lhermite, Philippus, ab. Montis Dei (Mondaye) o.s., 321
Lherogel, Franciscus Joseph, p. Thenoliensis 355
Librorum editio de consensu cap.gen. vel ab.gen. 324
Licht, Godefridus de, prof. S. Michaelis Antwerpiensis 282
Lieblein, Dominikus von, ab. Speinshartensi 370
Liegault, Basilius, p.S.Martini Laudunensis 12, 42, 51, 52, 85, 99, 100, 112, 125, 126, 129, 154, 202, 227, 254, 263
Lisques (Licques), 57, circariae Pontivi adscribitur 66, 122, 139, 160, 217, 330
Litaniae 5, 181, 256, 358,
Litterae orationis 207,
Litterae dimissoriales, 225, 327
Liturgia: **Ritus** praem. ubique uniformiter servanda, 35; **Cantus** figuratus prohibetur 28; uniformitas cantus gregoriani 277; revisio cantus (1660) 132; (1663) 211; (1670) 277; dispensatio cantus diebus studii 33; missa et vesperae in cantu persolvandae 372. **Missae** ordinis 34, 260, 372; rubricae missae 132; missae votivae 181, 242, 367; missa quotidiana fundata ex proventibus monasterii non obligat 140. **Editio librorum** liturgicorum ordinis 35, 99, 131-132, 211, 248, 273-274, 277, 281, 322, 332; Liber ordinarius reformandus 322; Liber ordinarius praelo committendus 366; dispensatio ab observatione Ordinarii et ab usu librorum liturgicorum ordinis 371; sequentiae ex

missali praem. expungendae (1660) 132; officia sanctorum praem. in breviario praem. inserenda 132. **Officium divinum** 99, matutinum media nocte persolvendum in Westphalia 151; in circaria Brabantica cantari debent omnes horae 258; psalmi poenitentiales 143; defunctorum vigiliae 143. **Sanctorum ordinis cultum** 142-143, 327. **Festum** annuntiationis B.M.V. 233; Septem dolorum B.M.V., festum 362 et Rosarii 367; solemnitas festorum Assumptionis, Dedicationis, Omnium Sanctorum et principalis festi patroni ecclesiae 240; Immaculatae Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis B.M.V. festa triplicis secundae classis 363; cultus B.M.V. 273; festorum gradus 278, 322; Natalitia Apostolorum et Evangelistarum, festa duplicia 367; festum S. Augustini, patris ordinis 264, festum conversionis 303; festum S. Evermodi 367, SS. Ewaldorum 29 S. Francisci Salesii 256, S. Frederici 132, 142, SS. Fundatorum ordinum 371, S. Gerlaci 132, 142, S. Gilberti 34, 39, 132, 142,367, S. Godefridi Cappenbergensis 132,142, S. Hermanni Joseph 132, 142, S. Isfridi 367, S. Leopoldi 367, S. Ludolphi 367, SS. Martyrum Gorcomiensium 303, S. Monicae 303, S. Norberti translatio reliquiarum 24, officium 361-362, SS. Petronillae et Pontiae 34, S. Petri Nolasci 256, S. Quirini 217, SS. Reliquiarum 241, 325, S. Siardi 132, 142.

Locus Restauratus (Lieu restauré), 55, 160,

Löhr (Loër), Dominicus, ab. Wiltinensis 11, 15, 16, 17, 24, 33, 46, 63

Loiseau, Henricus, ab. Sancti Foillani, 299

Loisel, Carolus, can. eccl. collegiatae S. Crucis Mussipontanus, 166, 167, 169

Loisel, Joannes, can. Dommartinensis, 211

Lompagieu, Johannes, de, ab. Sancti Johannis de Castella, 12, 16, 67, 102, 183, 235, 246

Longo Prato, Franciscus a (de Longpré), Franciscus, ab.gen. 133

Lopin, Joannes, prof. S. Mariae Majoris Mussipontanae 166, 168

Lorenchet, consultor ordinis 310-311

Lorris (Loris), Dioysius de, ab.Vallis Serenae, 10, 16, 56, 62, 68, 87, 92,99, 100, 101, 102, 105, 115, 118, 138, 145, 162, 163, 171, 173, 179,181, 182, 186, 199, 200, 207, 228, 243, 249, 252, 255

Lotharingia, Franciscus a, ep. Virdunensis, 97,

Louys (Louïs, Lowys), Epiphanius, s.o., p. Mussipontanus, ab.Stivagiensis 13, 24, 43, 52, 69,90-92, 202, 206, 207, 208, 209, 215, 230, 249, 250, 252, 274, 284, 289, 290, 345

Luca (Louka), abbas v. Paul, Mattheus; Pleyer, Norbertus; Nolbeck, Antonius; Wallner, Vincentius.

Lucas de Muin, Claudius,Honoratus, ab. gen. 5, 315, 317, 318, 320, 322, 331

Lucerna (La Luzerne), decretum visitationis circa mensarum divisionem (1660) 134-135; occupatio a communitate antiqui rigoris 169-170, 171-172; ab. v. Coursonnois, Dionysius le;

Lucher, Ludovicus, ab. Rothensis 67

Luckenrath, Johannes, p. Coloniae, ab. Steinfeldensis 12, 14,16, 17, 18,37,42, 43, 45, 88, 102, 108, 114, 127, 143, 148, 152, 164, 173, 187, 223, 236, 246, 252, 262, 285

Luczycki, Joseph, Norbertus, pp. Strzelnensis 373

Ludovicus XIII, rex Galliae 4,

Ludovicus XIV, rex Galliae 293-294

Lukowski, Nicolaus, pp. canoniae sororum de Zwierzyniec 322

Lusan, Joannes, p. Villae Dei 13

Magdeburgum, inquisitio circa libros prioratus dispersos 134

Maghe, Engelbertus, ab. Bonae Spei 292, 299, 313, 314

Maillot, Bernard, can. Casae-Dei 62, 111, 173,

Maiores de domo, 144, 241, 361

Mangeot, Franciscus, s.o. 331

Marcelis, Hermannus Joseph, n. Tongerloensis 279
Marchasium Radulphi (Marcheroux), 121, 212, 245; ab. v. Helye, Ludovicus; Lecomte de Montangan, Ludovicus.
Marchtal, ab. v. Kneer, Conradus; Wierieth, Nicolaus.
Marlier, Thomas, can. S.Mariae Maioris Mussipontanae 168
Marquis, Joannes, conv. S.Mariae Maioris Mussipontanae 168
Martin, Carolus, ab. Cuissiacensis 349, 359, 363
Martin, Franciscus, p. Belli Portus, 13, 108, 171, 172, 187, 247,
Marx, Petrus, ab. Wadegotiae, 299
Masle, Josephus le, 260
Mathon, Joannes, Christophorus, ab. Belli Loci 321
Mattens, Norbertus, proc.gen. Romae 363
Mauch, Leopoldus, ab. Minoraugiensis 318, 320, 321, 322
Mayr, Anianus, ab. Schäftlariensis, 68, 225, 247
Mazarin, card. Julius, 114
Meldert, Andreas van, pp. Langwadensis 81, 89, 149, 173, 216
Menassier, proc. ordinis in Parlamento Parisiensi 328
Menessier, Petrus, p. S.Pauli Virdunensis 355
Mennequin, Christophe, conv. S. Mariae Majoris Mussipontanae 168
Mereau, Joannes, can. Branensis 63, 64, 94, p. Sancti Pauli Senonensis 112,176, 204
Mertz, Hermannus, ab. Vadegotiae 321, 356
Messin (Mession), Bonaventura, s.o., ab. Rengisvallis 11, 15, 42, 102, 228, 244
Meyers, Nicolaus, ab.tit. Belli Campi, proc.gen. Romae 353, 357, altercatio de titulo ab. Belli Campi 363, nominatio 373
Minoraugia (Weißenau), 130; ab.v. Eberlin, Bartholomeus; Mauch, Leopoldus.
Mitaine (Mitenne), Claudius, p., postea ab. Corneolensis 110, 206
Mixte, Nicolaus le, p. Montis Sancti Martini, 108, 203
Milovicum (Milevsko), provideatur de abbate, 30, 126
Moeckenborgh, Joannes van, can. Tongerloënsis, pp. S. Sulpitii Diestemii 279
Moenius (Moninckx), Carolus, can. Ninoviensis, vice-procurator Romae, 94
Moncellae (Moncetz) 93; ab. v. Duhamel, Antonius.,
Moniales praem.: Statuta o.praem. quae moniales respiciunt vernacule imprimere licet 149; aetas pro admissione 257, 270; sorores in ordinem assumptae ab ab. Ninoviensi 283; petitio nobilium Juliae et Montium de clausura non introducenda 326-327
Monincx, Carolus v. Moenius
Mons Dei (Mondaye), ab. v. Lhermitte, Philippus.
Montfort, Comitissa de, abbatissa in Buchau 97
Moor, Ferdinandus de, ab. Ninoviensis 313, 357
Moraviae circaria, 20, 25, 26, 27,
Morelle, Joannes, 148
Mortier, Bertrandus, can. S. Mariae Majoris Mussipontanae 168
Motte, Gabriel de la, p. Camerae Fontis 354
Mouron, Godefridus, ab. Boni Fageti, 289
Moutier, Joannes, prof. Praemonstrati 294
Mouy de Riberpré, de, Gabriel, abb. Cuissiacensis, 292, 295, 299
Mozetta, 24, 133, 238, 241, 259
Münch, Jacobus, ab. Ilbenstadiensis 365, 373
Mussipons (Pont-à-Mousson), 160
Mutsaerts, Gisbertus, pp. Vallis S. Catharinae, 281

Nagel, Georgius, Theodorus von, ab. Varlariensis 299, 314
Nassau de Sarrebruck, comes de 221

Navant (Navante), Matthias, can. Viconiensis, 113, 140,
Neel, Servatius, p. Ardenensis 355
Neorisium (Nova Řise) 84, 233,
Neupont, p. Septem Fontium in Burgundia, 203
Neve, Joannes de (Nevius), ab. Ninovensis, 107, 115, 128, 136, 147, 172,173, 176, 187, 201, 207, 208, 249, 251, 255, 261, 283
Nicart (Nitart), Joseph, ab. Bucillii 353
Nicodemus, can.Viconiensis, 113
Ninovia (Ninove), recuperatio expensarum pro Ordine factarum ab abbate Joannis David, 142, 152-154, 214, 215-216, 365-366; reductio fundationum missarum 148; ab. v. David, Joannes; Vander Haghen, Ferdinandus; Moor, de, Ferdinandus; Neve, de, Joannes; Roelofs, Christianus.
Noguez, Petrus, prof. Casa Dei, 13, 62
Noizet (Noizé), Perpetuus, ab. Leffiensis et Iveldensis 11, 15, 16, 17, 56,102, 107, 187, 201, 207, 249, 252
Nolbeck, Antonius, ab. Lucensis 352, 357, 362, 373
Normannia, monasteria s.o., 53
Nothausen, Adolphus, can. Knechtstedensis 77
Nova Cella (Neustift), 144, 145, 162, administrator triennalis 225-226, abbatia 326, ab. v. Widmann, Mathias; Gruber, Jacobus Lacopius.
Novitiatus communis, 20, 121, 151, 175, 222, 232, 325
Novitii: professio anno decimosexto aetatis in circaria Suevica et dimissio 213, minus idonei 217, admissio 224, studia philosophica excluduntur 259
Nowy Sącz v. Sandecium

Oberzell v. Cella superior
Occupatio indebita monasteriorum in Germania 18-19,
Oenipons (Innsbruck), ecclesia S. Jacobi 161; ecclesia B.M.V. Auxiliatricis, 161
Officium divinum v. **Liturgia**
Olenius, Godefridus, ab. Zabrdovicensis, 33, 85, 177, 261
Olinghausen, 43-45, 72
Olšansky, Thomas, ab. Gradicensis, 30
Omnium Sanctorum v. *Cella Omnium Sanctorum*
Oosterhout v. *Vallis S. Catharinae*
Orléans, Gaston d', frater Regis Ludovici XIII, 97
Osterhofen 144, 224, 370; ab. v. Dimpfl, Christophorus; Steinmayer, Michael.
Oudet, Nicolaus, ab. Vallis Dei 350
Oudinot Joannes, p. S.Mariani Altissiodorensis 294

Paepe (Pape), Libertus de, ab. Parcensis 66, 94, 105, 114, 125, 128, 136, 153, 156, 160, 179, 182, 184, 186, 189, 199, 200, 207, 220, 222,
Paige, Nicolas, can. S. Mariae Majoris Mussipontanae 168
Parchappe, Petrus Antonius, dominus de Vinay, 349
Parchappe de Vinay, Ludovicus Annas, proc.gen. ordinis Parisiis, 349, 354
Parchappe de Vinay, Petrus Antonius, ab. gen. 5, 349, 356, 373
Parchum (Park), expensae pro Ordine factae in Hispania 142, 153; ab. v. Drusius, Joannes; Paepe, de, Libertus,; Slootmans, Alexander.
Parlamentum Parisiense 58
Parochi: mulcta pecuniaria, 30 vexantur ab episcopis, 31; non possunt aedificia construere absque licentia 138; non possunt notabilem summam pecuniae dare parentibus 138; correctio a superiore monasterii professionis 139-140; institutio 225; iura in obitu decanis ruralibus 41, 98, 131;contumaces 359; quando vocandi ad capitulum canoniae 368; omnibus ecclesiis ubi ordo ius patronatus habet 327; exercitia spiritualia singulis annis in monasterio 329, 359; computum reddant 329; non turbent conventum 329; visitatio annua a superioribus

329; pastores contumaces 359; quando convocandi ad capitulum canoniae 368.
Paternitatis ius in recuperatum monasterium, 30, 234,
Patissier, Petrus, p. Hermeriarum, 14, 17, 99, 111,
Paul, Mattheus, ab. Lucensis, ab. S. Vincentii Wratislawiensis 10, 15, 16,17, 18, 27, 29, 30, 31, 36, 46, 61, 63, 85, 88, 102, 126, 177, 183, 230, 246, 261, 265
Paulus V, papa 85
Paupertas, 359, 368
Penillon, Joannes, p., ab. Albae Curiae 13, 16, 58, 202, 206, 249, 271, 282, 288, 314
Penon, Paulus, can. Blanchae Landae 205
Perdu, Michael, can. Praemonstrati 294
Perier, Joanna de, 248
Pernegg, 63, 262-263, 364
Perraté, Joannes, can. Septem Fontium in Thierascia, 144
Perrin (Périn), Joannes Damascenus, s.o. ab. Bonifageti 11, 15, 102, 228, 244
Perrodium novum (Perray-Neuf) 58, 160, 173
Pert Prochacq (Depert), Petrus de, dep. Gasconiae 204, 250
Petit, Hieronymus, ab. Bonae-Spei 351, 357, 372
Petit, Joannes, can. S. Martini Laudunensis 64, 94
Pfendler a Losperg, Maximilianus, ab. Zabrdovicensis, 311-312, 314
Philippus, pp. Neocellensis 225
Piëra, Gregorius, ab. Tongerloënsis 323
Piermans, Norbertus, prof. Floreffiensis 205
Pierre, Nicolaus de la, p. Montis S. Martini 354
Placet, Franciscus, p. Bellosannae 204
Placetum regium Ludovici XIV 298
Plaga (Schlägl) ad dignitatem abbatiae evehitur 49-50, ius paternitatis 233, 370; ab. v. Greysing, Martinus; Freisleben, Franciscus; Worath, Siardus.
Pleyer, Norbertus, ab. Lucensis 177, 230
Poenae: contra diffamatores 274-275, 277, 308, 330, 370-371, contra illicite absentes 275;contra proprietarios et disciplinae perturbatores 277; contra eos qui absque scitu superiorum litteras mittunt vel accipiunt 278, 311; contra eos qui ludunt pro pecunia 330
Poissiaci colloquium 337
Poloniae circaria v. Circaria Poloniae
Pontificalia officia 139; pontificalium abusus 23-24
Pontivi circaria, 20, 23
Pontoux, Joannes, grangiarius Vici in Gasconia 202, 206, 209, 234-235
Postel, Petrus, p. S. Joannis Ambianensis 354
Postula (Postel) 359; ab. v. Broeck, Van den, Isfridus; Janssen, Aegidius.
Poussel, Sancius, prof. Casae Dei, 62
Pracht, Magnus, ab. Steingadensis 327
Praelati v. **Abbates, priores de regimine**
Praemonstratum (Prémontré) archicoenobium ordinis 94, 292, 308; abbatis electio, 21, 285; cessio abbatis Praemonstrati 285-286; ecclesia vacante administratio apud Priorem, 24-25, 179, 185, 211, 213; archicoenobii visitatio: deputantur tres abbates 87, 121, 122, 163,182, 209, 213, 249, 285, 301; visitatio anni 1668 reprehenditur 304-305, 322, 331, 359, 362; trium proto-abbatum praerogativa non subdelegari possunt 288, appellatio abbatum Floreffiensis et Cuissiacensis contra tale decretum 290-291; relicta visitationis in archivo archicoenobii asservantur 270; officiarii et beneficiati Praemonstrati professi et visitatio archicoenobii 295, 296; ius paternitatis 233; 370; ab. v. Despruetus, Joannes; Gosset, Petrus; Lescellier, Augustinus; Lucas de Muin, Claudius; Parchappe de Vinay, Petrus Antonius.
Praepositi monialium, subiectio patri abbati 42, 82-83; 239-240; insignia abbatialia 133; benedici possunt ex privilegio 134, 240; resignatio reservata sibi pensione 327; praecedentia 224, 260, 331; computus reddendus patri abbati et pecunia custodienda sub triplici clave 330.
Priores claustrales, duratio muneris 57,

133; vox in cap.gen. 119; convocandi ad cap. provinciale 134; visitare possunt abbates regulares 210, 361; praecedentia iuxta institutionem 234; priores s.o. valide recipere possunt votorum professionem 86-87; nullam pastoralem curam agant 304; praecedentia priorum monialium 365.

Privilegia: Privilegiorum communicatio, 28-29; transsumptum privilegiorum uniuscuiusque domus ab.Parcensi mittantur 179; conservatores privilegiorum, recursus 151; instrumenta de novo excudantur et typis mandentur 328-329; expensae ad tuitionem privilegiorum in dioecesi Leodiensi 362.

Processionale Praemonstratense, impressio 35

Procurator generalis apud curiam romanam, 33, 60, 99, 129, 223, 236, 239,266, 312, 314, 315, 334, 357, 363, 369, 371, 373. v. Carette, Petrus; Crocq, Gregorius du; Meyers, Nicolaus; Mattens, Norbertus.

Procurator (Syndicus) Parisiensis 129, 247, 266, 310 315, 328, 334; sustentatio et praerogativa 359-360, 373. v. Parchappe de Vinay, Ludovicus Anna.

Professio, validitas 225

Promotor Capituli generalis 317, 360. v. Lespierre, Basilius, de.

Psalmi poenitentiales v. **Liturgia.**

Puteanus, Martinus, pp. Keizersbosch 81, 89

Questenberg, Gaspar, ab. Strahoviensis, 27, 83

Raguet, Simon, s.o. 4, 5

Rampant, Hilarion, s.o., ab. Stivagiensis 11, 16, 17, 86, 102, 117,

Rantere, de, Cornelius, prov. Ninivensis 281, 283

Raphaël, prof. Viconiensis, 113

Ratinville, Joanna, 97

Rauletz, Joannes, ab. Heylissemensis, 107, 114,

Recuperatio abbatiarum, in Germania, 23; documenta 34-35

Recursus ad ab.gen. cum obedientialibus 46

Regiaevallis (Riéval), 42, 182, 244, 246, 362; ab. v. Collart, Claudius, Hyacinthus.

Regrattier, Franciscus le, ab. S. Joannis de Castella 300, 313

Regnault, Jacobus, p. Domnimartinensis 93

Regnault, Servatius, s.o., ab. Iustimontis 12, 16, 102, 202, 215, 228, 247, 249, 253, 289

Regnier, Carolus, ab. Albae Curiae 352, 358

Reichenstein, 310

Rekem, 361

Rengisvallis (Rengéval), 42, 357 v. ab. Habert, Nicolaus; Messin, Bonaventura; Roussel, Bernardus.

Ressonium (Ressons), introductio antiqui rigoris 60-61

Retters, recuperatio 151-152, 223

Reusmes, Norbertus, de, ab. Sancti Foillani 325

Reynal, F., secretarius cap.gen. 1717 334

Richelieu, Armand du Plessis dux de, card. 3,4,

Rigoudts, Eligius, pp. Vallis Liliorum 353

Ritus Praemonstratensis v. **Liturgia**

Roelofs, Christianus, ab. Ninoviensis 68,

Roggenbach, Joannes Conradus von, ep. Basiliensis 57

Roggenburg, 32, 160, 161, 226-227; ab. v. Schalk, Bonaventura; Doser, Franciscus; Geisler, Casparus.

Romae Collegium Sancti Norberti visitatio 59

Rommersdorf, ab. v. Diederichs, Petrus

Rößler, Vitus, ab. Siloënsis 10, 15, 17, 18, 27, 29, 30, 46, 52, 56, 68, 83, 85, 88, 102, 126

Rosey, Joannes Baptista du, p. Bellae Stellae 355

Rothum (Rot a/d Rot), ab. v. Locher, Ludovicus; Vogler, Hermannus.
Roquevert, Augustinus de, ab. Clarifontis 350
Roussel, Bernardus, ab. Rengisvallensis 289
Rouot, Nicolas, presb. dioecesis Tullensis, 166, 167, 169
Rouyer, Joannes, p. Bellae Vallis 355
Roy, le, patronus in Privato Regis Consilio 328
Royer, Vincentius, p. Belli Portus 203
Rudelle, Josephus, p. Capellae iuxta Tolosam, 62, 68, 108, 114, 127, 173, 175, 183, 187, 235, 246
Ruë, Claudius de la, dep. comm., ab. Viconiensis 113, 201, 206, 246, 249, 253
Rumbeck, 77
Rupellensis S. Margarita, 83

S. Andreas Claromontensis (Saint-André de Clermont) 246, 313
S. Andreas in Nemore (S.André-au-Bois) 15, 43, 60, 61, 122, 160, 365; ab. v. Lédé, Nicolaus; Lagache, Augustinus.
S. Augustinus, patris ordinis festum 264, festum conversionis 303
S. Augustinus Morinorum (Thérouanne) 62, controversia cum ep. Audomarensi 62, 122; ab. v. Ducamp, Hugo; d'Auchy, Ferdinandus; Stérin, Claudius.
S. Evermodus, festum duplex maior 367
S. Evodius Branensis (S. Yved de Braine) 94
SS. Ewaldi, festum 29
S. Foillani, ab. v. Julien, Siardus; Loiseau, Henricus; Reusmes, de, Norbertus.
S. Foillanus, festum 325
S. Franciscus Salesius, festum 256
S. Fredericus, officium 132, 142
SS. Fundatores ordinum, festum 371
S. Gerlacus Houthem 72, visitatio 222, talliae 222
S. Gerlacus, officium 132, 142
S. Gertrudis, officium 132, 142
S. Gilbertus,officium 34, 132, 142 officium inseritur in breviario praem., 39; translatio festi 367
S. Godefridus Cappenbergensis, officium 132, 142
S. Hermannus Joseph, officium 132, 142
S. Isfridus, festum duplex maior 367
S. Joannes Ambianensis (S. Jean d'Amiens), 122
S. Joannes de Castella (Saint-Jean-de-la-Castelle) 63, 235, ab. Lavelle, Franciscus, de; Lompagieu, de, Joannes.
S. Joseph, nomen inseritur in litaniis maioribus 367
S. Leopoldus, festum 323
S. Ludolphus, festum duplex maior 367
S. Mariae Mussipontanae (Pont-à-Mousson), ab. v. Thienville, Petrus; Guinet, Nicolaus; Felix, Nicolaus.
S. Marianus Altissiodorensis (S. Marien d'Auxerre), beneficium curatum 135; visitatio imponitur 135-136; 203, 243, 290
S. Martinus Laudunensis (S. Martin de Laon), 94; ab. v. Lesaige, Nicolas.
SS. Martyres Gorcomienses Hadrianus et Jacobus 303
S. Michael Antwerpiensis, 160, 318; ab. v. Sterre, Vander, Joannes Chrysostomus; Couwerven, van, Norbertus; Simeomo, Macarius.
S. Monica, festum 303
S. Nicolaus de Guardone (S. Nicolas de Fondarella) 175
S. Norberti reliquiarum translatio, 24, officium 361-362, statua in basilica S. Petri Romae 371
S. Paulus Senonensis (S. Paul de Sens), 290; ab. v. Duchat, Claudius.
S. Petri Rode, 255
SS. Petronilla et Pontia, officium 34
S. Petrus Nolascus, festum 256
S. Quirini, festum 217
SS. Reliquiae, festum 241, 325
S. Siardus, officium 132, 142
S. Vincentius Wratislaviensis (Wrocław) 27 adscribitur circariae Moraviae, relicta

circaria Poloniae 30-31, haereditas abbatis 35; incorporatio in circaria Bavariae 30-31; paternitas ab. Lucensis 31; ab. v. Bratitz, Norbertus; Paul, Mattheus.
Sacri Montis prioratus (Svaty Kopeček) prope Olmutium, 360
Saige, Nicolas le, ab. S. Martini Laudunensis, 3
Salina Vallis (Salival), 85; ab. v. Gombervaux, Joannes.
Salle, Nicolaus de la, p. Blemensis, dep. ab. Belli Loci 356
Salle, Robertus de la, p. S. Evodii Branensis 354
Salvan d'Hauterive, Stephanus, ab. Fontis Calidi 352
Sanchez (Fauchel), Franciscus, prof. S. Nicolai Furnensis 65
Sanctorensis abbatia v. *Omnium Sanctorum (Allerheiligen)*
Sanctorum Bohemiae libellus approbatur, 28
Sanctorum praem. ordinis cultus 142-143
Sandecium (Nowy Sącz), ab. v. Staszewski, de, Chrysostomus.
Sanson, Carolus, p. Bassi Fontis, 355
Sarrancia (Sarrance) 183
Sau, la, Michel, prof. S. Mariae Maioris Mussipontanae 168
Sauvage, Edmundus, s.o., ab. Bucilliensis 11, 15, 17, 64, 102, 107, 116, 156, 187, 199, 227, 230 244, 253
Sayn, ab. v. Diederichs, Petrus; Gülick, von, Adolphus; Colendal, Engelbertus.
Scellier, Augustinus le, ab.gen. 5, 8, 10, 78, 88, 101, 102, 104, 186, 188, 199, 200, 249, 251, demissio et presidentia cap. gen. 254, 328, 338, 341, 344, 345
Schaetbroeck, Franciscus Van, p. Parcensis 204, 207
Schäftlarn 162; ab.v. Mayer, Anianus.
Schalk, Bonaventura, ab. Roggenburgensis, 32
Scheida, reformatio 37, 71
Schinalius, Fredericus, ab.Gradicensis, 30,
Schägl v. *Plaga*.
Schlecht, Anastasius, pp. et ab. Cellae Omnium Sanctorum, 10, 16, 17, 18, 39, 42, 46, 52, 79, 102, 118,
Schlick, Maria Sidonia, 97
Scholares dispensantur ab officio defunctorum, ab officio B.M.V. et a recitatione septem psalmorum poenitentialium 33, 238, 326; recreatio 217, 273; expensae pro scholaribus factae refundantur 329
Schönborn, Philippus von, archiep. Moguntinus, 41,
Schönhainz, Georgius, ab. Adelbergensis, 32, 130
Schwarz, Franciscus, p. S. Nicolai Hagenauensis 356
Secretarius abbatis generalis, praecedentia 289
Selincurtum (Selincourt) 60
Septem Fontium in Burgundia (Septfontaine-en-Bassigny) 182, 246, 289
Septem Fontium in Thierascia (Septfontaine-en-Thiérache) 160, 245
Serrier, Joannes Baptista, 110
Serval, Nicolaus, p. S. Gilberti, 111, 115
Servient, Franciscus de, ab. comm. Perrodii-novi 58, 64,
Severi (Severy), Carolus, de, ab. Floreffiensis 65, 104, 114, 120, 122, 138, 182, 184, 189, 199, 209
Sigismundus, Franciscus, archidux Austriae 98
Siloë (Želiv) 83, 84; ab. v. Rößler, Vitus.
Simeomo, Macarius, vic. sor. Antwerpiensium, ab. S. Michaëlis, 108, 127, 142, 144, 148, 201, 206, 207, 209, 230, 249, 255, 262, 263, 274, 279, 283, 285
Simonet, Bernardus, p. Septem Fontium in Thierascia, 109, 119, 144, 145, 203, 287
Simonowsky, Raymundus, ab. Teplensis 307
Slootmans, Alexander, ab. Parcensis 352, 373
Smet, Siardus de, prov. Tongerloensis, 111
Solar y Toraya, Theodoricus, ab. Widacensis 235
Soleur de la garenne, Anna 248
Soppite, Ludovicus, ab. Albae Curiae, 16, 58, 108, 116, 154, 171, 173, 187

Sorel, Eligius, p. S. Andreae Claromontensis, 117, 118,
Soretum (Schussenried), ritus romanus 35; ab. v. Arzet, Augustinus;
Sorigleux, Nicolaus, prov. de Blanchalanda
Soyer, Michael, can. Cuissiacensis 54
Speinshart, recuperatio 34, 130-131, ab. v. Lieblein, Dominikus von
Stagnum (L'Étanche) 330, ab. v. Trompette, de la, Joannes
Stanislaus, pp. Krysanowice 26
Statuta o.praem. (anni 1630) quae moniales respiciunt vernacule imprimi possunt 149; servari debent prout iacent 179, 241-142, 323; revisio 232
Staszewski, Chrysostomus de, ab. Sandecensis (Nowy Sącz) 373
Steinfeldia (Steinfeld), 84, 89, 153, 160, 177, 234, 236, 357, 370, ab. v. Horrichem, Norbertus; Luckenrath, Joannes; Firmenich, Theodorus; Küll, Michael; Steinheuer, Christianus.
Steingaden, observantia 35; ab.v. Bonenmayer, Augustinus; Pracht, Magnus.
Steinheuer (Steinewert), Christianus, ab. Steinfeldensis 352, 357, 363, 370, 373
Steinmayr, Michael, ab. Osterhoviensis 314
Stephanae, Joanna 84, 89, 248
Stephanus, Franciscus, prof. S. Mariae Maioris Mussipontanae 168
Stérin, Claudius, ab. S. Augustini 353, 373
Sterre, Joannes Chrysostomus Vander, abb. S. Michaëlis Antwerpiensis, 127
Stivagium (Étival) 363; ab.v. Louys, Epiphanius; Hugo, Carolus Ludovicus; Rampant, Hilarion.
Strahov, Mons Sion Pragensis, 84, ab. v. Questemberg, Casparus; Sutor, Bernardus; Franck, Vincentius; Homann, Hyacinthus; Hermann, Marianus.
Strzelno, pp. v. Luczyncki, Joseph, Norbertus.
Sueviae circaria, 20, 25, 26, 57
Suffragia pro defuctis 142
Sutor, Bernardus, ab. Strahoviensis, 2.,28
Svaty Kopeček v. Sacri Montis prioratus.
Tabaci usus interdicitur 65
Talliae 29, 115, 207, 236, 243, 308, 365, 366, 372
Tepla, 36, 37, ab. v. Wilfert, Raymundus; Simonovsky, Raymundus
Tertiariae S.Francisci (Ninove) 283
Teveren, Leonardus, ab. Knechtstedensis 42, 52, 56, 57, 69-82, sententia condemnatoria capituli generalis 88-89, 149, 150, 216, 218, 219, 222, 236
Teveren, Petrus, can.Knechtstedensis, 13, 16, 42, 43, 51, 52, 56, 57, 69, 70, 79, 88
Tham, le, Aegidius, p. Perrodii Novi, 13
Thenolium (Thenailles) 160, 244, 245, 302
Thienville, Petrus, s.o., quondam ab. Mussipontanus, 12, 17, 18, 24, 52, 60, 99, 100, 112, 116, 124, 153, 156, 168, 175, 184, 187, 189, 199
Thomassin, Claudius, prof. S. Mariae Maioris Mussipontanae 168
Thorel, Josephus p. Montis Dei (Mondaye) 189, 199
Tielens, Ambrosius, can. Tongerloensis, lector collegii Lovaniensis, 111, 136, 204
Tigny, 143
Tissius (Thys), Laurentius, mercator flandricus Romae 216
Tolibowsky, Adalbertus, prof. de Witow, ep. Poznanen. 180
Tongerlo 59, 318; separatio mensarum (1660) 127-128, 136-138; de regimine canoniae sede vacante 208, 219, 220, 229; reductio anniversariorum 279; ab. v. Wichmans, Augustinus; Crils, Hroznata, Jacobus; Piëra, Gregorius; Achter, Vander, Josephus.
Topp, Lambertus, pp. Arnsbergensis 77
Tour, Jacobus de la, supp. Belli Reditus Leodiensis 111
Tremonia (Dortmund), S.Catharina, 74
Translatio religiosorum reformationis causa 46, 123-124,
Tribunal saeculare, prohibetur subditis accessus contra superiores suos 54
Trompette, Jean de la, ab. Stagni, 244, 282, 289
Tronal, Franciscus, supp. Insulae Dei, 112

Trunchinium (Drongen, Tronchiennes) 160, 224, 364; ab. v. Kerkhove, Vanden, Norbertus; Caesemaecker, de, Petrus.
Turinetti, Hercules, marchio de Prié 319
Tusschenbeek (Serskamp) 364

Urspergum (Ursperg) 145, 225; ab. v. Höchenrieder, Mattheus.
Unterilbenstadt, visitatio 53

Vaes, Servatius, ab. Averbodiensis 201, 206, 207, 209, 246, 249
Vagantes, correctio, 29
Vallis Dei (Lavaldieu) 245; ab. v. France, de, Alexander; Oudet, Nicolaus.
Vallis Liliorum (Leliëndaal) 147, 283, 318
Vallis S. Catharinae (Sint-Catharinadal) 217, 280; pp. v. Assels, Henricus; Mutsaerts, Gisbertus.
Vallis Secreta (Valsecret) ab. v. Létendart de Bully, Claudius.
Vallis Serena (Valséry) 23, 100, 160, 239, 249; ab.v. Lorris, de, Dionysius; Hannivel de Mainevillette, de, Claudius.
Valvekens, Joannes Baptista, 6
Varick, Isfridus van, prov. S.Michaelis Antwerpiensis 205
Varlar v. *Warlar*.
Varnier, Antonius, ab. Bonifageti 351
Vateau, Carolus, proc. Thenoliensis 204
Velasco, Carolus Fernandez de, ab. Grimbergensis 94, 107, 114, 115, 128, 136, 146, 157, 183, 217, 235, 244, 246
Versoriis, Joannes de, rel. Vallis Serenae, 100
Vestiendi, testimonium scriptum legitimi thori 134, 240
Vicarius ab.gen., nominatio, 25-26, iurisdictio in circariis Praemonstratensi ecclesia vacante, 22, 331; quinam (1657) 66-67; (1660) 182-183; (1663) 245-246; (1666) 265; (1670) 289-290; (1683) 313-314; (1717) 333; (1738) 372; visitatio 242; viarius ab.gen. Bohemiae 370.
Vicarius generalis ordinis (1663) Philippus Babeur 247; (1666) Michael Colbert 265, excluditur prior Praemonstratensis 289; (1717) Bernardus du Four, ab. Clarifontis 321, 332-333, protestatio ab. Josephi Dionys contra vicariatum generalem ordinis 335-346; 372.
Viconia (Vicogne), 113, ab. v. Rüe, de la, Claudius; Labbe, Christophorus.
Vicum (Vic-Fezensac) 173, 206, 234
Villé, Norbertus, s.o. prof. Ardenae 284
Villers, Joannes de, p. S.Justi, 111
Villequoy, Franciscus de, tranlatio ad ab. Salinae Vallis, 129, 141
Vilvorda (Vilvoorde), residentia ab. Bernensis 278
Vink, Eva, conv. Heinsbergensis, 72
Viromandum (Vermand) 244
Visitatio archicoenobii Praemonstrati, 20-21, 87, 121-122, monasteriorum exemptorum ab episcopis, 37; socius visitationis vicarii ab.gen., 32; in domibus filialibus s.o. ab abbatibus non-reformatis 55, 93-94; visitationes annuae monasteriorum, 19, 20, 120, 121, 122-123; inquisitio temporalium et computus 128-129; publicatio decretorum 146; revocatio ordinationum superiorum 146-147; expensae factae durante visitatione 175; substitutio visitatorum 208; priores claustrales possunt visitare abbates regulares 210, 361; poenae contra rebelles 232; circator cap. gen. omnia monasteria sibi concredita visitet infra triennium 237, 257, 259; relicta visitationum in archivo archicoenobii asservantur 270; visitatores exigere possunt iuramentum ab interrogatis 284. Nomina visitatorum cap.gen. sub v. Circatores cap.gen.
Vlatten von Froitsheim, Elisabeth, priorissa Heinsbergensis 74
Voiron, Mansuetus, conv. S.Mariae Maioris Mussipontanae 168
Voirol, Joannes, Georgius, ab. Bellelagiae 321
Vogeler, Hermannus, ab. Rothensis 319, 321, 327
Vox activa iuniorum s.o., 86, 92, 238, 323;

vox deliberativa praelatorum18 sub v. Capitulum generale; vox activa et passiva religiosi translati, 23,

Wadegotia (Wadgassen), 127; annectitur circariae Westphaliae 152, 160, 221; paternitas eccl. S.Nicolai de Hagenau 368-369; ab. v. Gretsch, Philippus; Marx, Petrus; Mertz, Hermann.

Waldburg-Friedberg-Scheer, von, Walburga, Eusebia, 97

Waldburg-Friedberg-Scheer, von, Otto comes, 97

Wallner, Vincentius, ab. Lucensis 318

Warin, Michael, p. Flabonis Montis (Flabémont) 176

Warlar, reformatio 37; pp. v. Nagel, von, Georgius, Theodorus.

Wartemberg, Fraciscus Wilhelmus von, archiep. Herbipolensis (Ratisbonensis) 41, 98, 131

Wedinghausen (Arnsberg) 41, 44-45, 50, 88, 89, 221; pp. v. Koch, Henricus.

Wemmele, Georgius van, prof. Grimbergensis, p. Neocellae 109, 144-145, 162-164

Wernher, Ludwig, ab. Adelbergensis 160

Wéry, Basilius, ab. Castelli (Chateaudieu/ Mortagne) 300

Westhaus, Joannes, ab. Gerusenus (Geras) 177, 263

Westphaliae circaria, 25,26,

Wichmans, Augustinus, ab. Tongerloënsis 136, 219

Widacum (La Vid, Hispania) 235, ab. v. Solor y Toraya, Theodoricus.

Widmann, Matthias, ab. Neocellensis 326

Wilfert, Raymundus, ab. Teplensis 132, 134, 247, 261

Willemsen, Andreas, Elias, prof. Antwerpiensis S. Michaelis 280

Wilten (Innsbruck), 35, 63, 64, 65 concordia cum ep. Brixinensi 47-49; 63, 64, 65, 160, 165; ab. v. Löhr, Dominicus.

Windberg 65

Wintersdorff, Joannes, p. Wadegotiensis 356

Wirieth, Nicolaus, can., ab. Marchtalensis, 14, 274, 298, 299, 300, 312, 314

Witow (Polonia) 179

Worath, Siardus, ab. Plagensis (Schlägl) 318

Wratislavum S. Vincentius v. *S. Vincentius*

Zabrdovicum (Zabrdovice) 232, 233, 261, 311; ab. v.Olenius, Godefridus; Pfendler a Losberg, Maximilianus.

Zwierzyniec, pp. v. Lukowski, Nicolaus.

CORRIGENDA

p. 5, linea 15	ab abbate Antonius
	ab abbate Antonio
p. 5, nota 7, linea 4	*les abbés de Brabant et 1656*
	les abbés de Brabant en 1656
p. 7, linea 31	supplementum periodi
	supplementum periodici
p. 8, nota 1, linea 2	*Grégoire Ducrocq in den Stadtbibliothek*
	Grégoire Ducrocq in der Stadtbibliothek
p. 11, nota 8, linea 2	*Kloster Windberg.*
	N.BACKMUND, *Kloster Windberg*
p. 13, linea 23	Forville
	Forceville
p. 15, nota 39, linea 1	Annis 1636-680
	Annis 1636)1680
p. 15, nota 51, linea 10	Prohititum fuitne
	Prohibitum fuitne
p. 22, nota 22, linea 1	Deinitores eligentur
	Definitores eligentur
p. 25, linea 1	dictum deretum
	dictum decretum
p. 27, nota 117	M. Sutor
	B. Sutor
p. 30, n. 59, linea 2	Mulovicensis
	Milovicensis
p. 30, nota 32, linea 2	resignasset hic
	resignasset hinc
p. 32, n.70, linea 2	Altenbergensis
	Adelbergensis
p. 42, nota 204	H. Messin
	B. Messin
p. 68, nota 305	N. Caullieu
	N. Caillieu
p. 93, nota 361	J.P. Cuénat
	F. Lebrun
p. 94, n.222, linea 2	Praemonstratensem
	Praemonstratensem365
p. 118, n.12, linea 10	eoden
	eodem
p. 118, nota 84, linea 2	prior Claustralis
	prior claustralis
p. 132, n.48	sucundo
	secundo

p. 132, n.49, linea 2	in seri debeant
	inseri debeant
p. 138, nota 136, lin.1	utriusque swxus
	utriusque sexus
p. 141, n.77, lin.12	stadum
	standum
p. 147, nota 158, lin.3	eiusdam
	eiusdem
p. 148, n.105, lin.1	peiit
	petiit
p. 151, n.115, lin.2	Matututinum
	Matutinum
p. 153, n.120, lin.20	satisfait
	satisfiat
p. 163, lin.35	Revnum D. Generalem
	Revmum D. Generalem
p. 164, nota 196, lin.1	Geysing
	Greysing
p. 169, lin.10	Articulos Reformationus
	Articulos Reformationis
p. 171, n.151, lin.4	summan
	summam
p. 177, lin.4	an vers Steinfeldiam?
	an vero Steinfeldiam?
p. 182, n.191, lin.11	in Burgundi
	in Burgundia
p. 183, lin.11	Poloniae et hungaria
	Poloniae et Hungariae
p. 183, lin.12	et terrae ierosomytanae
	et terrae Hierosolymitanae
p. 205, nota 59, lin.1	in paroeciae sua
	in paroecia sua
p. 208, n.13, lin.1	Monasterii Virginum65
	Monasterii Virginum66
p. 208, nota 65, lin.8	exactissime exemaninentur
	exactissime examinentur
p. 211, nota 75, lin.3	Domimartinensem
	Domnimartinensem
p. 211, nota 76, lin. 1	abbate generali Augustini
	abbate generali Augustino
p. 232, nota 153, lin.2	Reliogisi
	Religiosi
p. 233, nota 156, lin.7	Schägler
	Schlägler
p. 245, nota 196	Vallis Dei seu Burlebach...etc
	Vallis Dei (Lavaldieu), BACKMUND, II, 383-86

p. 246, nota 199, lin.1	Joannes II de Lompagieau
	Joannes II de Lompagieu
p. 251, lin.10	Sactae Sedis
	Sanctae Sedis
p. 282, n.46, lin.5	religioses
	religiosos
p. 300, nota 23, lin.5	hucusque eruire non potuimus.
	eruitur nempe abbatis Basilii Wéry.

INDEX TOMI V (1657-1738)

	paginae
Praefatio	3-7
Capitulum generale anni (29 Apr. - 14 Maii)	8-102
Capitulum generale anni 1660 (4 Apr. - 6 Maii)	103-188
Resolutiones colloquii Bone Spei (12-14 Jul. 1660) . . .	188-199
Capitulum generale anni 1663 (22-30 Apr.)	200-250
Capitulum generale anni 1666 (23 Maii et seq.)	251-266
Capitulum generale anni 1670 (7-14 Sept.)	267-291
Capitulum generale anni 1686 (12. Maii - 1 Jun) . . .	292-316
Capitulum generale anni 1717 (25. Apr. - 1 Maii) . . .	317-334
Protestatio Josephi Dionys, ab. Cuissiacensis, contra vicariatum generalem ordinis	335-346
Capitulum generale anni 1738 (4-10 Maii)	347-373
Sigla et abbreviationes	374
Index personarum et rerum	374-395
Corrigenda	396-398